I. N. J.

# PRISCORUM SVEO-GOTHORUM ECCLESIA.

*seu*

## HISTORIA ECCLESIASTICA

*De*

## Priſcis Sveo-Gothicæ Terræ Colonis.

*Qvi vixerant ſeculis antediluvianis multis, poſtdiluvianis vero plurimis, nimirum â gentis reſtauratione, facta ſtatim â diluvio* (eſt longa periodus) *per tempora ordine ſeqventia tam Moſaica, qvam Chriſtiana, usq; ad ſeculum Chriſti nonum, qvando abactis gentilitatis tenebris,* Præcone Ansgario *lux Evangelii noſtris Dei gratia, domi rurſus affulſit publica; varia jucunda adferens, ſed cumprimis probans* ſingulis ſeculis anterioribus hic terrarum vixiſſe aliqvos vere religioſos.

Horis ſucciſivis ſcripta in Regia Acad. Aboenſi, ac ſuffragante Rever. Facultate Theologica diſputationibus publicis ibidem inter multas occupationes mox vulgata.

*AUCTORE*

PETRO Bång/ S. S. Th. Doct. & Prof. Ord.

---

ABOÆ,

Excuſa â PETRO HANSONIO, Acad. Typog. An. 1675.

*SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE*

REGI AC DOMINO,

# DOMINO

# CAROLO

SVECORUM, GOTHORUM
VANDALORUMQUE,

REGI:

MAGNO PRINCIPI FINLANDIÆ:
DUCI SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ,
CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI-
POMERANIÆ, CASSUBIÆ ET
VANDALIÆ.

PRINCIPI RUGIÆ, DOMINO
INGRIÆ ET WISMARIÆ:

NECNON

COMITI PALATINO AD RHENUM, BAVA-
RIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM
DUCI.

REGI ET DOMINO MEO CLEMENTISSIMO:

*GRATIAM DEI, ET FATA QUÆVIS PROSPERA!*

# SERENISSIME AC POTENTISSIME
# REX
## DOMINE CLEMENTISSIME

ANimum S. R. V. M:tis distringunt eqvidem curæ innumeræ tam civiles qvotidianæ, qvam qvas recentes faciũt novi per Germaniam motus bellici: feret tamen S. R. V. M:tas hunc meum laborem exilem V. M.tis clementibus oculis subjici, qvod ante ad R. V. M.tis auram ille adspiravit, qvam isti motus hic terrarum unqvam intelligerentur: & qvi ideo nunc in lucem editus, pergit qvorsum vis formans eum qvondam destinavit. Venit præterea ille priorum mearum lucubrationum (*intelligo Commentarium in Epistolam S. Pauli ad Hebræos*) apud R. V. M, qvoddã augmentum: unde itidem ad R. V. M:tem nititur ire, qvod ipsas illuc ante in-



te in-

te intelligat properasse: imo, ipse facit, ut priores illæ ante Tantam, tamq; Venerabilem Faciem audeant tenues prodire. Est sane opusculo utriq; suum pretium propter dignitatem argumentorum; juncta vero illa facile audent adparere, ubi propter tenuitatem suam neglecta materia, alterum prodire forsan erubesceret. Nec mirabitur S. R. V. M:tas me æq; ac Musarum cultores alios, sic ad V. Regiæ Clementiæ gratiosos nutus anhelare. Constituit Deus hactenus R. V. M:tem non solum Potentissimum Regem, sed & Serenissimum pacis Principem per hunc totum nostrum aqvilonem: Vestræ igitur R. M:tis auram faventem captamus Musarum alumni, qvi hic alta pace delectamur, & Regi Nostro Clementissimo pacem precamur perennem. Recipi itaq; talibus præviis causis hunc meum tenuem laborem etiam sub belli clamoribus, ac serenâ R. V. M:tis fronte beari, humillime rogo; ut qvoq; qvod clementer recipiatur, propter R. V. M:tis innatum in literas summum favorem, cernuus spero. Sed neq; argumentum hujus mei operis â S. R. V. M:tis cogitationibus prorsus est alienum: Convenit nos singulos identidem meminisse, non solum fuisse in hisce terris olim colonos, qvod indicant Historici Civiles; sed & extitisse illos (certe illorum multos) vera pietate singulis seculis religiosos, sicut nunc mei pro-

positi

positi est memorare. Fallor igitur annon animum V. R. M:tis similes cogitationes qvandoq; versent: hæc credo etiam V. R. M:tem non solum ceu Regem animo reputare se Dei gratia regnare in terris hisce, qvas inhabitassent olim fortissimi Gothi, & ante illos Gigantes alij, sed & ceu Christianum decet, post commigratione ex hoc regno terrestri præter piè defunctos sui sangvinis recentes Christianos, sperare in cœlis invenire ex illis priscis Majoribus, qvam plurimos sanctos. Talem itaq; Regiam recreationem pariter ac communem cum complectantur hæ meæ paginæ, eam spem sibi faciunt, qvod â Rege Clementi ac vicem futurorum pie sollicito, non penitus negligantur. Quin & nunc adest R. V. M:tis Coronationis solemnitas, publico Mandato indicta: Proinde sicut perfunditur omnis terra lætitia Talis Tantiq; Novi Regis, & merito ita perfunditur, quod sub acceptionem Coronæ Regij Summi Insignis, soleant semper Clementes nostri Reges favorem suũ in subditos cunctos diffundere: sic memoria similis status non possum non ego in hisce ferijs recreari, ut itidem hoc nomine coram R. V. M:te adparere audeam confidentius; sperans aditus gratiam, vel certe audacis hujus confidentiæ veniam: cum talem bonitatem expectemus omnes, quotquot tam vocati ad comitia, quam ultro advolantes alii, hasce coronationis ferias, *utinam*

*S. R. V.*

*S. R. V. M:ti Regnoq; diu multumq; felices!* oculis ac animis usurpamus beati. Accipe igitur Clementissime Rex laborem pia intentione susceptum, ac diligentia non contemnenda conquisitum: & accipe illum ceu erga R. V. M:tem pietatis meæ summæ nec non humillimæ observantiæ fidelem interpretem; testem item vigiliarum in hac statione Academica actarũ, ac quod hic forsan primũ dicere debui, accipe illum præconem boni ominis faustæq; adclamationis in hoc V. R. M:tis Coronationis festo, meq; ejus auctorem tenuem Regiæ V. Clementiæ vultu refectum, jube semper auctum ac ornatum. Sic precor animitus

*Ser. V. R. M:tis*

Humilimus subditus

PETRUS Bång.

EN argumentum benevole Lector, *antiquitate dignitateq; memorabile. Inquiritur hic in faciem Ecclesiæ Dei non modernæ aut nostris temporibus vicinæ; Sed priscæ illius, quæ cœpit fere à condito mundo, ac inde post hiatum diluvij, etiam in nostris terris per multa secula V. & N. T.ti diu continuavit illa luce, quam in nostris majoribus æq; ac in gẽtibus multis aliis, olim variantem posuit imperscrutabilis OEconomia divina, donec post tempora Apostolica rursum nova gratia bonus Deus gentem nostram fere totam Evangelicis tubis propitius excitaret. Mirabilis profecto est Deus in colligenda diversis temporibus sua Ecclesia. Justus ille quandoq; post motum candelabrum; sed tamen qui sæpius sub severitatis nebulis paternæ suæ bonitatis radios quaquaversum per orbem misericors diffundit. atq; adeo qui liberrima gratia modo hanc iterato prolapsam gentem semel atq; iterum illuminat, modo aliam. aut etiam qui gentium variarum alia atq; alia subjecta benignè repetitis vicibus luce salutifera beat. Docemus ita ex immotis Sacri codicis fundamentis Theologi Lutherani: Non dubitavi igitur ea quæ communia sunt, ad nostros transferre, ac ostendere quomodo singulis seculis anterioribus recte sperare possumus aliquos hic terrarum vixisse pios. Caliginem igitur publicam aut non diu hic in nostris tenuisse uti scribit Strabo, aut dum extitit etiam crassissima, haud unquã Dei veri cultum ubiq; penitus extinxisse, secus quam multi ante vanis rumoribus rem vulgarunt. Occupavi vero ego hoc argumentum, non ex libidine aliqua contradicendi alijs, sed ut ceu hic locorum Professor Historiæ Eccles. N. T.*ti, *dulcissimam patriam ab infamia vanorum illorum rumorum*, qui idololatras dicunt omnes nostros priscos Majores, *pie liberarem, ac simul ut ceu Theologus gratiam Dei nobis in Scripturis revelatam, recte celebrarem: Et egi in eodem quantum per alias occupationes potui. Video vero jam me propter brevitatem temporis & defectum subsidiorum, non plus potuisse, quam ut saltem id videar attigisse; uti fere semper immatura sunt quæ primum tentantur. Tu tamen* benevole Lector *hæcce mea non damnabis: nam vim animi quam præsentes vires non capiebant, explicabunt si Deus vitam dederit, secuturæ: & tu tamen interea etiam ex hisce accendi potes ad scripturæ sacræ & studij antiquitatis lectionem, cujus amore Te postquam inflammavi, operæ pretium me fecisse arbitrabor. Vale.*

*Disputationes hasce historicas intra triennium mecum defenderunt ac vulgarunt sequentes Domini Studiosi.*

I.am Johannes Aschlinus *O-Gothus Acad. vice-Bibliothecarius.*
II. Candid. Paulus Heintzius *Wiburg. jam design. Scholæ Wiburg. Rector.*
III. Andreas Liuhander *Satag. Finlandus, adhuc Studiosus Upsal.*
IV. Candid. Israël Dynæsius *Angerm. designatus Gymnasij Hernesand. Lector*
V. Magnus Wallenius *Ang. Academiæ vice-Secretarius.*
VI. Johannes Brochius *Aboensis nunc pie defunctus.*
VII. Christianus Elingius *adhuc pædagogus Tornensis.*
VIII. Candid. Magnus Vietius *Smol. adhuc noster studiosus*
IX. Andreas Andr. Merten *Aboënsis, Acad. nostræ design. Facu. Phil. Adjunct.*
X. Jonas Grimsteen *Nerichiensis, adhuc noster Studiosus.*
XI. Olaus Samuelis Krogerus *Wiburg. adhuc noster Studios.*
XII. Samuel Joh. Colliander *Smol. jam Concionator Töfsalensis.*
XIII. Isaacus Brovallius *Wesm. jam Magister Gryphiswald. & Past. Castrensis.*
XIV. Wilhelmus Granberg Smol. *jam in patria Concion.*
XV. Matthias Kroof *Nylandus, jam V.D. in patria Minister.*
XVI. Henricus Savonius *Nyland: adhuc noster Studiosus*
XVII. Jacobus Libech *O:Bothn. jam Concionator Castrensis.*
XVIII. Gabriel Maxmontanus *Satag. Finland.*
XIX. Nicolaus Reftelius *O-Gothus*
XX. Johannes Aalroot *Upland.*
XXI. Petrus Serlachius, *meus hospes.*
(XVIII–XXI:) adhuc nostri Stud.

*Scrips. Aboæ 25 Julij, anno Ch. 1675.*

HISTOR.

# HISTORIARUM Eccleſiæ Sveo-Gothicæ PARS PRIMA.

*Continens* primordia eccleſiæ Dei *per haſce terras; ejusdem deinde* mutationes ac occaſum: *tum* novum ortum ac admixtos caſus varios usq; ad lucem modernam. *potiſſimum vero probans* quod â condito mundo ad hæc usq; tempora, fuit in Sveo-Gothica noſtra terra, aliqua Dei eccleſia: *quæ perſequitur diſtincte, juxta temporum ſeriem, ac fere per ſingula ſecula; omnia in optimi Dei gloriam, nec non dulciſſimæ patriæ ornamentum.*

## LIBER PRIMUS.

### De Eccleſia Sveo-Gothica ſub mundi periodo antediluviana.

AMpliſſimæ *Scandinaviæ vel Sveciæ* narraturus hiſtoriam Eccleſiaſticam, non temere omnino fecerim, ſi recurrero non tantum ad ſecula poſtdiluviana prima, quibus certo conſtat in illa fuiſſe Dei Eccleſiam; ſed & ſi excurrero ad tempora antediluviana, quãdo pariter ſeculis non paucis, peninſula hæcce magna vi-

detur divinis humanisq; moribus exculta. Non quidem narraverim *quas provincias* in Svecia nostra, *quave oppida heic* incoluerunt illi antediluviani, nedum adjecerim *quæ distincta facies ecclesiæ in singulis illis vel universis*; Imo, nec dixerim, *quod tunc terræ nomen?* quod celet nos hanc distinctam cognitionem historia sacra, nec inveniamus monumenta alia, quæ hæc doceant commode ac extra fucum omnem: attamen nostram terram etiam illis priscis seculis, habitatores habuisse, Deiq; veri cultores vidisse, videmur nobis rationibus non contemnendis posse arguere: Sit ergo.

# CAP. I.

*Probans seculis antediluvianis fuisse colonos per hasce terras, quas nunc dicimus Sveo-Gothicas.*

I. Heic sciendum est, quod etsi licuit creatori ceu figulo in sua opera, cataclysmo universali obruere totam terram; h. e. terræ indigenas, & quoq; terram ipsam: habuit tamen ista inundatio respectum non tantum ad flagitia humana, Gen. 6: 5. sed & ad ipsius terræ, ex flagitiis contractum vitium ac reatum, Gen. 6: 11. nimirum fuerunt tunc per totam terram commissa peccata, non tantum *vulgaria ac loquentia, ut ait Oleaster:* sed & *ad cœlum clamantia*, ceu: *homicidia*, Gen. 4: 11. *Sodomiæ*, Gen. 18: *infirmorum oppressiones*, Exod. 3: *nec non retentiones mercedis operariorum* Jacob. 5: Hæc si abfuissent ab aliqua terra, præsertim majore, jam credibile, quod illi Deus per bonitatem suam, pepercisset: at quia eventualiter nulli pepercit, sed super omnem terram fecit aquas inundare, ita ut tegerent quoq; omnes montes, Gen. 7: 19. inde plus quam mediocriter probabile, omnes terras, ac consequenter nostras Sveo-

Go-

Gothicas, malitia humana fuisse repletas; item ante excultas*.

*Objicis: diluvium fuit immissum ad extingvendum hominem malum in operibus, ac pravum in corde, Gen. 6: 15. illiusq; internecioni tantum fuit involuta perditio terræ: h. e. Deus non punivit terram ob suum aliquod crimen aut reatum, sed punivit illam, propter pravos incolas: quamquam itaq; illi non essent ubiq; dispersi; potuit tamen Deus sic totam terram propter illos perdere, sicut ob eosdem potuit idem terræ aliquam partem justus submergere.*

℞ Deus indignatus est hominum mala facinora pravaq; cogitata: & pariter indignatus est terram ipsam, quod multorum sangvine repleta, nullis non flagitiorum reatibus esset onerata, Gen. 6:11. Scilicet ejus indolis fuit iniquitas illorum mortalium, ut ipsam quoq; terram, civitates & domicilia corrumperet, & detestabilia redderet: hocq; βδέλυγμα ut hominibus non patuit, coram Deo tamen maxime fuit manifestum. Sicut ergo Deus voluit hominem ob patrata flagitia, & radicem mali exscindere; ita pariter ipsam terram, ob eadem recepta, juxta rationem physicam, aut ob eorum reatum, juxta rationem moralem, qua sui superficiem, commoditatemq; aliam, justus constituit destruere, erat quippe tunc terra per vias hominum corrupta, impletaq; violentia omni, prout scribit Moses Gen. 6: 11. adeoq; digna quæ exscinderetur, Hebr. 6: 8. *Inst. Est metonomia in voce terræ.* Resp. Nihil vetat quo minus sequamur literam, credamusq; Deum, qui prius peccata hominum viderat, modo etiam ad locum fixisse intuitum, scribit D. Pelargus super Gen. 6. pag. m. 159. imo, nos credimus non tantum ad locum Deum pro justitia sua tunc fixisse oculos, sed

& in eodem varias suas creaturas oppressisse, quod ipsæ per angorem cuperent opprimi, ne tanta malitia humana diutius fatigarentur, Rom. 8: 19.

*Objicis iterum. Propter protoplastarum peccatum sicut Deus punivit totam terram, maledictionis inflictione, Gen. 3. 17. sic potuit nunc totam terram perdere, etsi tota ac per singulos ductus, non esset ab hominibus vitiata, aut reatibus subjecta.* ℞ (1) Protoplastæ gesserunt rationem totius generis humani: facile ergo propter illos, ceu propter totum genus humanum, potuit Deus terræ maledicere. (2) Nam consideravit tunc terram, non ut â pravis colonis jam tum ubiq; occupatam ac vitiatam, sed ut ab iisdem occupandam ac vitiandam. Cunctis tamen per maledictionẽ debuit tunc terra esse oneri ac damno, quod singuli eandem in Adamo vitiassent, Rom. 5: 12. (3) Quia luebat tunc terra maledicta pœnam damni, ut incolas afficeret pœnâ sensus: h. e. ut per fructum suorum malorum operum vapularent indigenæ terræ. (4) Ast postea sicut per fratricidium Caini, terra de novo maledicebatur non tota, sed tantum ea parte, quam Cain contingeret colere ac attrectare, Gen. 4; 11. seqq. sic si tota tunc non fuisset corrupta, credibile neq; totam luisse pœnam diluvii, sed tantum eam partem, quæ malis colonis fuit occupata ac cœdibus rapinisq; vitiata: at quia tota luit, inde conjicere fas, quod tota colonis erat & occupata & infecta. Proinde sicut majores nostri in W: Gothia olim effoderunt glebas de cœmiteriis suis, vitiatas sangvine humano, nequiter effuso, juxta legem Kyrckiu balkär IX. Flokker §. 2. än Wadablod komber i kyrkiugard etc: ut effusus ille sangvis alibi quam in Sacro loco clamaret vindictam, sic credimus Deum oppressis hominibus per diluvium

vium, pariter ejus aquis de terra ipsa diluisse imbibita flagitia multa, nè amplius clamoribus, id est indignationib⁹ inspicientum, poscerent vindictam. Quomodo namq; sanctorū animas, sui sangvinis vindictam per extremum judicium poscere legimus Apoc: 6: 10. sic pios ultionem desiderare scimus ex Ps. 82: 9. Creaturæ ergo peccatis humanis constrictæ ac debilitatæ, sicut expectant, & oculos intendunt in revelationem Filiorum Dei, futuram in extremo judicio, Rom. 8: 19. sic credimus pariter illas tunc mortalium antediluvianorum flagitiis oneratas, excisionem expectasse; quod utriusq; interitus eadem sit ratio, Luc. *17: 26*. Math. 24: 38. Liberata ergo tunc fuit terra magnis oneribus, juxta recta judicia Dei, & quoq; juxta ipsarum creaturarum desideria, nec non per diluvium quasi defæcata, ut in se fieret purior, & novæ benedictioni divinæ opportunior: sicut quoq; per diluvium abolita vi maledictionis specialis cujusq; crudelioris flagitii ipsa postea integra est in lapsus primam formam de novo redacta, Gen. 8: 21. (5) Dicit quoq; scriptura ipsa, quod terra tunc fuit corrupta non tantum per *vitas* colonorum, habito respectu ad ipsos homines; sed & per eorum *vias*, cum intuitu ad terram ipsam, ejusq; per orbem, extensionem planam, Gen. 6: 13. A *justitia igitur Dei puniente aquilonem nostrum diluvio, suspicamur adparere, quod is ante vitiis humanis fuit infectus, ac tanto magis humana cultura politus, quod ante debuit coli, quam potuit infici.*

II. Vixerunt antediluviani patres ultra annos 800 vel 900, Gen 5: at tali tantaq; ætate, vi plastica totum terrarum orbem colonis facile repleruṅt, unde probabile quod etiam Sveciam per suos inhabitarunt.

III. Ponatur tantisper non suffecisse illos replendo orbi, qua continentes terras, ac insulas vastissimo: attamen

manet certum prognatos loca selectissima elegisse, atq; ita Sveo-Gothiam nequaquam neglexisse; quippe quæ fertilitate segetum alias commodas bene æquat: captura vero piscium & venis metalliferis innumeras vere superat.

IV. Inspiciamus singularia Asiæ fata, ob quæ illa præ omnibus alijs terris meretur celebrari. Fuit in illa Paradisus, & ex illa πρωτευαγγέλιον: fuit in illa postea Christus, & ex illa vox Apostolorum: hæc vero sicut omnia universalia fuere, h. e. omnibus nationum populis ac individuis destinata, ita in omnes terras debuerunt singula circumferri: sicut itaq; postea per omnem terram, perlata est vox Christi, auditaq; per totum terrarum orbem prædicatio Apostolica, Marc. 16: 15. Coloss. 1: 23. sic debebant olim esse, qui nunciati paradisi singulariter ubiq; reminiscerentur, ac universalitatem primi Evangelii nuspiam non amplecterentur.

V. Neq; tantum in asiaticis sacris hanc ponimus harmoniam, sed & ad ejusdem prava, jure non obliquo, eandem referimus. Scilicet habuit Asia non tantum Adamum Noachum, patriarchas varios, ac postea ipsum Christum Jesum: sed & habuit illa postmodum Odenum, hominem nefarium. hic vero uti vates falsus ac impostor, excurrit ad nos Svecos, prout suo loco dicetur: sic pariter huc excurrisse asiaticos primi Evangelij nuncios pie recipimus: credimusq; quod excurrerunt non modo pia destinatione, sed & actuali prædicationis fama, ne post datam indebitam restitutionis gratiam, nuncii gloriæ inveniantur ante substitisse, quam substiterunt postea nuncii certæ mortis. h. e. nè suum Odenum glorietur Sathan longius per aquilonem prædicasse viam mortis, quam apud eundem viam salutis olim prædicavit Deus; & ne Asia Odeni legatione,

cujus

cujus ipsam æternùm deberet pœnitere, amplitudine expeditorum vincat legationem, quam Deus post fata paradisi, olim emisit clemens*.

VI. Notetur analogia inter Adamum & Noachum. (1) Noachi prima sedes fuit in Asia, Gen. 8: 4. pariter & in Asia primum resedit Adamus, Gen. 2: 8. (2) Absolvit Noachi posteritas præsentem mundum, Gen. 9: 19. & similiter Adami posteritas priorem, Gen. 6: 7. (3) Noacho fuerunt tres filij, Gen. 6: 10. & 10: 1. tot quoq; memorati in sacris scripturis fuerunt Adamo, Gen. 4: 1. seq. (4) Noacho fuit unus filius degener, Gen. 9: 22. Ita & unus degener Adamo, Gen. 4: 5. (5) Quod nomen improbo filio Noachi, idem fere qua sonum, improbo filio Adami. (6) sicut in Arabiam ac Africam ivit degener Chamus Noachi, Gen. 10: 6. seqq. ita in easdem plagas contendit degener Cainus Adami: ac (7) sicut in Asia ex posteris Noachi, mansit religionis sator Semus, Gen. 10: 21. seqq. ita in Asia de posteris Adami, religionis propagator fuit Sethus Gen. 5: Hæc certa sunt ex scripturis, & primo intuitu plana, liceat ergo per piam conjecturam addere, quod sicut Noach per nepotem suum, præcisa ratione cujus nepos fuit, excoluit aquilonem; sic pariter per suum nepotem, eundem putandus est Adam excoluisse olim*. *Obj. Rarius inter se comparantur Adam & Noach?* R. (1) Plana est inter illos comparatio in momentis recensitis, urgentq; eandem scriptores ecclesiastici passim. (2) Divus vero Ambrosius libr. de Noacho cap. 14. eam non tantum retinet implicite quoad enumerata momenta, sed & auget adjectone senarii, dicens: quod sicut anno 600 Noach est servatus, sic est Adam die sexto creatus: fons enim numeri sexentesimi est numerus

merus sextus: & quia hic idem occurrit in auctore *&* reparatore; inde, ait, convenientia inter illos etiam hoc nomine spectatur non contemnenda.

VII. Si quæratur cur tantopere post diluvium in aquilonem nostrum properarunt nepotes Noachi? responderi potest ac fortassis debet, quod huc advolarunt, non aliam ob causam, quam quod terræ commoditatem didicissent â suis majoribus.

IIX. Testatur scriptura quod hoc tempore vixerint gigantes, Gen. 6: 4. h. e. ut vulgo interpretantur, homines audaces ac in Deum insigniter insolentes. Et facile crediderim antediluvianorum plerosq;, maxime eos qui vixerunt sub periodi finem, tales fuisse: attamen videtur addendum, eorum non paucos, ac præcipue quos scriptura gigantes nominat, præterea fuisse proceros ac statura longos, respectuq; modernorum virorum, non parum monstrosos. Atq; quod tales proceri vestigiis fere singulorum membrorum externorum, passim notaverant nostram Sveo Gothicam terrám nec ipsi porro tanta frequentia referantur in aliud tempus quam antediluvianum; inde itidem conjicimus non temere, Sveo-Gothiam nostram priscis illis & antediluvianis seculis fuisse inhabitatam. *Obj. Gigantes habitarunt in Asia circa libanum montem, ac inde teste Beroso, latissimo imperio occuparunt terrarum orbem.* ℞ (1) Nephilim hic significare genus quoddam hominum videtur textus ipse innuere. (2) Etsi igitur singulariter hoc nomine insigniantur tres Enaci filii, prout ex Num. 13: 37. colligit Moses Gerundensis, attamen ante illos, vixisse Nephilim, hic locus docet clarissime: credendum itaq; non uno in loco vixisse nephilim, neq; tantum uno tempore: sed fuisse illos tam ante diluvium, quam

post,

post, vixisseq; & in Europa & in Asia (3) Fieri quoq; potest, ut Asiatici illi alio dicerentur nomine, & alio nostri Europæi; cum constet ex auctore Phesichtæ, 4 *fuisse nomina gigantum, Raphaim Enachim, Nephilim, & zomzommim:* aut quemadmodum illos recenset Euseb. lib. *1.* de Præparat. Evangelica, *Nephilim* ab irruendo, *Emim* quod formidabiles essent, Gen. 14. *Enachim* h. e. propter ostentationem torquati, Deut. 2. & *Raphaim* quasi medici seu conservatores, Josv. 12. Græci eos Centauros, Cyclopes ac tyrannos nominant. (4) Tametsi igitur hi ita expositi, ad tempus postdiluvianum cumprimis pertineant: videat tamen Berosus an sui illi gigantes, dicti fuerunt Nephilim; & si Nephilim eis nomen, an ita dicebantur *active* quod terrorem injecissent hominibus, corporum mole ac armis? potuerunt iidem Nephilim dici, sed sensu *passivo*, quod ipsi cecidissent in turbam attritorum, Psal. 10: 10. quiq; hoc pacto non tam fuerunt nephilim, quam nophelim, 2. Reg. 25: 11. conf. Drus. in locis difficul. Gen. c. 18. (5) Crediderimq; ego Berosum Asiaticos illos interpretatum fuisse Nephilim, vel ab audacia Caini, aut quod vocis sensum passivum ignoraret: mox ergo concepisse illum eos statura procera, & quia alios & alibi terrarum plures non novit, adjecisse quoq; quod iidem terrarum orbem sibi subegissent.

IX. Daretur thesi nostræ testimonium non contemnendum ex hoc Berosi loco, si certus esset. Nimirum si potuerunt Asiatici illi Gigantes occupato toto terrarum orbe, dominari colentibus ultima Chinæ: quanto fuit eis facilius imperii vastitatem ad nostram patriam extendere, tanto terrarum spatio, maxime si fretum transmiseris, ab eis nequaquam remotam: fuerunt igitur jam tum coloni, in hac

Sveo Gothica terra, quod possumus probare etiam ex hoc Berosi testimonio, si fidem meretur

X. Fulcient alii hanc thesin singulari hypothesi. Suspicantur Americam pertinere ad Europam, non tantum circa aquilonem Chinæ, ubi putant eruditi etiamnum inveniri continentem, *á borea Tartariam habet adjacentem muro diremptam, cujus inexplorati adhuc termini ad mare glaciale usq; extensi haud dubie cum Anian, sive freto, sive isthmo, Americæ septentrionali alicubi continuantur, scribit Kirkerus in China illustrata, part. 1. Cap. 1. pag. 3.* Sed & circa insulas Grönlandicas olim illi fuisse junctam, quod in Americam hinc & non aliunde, ex Europa facilis hominibus ac animalibus esset transitus. Hac ergo si olim dabatur transitus, h. e. si ab Europa in Americam hac ibant olim homines bestiæq; Sveciam profecto opus est, eos ante peragrasse, ac habitatione pressisse, quam in Americam possent venire.

*Dicis: non amplius datur ille transitus.* Respondebunt iidem per concessionem, illum equidem nunc non inveniri, vel (1) quod solvissent illum ante aquæ diluvii, quæ licentius pro copia fluentes, vada vel fecerunt vel abruperunt. (2) vel quod idem post tot secula sit attritus, ab illabentibus terræ gremio aquis, circa Islandiam & Grönlandiam: quippe post montem Himmelraat in Grönlandia, multas ac passim per totum mare esse magnas voragines, in descript: Norvegiæ cap. 34. *scribit Petrus Claudii Undalensis Past & Præpos.*

His talibusq; aliis argumentis vel seorsim singulis, vel certe conjunctim sumptis omnibus, videmur nobis probare posse, tempore antediluviano, in hac terra quam nunc Sveciam dicimus, quam pauloq; ante scriptores alii dixerunt Scandinaviam vel Scantziam, fuisse habitatores de posteris Adami.

CAP. II.

# CAP. II.

*Inquirit in tempus inhabitatæ hujus nostræ terræ Sveo-Gothicæ.*

Quo autem *tempore, quove ſeculo* primæ illius ætatis, noſtram hanc terram iidem ſunt ingreſſi, non pariter liquet, & multo adhuc difficilius nominare *ingreſſus eorum annum vel diem.* Potuit hæc terra ſeculis primis ab iisdem occupari, quod vellem ego ſcribere, ac tibi perſvadere; ſed ne videar ob ſoli favorem, mihi adblandiri, tibiq; mentita vetuſtatis gloria, velle imponere, monebo ut ipſe ſeculum nomines ex ſedecim illis, quæ â condito mundo, ad immiſſionem diluvii, certa effluxere: tantumq; rogabo, inter divinandum, ne accipias omnino poſtremum, vel illi aliquod vicinum.

I. Non potuit non in patriam noſtram colonos brevi effundere illius temporis prolifica longævitas: viventes enim homines tot ſecula, ut ordinatione divina orbem terrarum debuerunt colonis replere: ſic de multis uxoribus (fere ſtatim ita cœperunt) ſuſcipientes plurimos liberos, eum facile brevi replerunt: lamech quippe teſte Joſepho, ſuſtulit de duabus uxoribus 77 liberos, nec minores alii de ſuis: unde conjectura noſtrum Aquilonem brevi omnino colonis fuiſſe repletum.

II. Quis novit menſuram peccatorum, antediluvianis noſtris â Deo conceſſam? potuit illa brevis eſſe, juxta juſtitiam Dei ſeveram, Jer. 14: 10. attamen ſicut eminere fecit Deus ſuam ſummam longanimitatem 120 annos, poſt denunciatam univerſis pœnam, Gen. 6: 3. hinc conjectura, quod is tanto longanimior fuit in quemq; populum ſe-

orsim, Psal. 130: 7. probabile igitur quod coloni etiam in hac terra vixerint seculis non paucis.

III. Et quid tibi videtur de harmonia inter Adamum & Noachum? fuit illa uti modo percepisti, in septem momentis, teste scriptura, satis plana: adde ergo octavum in quo erit similiter prona: nimirum quod sicut per nepotem suum excoluit Noach Sveo-Gothiam: sic itidem per suum nepotem, illam ante videtur inhabitasse Adam. h. e. sicut primis post diluvium seculis huc accessit Noachi nepos: sic huc videtur venisse primis post creationem seculis, Adami nepos.

IV. Addent rursus hisce nostris suam hypothesin alii de itinere per Sveciam in Americam: dicentq; sicut per Sveo-Gothiam patuit olim terra euntibus iter in Americam: sic debuit ipsa non tantum ante excoli, sed & exculta tot abundare colonis, quot occupandæ sufficerent Americæ. Tametsi igitur potuerunt aliæ terræ tunc primis illis seculis inhabitari; & tametsi potuit itidem & hæc nostra. Attamen sicut cœteræ tantum potuerunt; sic juxta datam hypothesin debuit omnino hæc nostra, quæ devehendis ulterioribus habitatoribus, ut opinantur, creantis Dei beneficio, erat destinata. *Conf. Kirker. de Oceani fluxu & refluxu.*

## CAP. III.

*Inquirit in auctorem gentis antediluvianæ per nostras hasce terras, disquiritq; à quo Adami filio credantur iidem oriundi?*

Dedimus paulo ante aliquot rationes inferentes Sveo-Gothiam nostram fuisse excultam seculis antediluvianis, & quidem primis aut intermediis: scire tu jam cupis, *quis ejus primus inhabitator, quisq; gentis fons & origo?*

Fug-

Fuerunt Adamo uti constat, tres filii: Cain Abel & Seth. Abelem extinxit Cain ob invidiam, quod respexit Deus ad eum, ejusq; munus, & non ita ad se suumq; munus, Gen 4: 4. Scilicet offerebat Abel de imperatis primogenitis, & offerebat plenus in Deum fide, Heb. 11: 4. hoc ergo sacrificium cum esset Deo gratum, Deus vel igne cœlitus demisso; futuro in posterum beneplaciti symbolo, Gen. 25: 17. Levit 9: 24 &c. vel deniq; alia visibili significatione, complacentiam offerenti propitius probavit: ac idem cum non faceret Caino, utpote cui nec justum fuit sacrificium sangvinarium sub memoriam passuri Messiæ, nec ulla in Deum fides vera; sed contra, tantum nimia in primogenituram confidentia: hinc exardens ille ira, violentis manibus fratrem intercepit, in Dei jura ac sancita naturæ multum injuriosus. Sed dedit mox Deo, sibiq; promeritas pœnas: nam ex quo, sangvine fratris maculauit suas manus, â Domino est maledictus, & ipse quoq; ut maledictionis vim sentiret, conscius sibi sui flagitii, Deo ejusq; sancitis sacris temere renunciavit, discedens â facie jehovæ uti habetur Gen. 4. 16. Sethus vero extincto fratre Abele, videtur vel solus fuisse, vel certe præcipuus, qui jura divina admisit, eademq; juxta voluntatem divinam, ad posteros transmisit. Ex his ergo mox planum aut gentiles evasisse tunc temporis Sveo-Gothiæ colonos, aut factos eosdem religiosos Dei cultores? gentiles si ortum traxerint â Caino, qui discessit de facie Ecclesiæ Dei, & contra, religiosos, si inveniantur oriundi, vel de Setho tertio Adami filio, vel de filijs Abelis, vel deniq; de Adami filio aliquo alio. Quia vero parum solatii est, originem arcessere â fratricida Caino, & contra dulcius, natales referre, vel ad Sethum, vel Abelem, vel deniq; quartum aliquem Adami filium, hinc re-

cte

cte ſciſcitaris, *quis ex Adami filiis, antediluvianorum Sveo-Gothicorum fons & origo?*

I. Reſpondet ſcriptura Cainum diſcedentem de facie Dei, conceſſiſſe in plagam orientalem horti Eden, ac ibi ædificaſſe civitatem, vel ut muris ſe anxium tranquillaret, vel ut Deo relicto, terreſtribus ſe in poſterum paſceret, vel deniq; ut inde veram Dei eccleſiam opprimeret; contra vero manſiſſe in occidente Sethum, & alterum ab altero per Paradiſum ſeparatum, Gen. 4: jam vero uti fugimus ad quæ ſemel cœpimus trepidare, ac uti pariter averſamur loca, quæ nobis vel incuſſerant metum, vel ſubjecerant pudorem: ſic credimus pia conjectura Cainum non modo fugiſſe memoriam credis, ſed & averſatum fuiſſe locum, ubi cœdes perpetrata, quantoq; diutius, tanto fortius, â peccati loco diſceſſiſſe, atq; ſic longius longiusq; eundo, tandem ad interiora Arabiæ ac Africæ veniſſe: ut nobis â Caino qua originem, heic primum nullus ſit metus.

*Objicis, ſicut per Japheti primogeniti Noachiani nepotes, noſtra Schytia eſt occupata poſt diluvium; ſic eſt illa ante habitata â Caini primogeniti Adamitici nepotibus, quod nos tanto magis perpendere convenit, quanto harmoniam inter Adamum & Noachum urgenus vehementius.* ℞ (i) Forſitan ſic contigiſſet, ſi Cain tam inſigniter non fuiſſet lapſus, promoviſſetq; Dei cura, etiam in hoc tertio, harmoniam inter Adamum & Noachum in multis alioquin conſpicuam: At quia excellentibus ſuis flagitiis ille commeruit ut alio verteretur, Deus quoq; ipſum alio vertit, & quidem ubi per acerbiores pœnas experiretur triſtiora fata. Primogenitura igitur ejus, qua alioquin debebat in Domino exultare, fiebat ei in laqueum: & ille ei confidens ſic rejiciebatur, ſicut temporali prærogativæ confidentes

judæi,

judæi, postponebantur â Deo, Rom. 9: (2) Quis novit mentem Evæ, dum dixit: *adquisivi virum eth jehova*, Gen. 4: 1. si intellexit *â* jehova, vel *cum* jehova, se felicem factam, nihil sensit absurdi, sed tantum dixit, quantum habetur 1. Sam. 14: 45, & Joh, 3: 21. quomodo quoq; mentem ejus interpretantur eruditorum pleriq;, Onkelos, Tremellius, Gallus & Venetus. Sin autem intellexit se adquisivisse *virum jehovam*, per adpositionem, sicut opinantur Fagius, Forsterus & Jonathan Uzielides: quia novit Messiam fore semen mulieris, & hunc suum filium scivit abunde esse semen viri, jam tantum abest, ut recte sentiret, ut contra, sortem suam deprædicando filium deificaret, & sic ipsa filiusq; fierent maledicti, juxta Sapient. 14: 8. seqq. Tam itaq; ob temeritatem matris quam ob suam arrogantiam potuit esse factum, ut â communi cursu deturbaretur Cain, damnareturq; sorte, qua dispensator summus inter Africanos voluit ipsum versare.

II. Deinde sicut Sethus fuit Semi typus, quod cernere possumus tam ex religionis, quam genealogiæ conservatione, Gen. 5: 4. seqq. sic debuit habitare, ubi postea habitavit Semus: at quia hunc constat vixisse in Asia, ex Gen. 10: 21. seqq. inde minime dubium, quin ante itidem ibi vixit Sethus: ad Sethum igitur dum loquimur de gentis nostræ antediluvianæ auctore, non licet provocare, salvis circumstantiis adparentibus.

III. Sed restat ut putemus antediluvianos terræ hujus nostræ, ab Abele esse prognatos, si Adam tantum tres habuit filios. Nimirum sicut novimus â japheti nepote, nos esse oriundos post diluvium; sic credemus antediluvianos nostros, ab Abelis nepote ante fuisse procreatos.

*Obj. Non legitur de Abele quod gloriabatur liberis: unde effa-*

*tum*

*tum ecclesiasticorum; quod carebat semine.* ℞ (1) Non quidem legitur de Abelis liberis quicquam explicite. (2) attamen quod & ille familiam aluit, ac consequenter quod filios habuit, videtur inde luculenter probari, quod religiose *sacrificavit:* nullis namq; nisi capitibus familiarum licuit olim sacrificare, quod patria potestas tunc esset & sacerdotalis & regia, Gen. 49. 3. conf. 2. Paral. 21. 3. Si igitur cœlebs vixisset in domo patris, non is sacrificasset, sed pater ipse, cui ratio sacrificandi divinitus erat imperata: & si vel maxime decessisset ante pater (quod tamen non fuit) neq; adhuc sacrificasset Abel præsente ac sacris juste intento, primogenito Caino, cujus erat lege divina, & sacrificare & fratribus imperare: At quia Abel vivente patre, præsenteq; fratre rite sacrificavit, & quidem ex ordinatione divina, quod colligere possumus ex Gen. 4: 4. inde conjicimus ipsum de domo paternâ egressum, & liberos habuisse, & familiam aluisse (3) Atq; ad hanc rationem, respiciunt omnes illi, qui ex Chaldæo paraphraste phrasin (*vox sangvinum fratris tui clamat ad me, Gen. 4: 10:*) explicant per modum physicum, ac si clamor ille, esset familiæ, posterorumq; *Abelis.*

*Instantia: Eo tempore non fuit à Deo aliqua lex lata de sacrificiis: & lex ceremonialis annon per Mosen?* Resp. (1) Quod ante Mosen fuit lex ceremonialis, videre possumus ex sacrificio Abelis, quod qua *auctorem, sui naturam ac qualitatem* placuit Deo, nec ita placuisset, nisi ex ordinatione divina totum dependisset: sordet namq; ἐθελοθρησκεία apud Deum, Matt. 15: 9. (2) Docet idem Deus ipse Gen. 7: 2, dum jubet segregari munda animalia ab immundis. Et licet per immunda intelligi possint, vel terribilia, vel sordida, vel humanis usibus alias incommoda: attamen minime dubium, quin â ritu sacrificandi istam differentiam Deus desumpsit. Tametsi

itaq;

itaq; hæc ſcriberentur poſtea per Moſen, Levit. 11. & Deut. 14. fuit attamen ante hanc legem ceremonialem, ordinatio non omnino nulla ſacrificiorum, ita ut non liceret cuiq; quidvis offerre, ſed illa tantum quæ in majore precio, atq; honeſtiora eſſent, quæq; cum ſacrificii cujusq; natura recte ad mandatum divinum, convenirent.

*Objicis annon potuit Adam plures filios habere, quam illos tres, quorum meminit Moſes; imo, ſicut legitur quod genuit filios & filias, Gen. 5: 4. ſic addit leptogeneſis apud Epiphanium, eum ſuſtuliſſe filios 9, & filias duas, referente Tremellio.* ℞ Tametſi ſuſpicentur nonnulli Adamum plures filios habuiſſe, quam tres illos fama & ſcripto Moſaico notos, & tametſi eos exprimant quoq; alii quoad numerum: videtur tamen non temere omnino poſſe ſtatui, quod tantum tres procreavit, quod *trium tantum meminerit ſcriptura ſacra, & quod tres tantum ferat umbra eorum, quos poſtea ex ſua conjuge ſuſcepit Noachus.* Si itaq; admiſeris eſſe ὑςέρωσιν, Gen. 5: 4. Jam erit hæc opinio ſalva, nec movebitur vel quicquam Leptogeneſi Epiphanii, cum illa in ſe ſit parvæ fidei, & ex illa alii 9, alii 12 filios recenſeant, ipſo diſcrimine itidem eam ut opinor, non parum extenuantes.

I. *Hic Tu ſuſpicaris nos juſto impenſius ad Abelem reſpicere, ac ideo erroris Valentiniani, non absq; cauſa, poſſe inſimulari.* ℞ Triplex hominum genus fecit Valentinus ac poſt eum Manichæi. (1) πνευματικῶν, qui per excellentiam ſuæ naturæ, ſine ullis operibus, fierent ſalvi. (2) ψυχικῶν, quorum natura imperfectior, bonis operibus indigebat. (3) σαρχικῶν, qui nullo modo ſalvari poſſent. Ex his ortos credebant Cainianos, ex iſtis Abelianos, & ex illis Sethianos; hosq; uniuscujusq; individui

 aucto-

auctores illi ducebant per prisca præsentiaq; tempora omnia, existimantes modernos præteritosq; electos, Setho debere suam originem, sicut contra reprobos cujusq; temporis, ad Cainum referri, & Abelem secuturos, quotquot operibus vellent cœlorum viam ingredi. Hæc opinio fuit Valentini qui vixit seculo secundo, post natum Christum; Quæ si in sese quoad hosce auctores, vera esset, jam fateor, multum dignitatis esset ac lucri, ad Abelem referre natales, si quis ad Sethum non posset eosdem ducere. Sed nihil nobis commune cum tali commento: nam nunquam ex scripturis probatur Cainianos cunctos absolute reprobatos fuisse, nec singulos Sethianos electos: Opera vero Abelianis aperîre cœlum, sic est falsum, sicut falsa est ipsa hypothesis, quæ clamat cujusq; fœtus ortum ac indolem procurari omnibus temporibus, â Cain Abel vel Setho, conf. Aug. de hæresi cap. 87.

Hoc ergo nomine, nobis perinde, sive Abelem, sive quemquam alium, posueris antediluvianorum nostrorum auctorem: rationes tamen ante positas, ubi rectius expenderis, videbis te haud temere observare Caino ad Africanos indomitos relegato, Setho itidemq; reservato in Asiæ cultorem, ob recensionis genealogicæ continuationem &c, nec non præteritis aut proscriptis Adami filiis aliis, quod jure plus quam simplici, antediluviani nostri ab Abele dicantur procreati. Et pulchre quoq; convenit vita provinciarum harum aquilonarium cum vita Abelis: ille delectabatur pecoribus, ita iisdem delectamur etiamnum nos Sveci: simplex erat ille ac credulus, ita pariter simplices ac credulos nos Sveo-Gothos, parit genius nationis nostræ: sicutq; illè notatur in sua integritate per simplicem credulitatem deceptus, sic novit mundus totus de

no-

nostra credulitate pia loqui: nimirum quomodo armis invicti, per credulitatem simus sæpius circumventi

Ac fuerit deniq; antediluvianos illos non fuisse satos à posteris Abelis: docet tamen res ipsa, *in natura fatisq; Sveo Gothicis etiamnum quasi expressa*, quod ad eum auctorem illi erunt reducendi, qui Abelo fuit per omnia simillimus, sive filius ejus is fuerit; sive ex quoquam fratre, cognatus alius.

II. Quæris, *an consultum referre natales ad Abelem, qui occisus fata reliquit parum prospera*: Responderi potest (1) Si per debilitatem cecidisset Abel, non utiq; congrueret cum Schytica fortitudine, ad eum provocare: at non ullo certo documento constat per ignaviam, eum cecidisse; bene igitur ad eum, quanquam occisum, potest Schytica magnanimitas referri. Nam non semper occisor est occiso fortior, quod docent innumera exempla, & sæpe plures per insidias circumveniuntur, quam qui prosternuntur vi aperta, nihilq; tam validum constituit natura, cui non etiam ab infirmo sit periculum. &c. (2) Si sua aliqua culpa hanc necem commeruisset Abel, parum itidem conduceret, ab eo derivare originem; At quia qua hanc mortem, ille fuit innocens, ceciditq; tantum causa Dei, ab eo dependere, haud fuerit molestum. (3) Quia itaq; causa Dei cecidit, jam sicut in ecclesia Dei martyrum sangvis effusus, crescit ac revirescit mystice: sic pariter physice in nepotibus crevit sangvis Abelis: tantumq; abest, ut boreas ab ipso satus, colonis usquam sit exhaustus, ut contra tanto rore imprægnatus, fœcundo omine per omnia tempora, tunc æque ac nunc, sit vagina gentium constitutus.

III. Tandem ultimo *priora nostra omnia impugnas auctoritate S. Epiphanii, qui asserit ab Adam ad diluvium fuisse βαρβαρισμον.*

*σμον, inde ad Abraham veniſſe σκυθισμὸν, tum ſucceſſiſſe ἑλληνισμον, ac ultimum in V. T. ſecutum ιουδαισμον.* ℞ Fatemur Epiphanium occaſione dicti Apoſtolici ad Coloſſ. 3: 11. hæc talia tradidiſſe (1) Sed ut ejus Patris multa alia ſunt fidei ſuſpenſæ; ſic nec legentibus cum judicio, hæc ſua unquam perſvaſerit. (2) Et an fuit barbariſmus ita ante Schytiſmum, item hic ita ante Græciſmum & judaiſmum, ne duo ad minimum, ſi non plures, conjungi poſſent, aut ad unum tempus reduci? conjuncti fuerunt tempore Chriſti, & pariter diu conjuncti ante. (3) Inſpiciatur ergo textus Apoſtolicus, & adparebit quod non ordo eorum ibi recenſeatur, ſed doceatur quod tunc tempore Apoſtoli cuncti ſimul extiterunt, &c. (4) Invertimus igitur argumentum Epiphanii, ac ſicut ille antediluviano tempori dedit barbariſmum, ſic eidem nos quoq; damus Schytiſmum, quod barbarum ac Schytam in loco allegato, Apoſtolus Paulus conjungat. (5) Imo, ſicut *Scaliger in nobis ad Euſebium 250. z. à veteribus patribus eccleſiaſticis, ait primi ſeculi homines dictos σκυθας (propter ejus gentis excellentiam) eorumq; idolomaniam dictam σκυθισμὸν καὶ βαρβαρισμὸν* &c: ſic crediderim ſeculis antediluvianis poſtremis fuiſſe & Schytiſmum & barbariſmum: hunc in Africa, & illum in Europa conf. infra cap. 8.

*Et tantum de ſubjecto intentionis noſtræ in hoc libro, h. e. tantum hac vice de populo noſtro antediluviano, cujus hiſtorias Eccleſiaſticas ut poſſumus, conſtituimus rudi dictione memorare; Non quidem fuit inſtituti noſtri, in populi ipſius exiſtentiam ac auctorem inquirere: pro more tamen hiſtoricorum aliorum potuimus nos idem facere; imo, debuimus, quod alii noluiſ-*

*ſent*

*sent hoc argumentum ante nos explicare, suoq; labore nostrum levare. Optamus dehinc in idem advolaturos alios, quorum faventi operâ nostra hæcce ornari augeriq;, & speramus & rogamus.*

## CAP. IV.

*Notat Synopsin Theologiæ patriotarum antediluvianorum, ubi occurrit.*

### I. Circa Credenda.

I. *De verbo Dei*, ipsis â Deo clementer indulto, in lapsus notitiam, Gen. 3: 8. seq. beatamq; ex eodem restitutionem, Gen. 3: 14. seqq. ac consequenter in gloriam Dei, Gen. 4: 26.

II. *De Deo noverunt* antediluviani, partim per naturam qua existentiam, uti testatur Cicero, partim per revelationem divinam, Gen. 3: 22. unice vero per revelationem sciverunt eum esse unum in essentia & trinum in personis, Gen. 1: 1. & 26. conf. Gen. 4: 26.

III. *De creatione noverunt* per naturam qua existentiam, Rom. 1: 20. seq. & per revelationis gratiam qua existentiæ certitudinem ac modos, Gen. 1:

IV. *De providentia Dei* circa omnes res, sciebant per naturam, & revelationis gratiam, Gen. 3: 17.

V. *De Angelis* & quidem bonis, sciebant cumprimis per revelationem; & pariter de malis, per revelationem, Gen. 3: 15.

VI. *De lege Dei* noverunt per naturam & per revelationem. *Legem moralem* habebant per naturam sibi utcunq; inscriptam, Rom. 2: 15. sicut porro eandem intelligebant

per

per divinam revelationem, Gen. 3: 17. nimirum audiebant illam non tantum quoad certa præcepta per specialem promulgationem Gen. 4: 10. & 2: 24. sed & intelligebant illam quo ad rationem internam, nempe quoad adpetitum pravum, Gen. 4: 6. *Legem ceremonialem* observandam in oblationibus ac sacrificiis, acceperunt itidem per revelationem, conf. Gen. 4: 4. cum Matt. 15. 9. *Forensis* autem sicut qua honesti rationem externam, dependet â dictamine naturæ, Rom. 1: 20. seq. ita considerata eadem pro illo tempore in potestate patria, tam dependebat â natura, Exod. 20: Conf. Eph. 6: 1. quam ab institutione divina, Gen. 2: 18.

VII. *De servo suo arbitrio in spiritualibus* habuerunt per revelationem, Gen. 3: 10. & 19.

VIII. *De peccato*, per naturam Rom 1: 32. ac per revelationem, tam verbalem, Gen. 3: 11. quam repræsentativam in sacrificiis: sic enim deberemus nos dilaniari ac mactari, sicut cœduntur victimæ, & sicut quoq; Christus, agnus innocens, pro nobis est mactatus.

IX. *De justificatione* sciebant per revelationem, Gen. 3: 17. & 5: 7.

X. *De Christo*, Deo ac homine, qua naturas, & mediatore qua officium, &c omnia per revelationem, & primum verbalem, Gen. 3: 15. deinde repræsentativam, in sacrificiis.

XI. *De fide*, per revelationem, Gen. 3: 15. Conf. 4: 1. & 5: 29.

XII. *De resurrectione â mortuis*, per naturam 2. Thes. 1: 6. seqq. ac per revelationem, Gen. 4: 10.

XIII. *De resurrectione ad gloriam* per revelationem & per physicam inspectionem, Gen. 5: 24.

XIV. *De resurrectione ad æternum exitium*, seu de reprobatione, considerata qua rationem genericam, & sub genere

nere mali, per naturam, 2. Thes. 1: 6. & de eadem considerata in certis qualitatibus, per revelationis gratiam, Gen. 2: 17.

&c, &c.

## II. Circa Agenda sciebant

I. *Diffidere viribus propriis*, Gen. 3: 10.

II. *Dolere de infirmitate connata*, Gen. 4: 26.

III. *Credere in promissum Messiam*, Gen 4: 4. ejusq; beneficio nec sathanam, nec mortem metuere, Gen. 3: 15. & 5. 29.

IV. *Gratias agere Deo* pro verbo revelationis Gen. 5: 29. cunctisq; suis beneficiis.

V. *Venerari Deum ut unum in essentia, ac trinum in personis* ex revelationibus; eundem ut *summum* ex creatione, ut *justum* in attributis ex lapsus ultione, nec non ut *bonum ac misericordem* per restitutionem nostram ex lapsu, itidemq; ut *mirabilem ac beneficum*, ex rerum creatarum mirabili providentia.

VI. *Colere quoq; eundem* non privatim tantum, precibus ac fiducia, Gen 3: 15. sed & publice ac in conventibus per sacrificia ab ipso imperata, jussaque fieri cum sæpe alias, tum maxime ordinarie septimo quoq; die, in memoriam sanctificationis, Gen. 2. 3. conf. Exod. 16: 25. seqq. & 20: 12.

VII. *Studere bonis operibus*, Gen 4: 7. ac vivere inculpate cum in matrimonio, Gen. 2: 18. tum extra.

VIII. *Expectare beatam liberationem* ex hac miseriarum valle.

&c, &c.

CAP. V.

# CAP. V.

*Ostendit nostrorum antediluvianorum pium zelum circa religionis negocium,*

I. Digresso Caino in suas terras, si Adam aliquot annos vixit absq; studio prolis, uti contendunt nonnulli, credendum quod sic abstinuit, ut Deo probaret patientiam suam ac dolorem, ob grassantem impjetatem dicam, an temeritatem filii improbi: sed fortassis non diu abstinuit. Quia ergo invaluit fide, maxime juxta vota conjugis, fore ut in locum occisi Abelis, Deus benedictione sua sibi substitueret filium alium, hinc uxorem rursus cognovit, Sethumq; felix procreavit, Gen. 4: 25.

II. Sed jam libidine cœperunt fluere omnia apud Cainitas, superbos suis muris, ac locupletes præda, rapinisq;; & pariter illecebrosa eorum conversatione, seducebantur de vera ecclesia alii; cum Setho ergo postquam adolevit ac sibi familiam paravit, cœpit Adam *invocare nomen jehovæ*, *Gen.* 4: 26. h,e. cœpit publice profiteri ejus nomen, ut quemadmodum eum hactenus ambo coluissent in suis familiis, sic nunc congressi in unum, eum in ecclesia colerent precibus, hymnis ac sacrificiis, conf. Luther. super cap. 4: Genes. Volebant scilicet hac ratione & desperatis Cainitarum rebus pie illacrymari, & publica cultus divini professione, sancte testari, se ab eorum consortio esse diversos, mutuisq; subsidiis ac exhortationibus auctos per Dei gratiam, in perpetuum fore alienos. *Atq; hæc acta sunt in Asia periodi antediluvianæ seculis mediis.*

III. Sed neq: minori religionis Zelo sacra peregerunt in hisce locis, vel Abelis, vel Adami cujusdam filii alius, liberi nepotesq;: pietatem quippe quam Sanctus pater eis instilla-

ſtillaverat, ſecum circumferebant ubiq;; ac proinde *ſicut Abel pater*, ſacrificiis Deo litavit, meruitq; coram mundo nomen fidelis, Heb. 11: 4. aut ſicut in nomine Domini, alludens vel ad tetragrammaton Jehova, vel explicite ad Chriſtum ipſum, prout ſuſpicantur auctores, invocavit *avus Adam*, ſic ſtatui poteſt, quod & illi rite ſacrificarunt in ſuis familiis, & quod nomen Dei religioſe invocarunt. Fuerunt itaq; illuſtres coram mundo, tametſi non eſſent qui magnopere ad pietatem eorum attenderent, quod digreſſi per terras Schyticas, ad haſce noſtras Sveo-Gothicas oras, interpoſitis tot vallibus ac nemoribus, non poſſent pietatis exemplo, alios illuſtrare vel concitare.

*Ais, non nominantur in ſacro codice, ergo ceu impii non fuerunt S.Sancto curæ?* ℞ (1) Sunt equidem impiorum fata talia,ut cito de terris pereant, Deut. 32: 26. Pſal. 9: 6. & tametſi nomina eorum ceu Cainitarum, aliquando injiciantur, ſic tamen catalogus eorum abrumpitur, ut temporum luce carens, non inſerviat chronologiæ Sanctæ, ſicut erudite obſervat Abrahamus Bucholzerus (2) Hoc tamen perpetuum non eſt, qvod ſæpe quoq; ſilentio involvantur pii. Et Spiritui Sancto ſi propoſitum fuiſſet ſingulorum piorum vitas recenſere, utiq; eorum nullius vitam præteriret, ſed tantum impiorum: At quia viſum illi fuit tantum quoſdam memorare, ob rationem genealogiæ, ac ut traderet chronologiam per exempla quædam memorabilia: hinc fit ut cum improbis, obliterentur multi pii. (3) Et hæc quoq; eſt ratio, cur neq; Abeliani omnes, neq; ſinguli Sethiani in ſacris literis recenſentur: nimirum quia *S. Sanctus volebat per ſucceſſiones certarum generationum ex uno homine propagatarum, pervenire ad Abrahamum, ac deinde ex ejus ſemine, ad populum Dei, prout ſcribit Auguſt. de Geneſ.*

# CAP. VI.

*Inquirit in interiorem antediluvianorum nostrorum statum, ac potissimum,* an Adam heic aliquo tempore fuit Episcopus, *speciose discurrit*

Esset hic addendum, *quanta illa antediluviana ecclesia, qualisq; fuit singulis seculis*; foret quoq; nunc memorandum, *quid distinctis in locis per terras nostras, tunc sit actum*; *quis ecclesiarum inspector & quæ laus religionis singulorum*: sed in tanta vetustate, tacente scriptura humana pariter ac divina, quid certi dicere vel habemus vel audemus? *Dixerit aliquis Adamum hic fuisse, ac Episcopum apud nepotes suos fideliter egisse*; erunt mox alii, qui id negabunt, non per solida argumenta; sed quod ipsi auspiciis illustribus destituti, tantum tenuia per livorem nobis relinquant, aut quod credant multi nobis deturbatis ad initia obscura, se solos superstites, qui coram mundo, illustres adparebunt; aut deniq; quod nostrorum non pauci, hanc vetustatis gloriam ipsi desperent: attamen non sunt contemnenda documenta, quæ probant Adamum heic in nostris terris olim vixisse.

I: Fuit is typus Noachi: ut itaq; constat Noachum in Europa fuisse, sic pariter credi potest heic fuisse ejus typum Adamum. Non quidem ex conditionibus singularibus antitypi, formaverimus per collectionem, quemquam typum: attamen sicut in multis notavimus ante, convenientiam inter Adamum & Noachum; sic speramus illam etjam in hoc tertio valere, maxime cum videamus esse & alia, quæ eandem in hoc eodem, probent non obscure.

II. Neq; nos primi sumus, qui hæc audemus. Berosus jam pridem & ante aliquot secula, docuit eadem. Ac tametsi ille sit suppostititius, uti docent nunc viri eruditi; non

tamen

tamen rejiciendus est in omnibus, cum præter fabulosa, contineat ac exprimat multa præclara. Tu itaq; sicut vides in eis credi Noachum mundi restauratorem, fuisse in Europa; ita simili fide credideris heic fuisse Adamum, mundi plantatorem: explicat namq; alter alterum in fatis plerisq;

III. Videtur quoq; paternus Adami animus exegisse, ut si decedentes in nostras terras, nepotes atnepotesq; minus sequeretur statim, eosdem tamen inviseret postea, quod cordi suo habebat inscriptum, de eis agere paternam curam, Eph. 6: 4. & 9.

IV. Et quis porro novit, annon idem ei fuit mandato divino imperatum? Colloquium inter Deum ac Adamum describit quidem Moses, at non totum illud exscribit, neq; addit quoties id fuit factum. Sacrificia fuerunt Adamo injuncta â Deo; attamen â Mose, & illis locis, non notantur: nedum explicantur sufficienter. Similiter potuit Adamo esse mandatum divinum speciale, ut pergeret, quorsum eum ducebat favor paternus, nec non quorsum eum trahebat zelus propagandæ per orbem terrarum, Ecclesiæ Dei: tametsi in sacro codice idem non adpareat.

V. Sicut pectus Adami tunc temporis fuit quasi *Dei bibliotheca*, unde vera theologia potuit hauriri; sic non potuit non Adamus eam cum omnibus suis nepotibus offerre, tum præcipue iis, qui eam desiderarunt. At quia in eorum numero, fuerunt nostri antediluviani; igitur probabile omnino est, quod Adamus eos *invisit*, *erudiit ac prudentia firmavit*.

VI. Et cur in tot annos prolongabatur ejus vita? Recensueris forsitan hujus rei causas aliquot physicas, non omnino inconvenientes: scies tamen principes fuisse

(1) Ut promissiones, omnem humani ingenii sensum exuperantes, ipse imbiberet altius; (2) Ac ut nepotes suos in cognitione Dei, & Messiæ, diutius informaret. Huic vero intentioni dicam an ordinationi divinæ, ille non fecisset satis, si suos qui aquilonem intrassent, vel semel non invisisset: præsidiis quippe subsidiisq; â Deo per naturam ac revelationes cœlestes, datis, tunc eos fuisset frustratus: quod de tanto parente nobis religio est sentire, memoribus, & pietatis zelo ipsum Adamum arsisse, & in absentia sua per Asiam Sethum, Enochumq; felices ac vigilantes vicarios habuisse.

VII. Licuit diversis gentibus aliis antiqua sua fata probare veteribus cantilenis ac traditionibus, cum ad eadem, non accederent gloriâ literarum. Id licuit quondam *Romanis* teste Ciceronis Tuscul. Quæst. libro *1.* *Est in originibus ait, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum virorum virtutibus*, &c, Sic fecerunt hactenus *Dani*, uti testatur in præfatione sua ad historiam Sturlsonii Doctor Wormius: ac in rei fidem quomodo antiquas Cantilenas usurparunt Dani Norvegiq; ad probanda vetera sua monumenta, vide ex ejusdem Snorronis Sturlsonii historia passim, nec non ex Konunga Sagun, qui liber sumptibus *illustrissimi Comitis Dn. Petri* Brahe/ etc. *Regni Drotzeti celsissimi, nec non Academiæ nostræ Ca. cellarii Magnificentissimi*, nuper in folio Wisingsborgi prodiit.

Hæc eadem gratia si nobis obtingat, jam tantum abest ut in ambiguo ponamus, quod Adam fuit in hisce Sveo-Gothicis terris, ut contra eodem documento traditionis ac cantionis suffulti, credamus eum hic omnino vixisse, cum nullus sit angulus per Sveo-Gothiam nostram, in quo non

per

per traditionem sciant pueri æq; ac senes, dicere: När Adam bodde i fälckestad/ primum semper intelligentes.

Ergo his stantibus documentis, sequitur plane Adamum heic fuisse, ac in loco fälckestad aliquamdiu vixisse: aliquamdiu inquam, hic vixisse. Nam quod totum vitæ tempus hic non consumpserit, constat ex ejus historia. In Asia fuit ille satus, in Asia quoq; cum Setho sacra operatus, nec non ibi ultimis fatis notatus: imo, in monte Calvariæ humatus, uti ex Hebræorum magistris scribit Athanas. in segmento Orationis de passione Salvatoris, pag, 580. aut uti ex antiquorum relatione idem narrat August. serm. 7. de tempore tom. 10. dum ad locum sepulturæ alludens, *Adam primus homo* inquit, *est sepultus in ipso loco, ubi crux fixa fuit, locusq; calvariæ ideo est dictus, quia caput humani generis,* (Adam) *ibi dicitur sepultum*, &c, Etsi alii aliter, nam non est dissimulandum quod scribit Salomo Trecensis: *Dicitur inquit, Cariatharbe, quod fuerunt ibi 4 gigantes, Achiniam, Sisai Thalmei & pater eorum: aut quod ibi sepulta sunt 4 paria, Adam & Eva, Abraham & Sara, Isac & Rebecca, Jacob & Lea* &c, conf. Hieron. in Josv. 14: 15. ubi similia repetit.

Hactenus ergo si vicimus Adamum per hasce terras habuisse inspectionem ecclesiarum Dei, vicimus itidem & id, quod illæ eodem inspectore floruerunt aliquamdiu felices; nam putare convenit, quod Adamus tam ex paterno suo animo in nepotes, quam per zelum ardoremq; divini nominis, adnitebatur eas omnibus modis servare ac propagare. *Quid tamen præstiterit singulariter, quæque habuerit statuta ecclesiastica*, propter defectum monumentorum, dicere nihil audemus.

# CAP. VII.

*Ostendit quomodo per Seth & Enoch antediluviani nostri sint in religionis negocio aucti ac stabiliti.*

Quin & per alios sunt antediluviani nostri si opus fuit, in via recta servati. Fuere illi alii, Seth & Enoch patriarchæ. Sed hosce non ponimus ecclesiarum, per hasce terras inspectores; attamen tales illos concipimus, qui nostros illos priscos servare ac confirmare potuerunt: summis etenim ministrantibus donis fuerunt iidem â Deo ornati, ac per eadem quoq; in toto orbe fulserunt celebres

## I. De Setho.

I. Affirmat Cedrenus quod Seth (1) *Ob splendorem faciei sit Deus adpellatus (2) Quod idem errantibus stellis imposuerit omina. (3) Quod literas scripserit. (4) Quodq; ab angelo raptus, imbutus sit cognitione futuræ suorum posterorum impietatis, ac diluvii eam insecuturi, nec non adventus Messiæ in carnem, specialibus conditionibus adumbrati.* Hæc etsi propter auctorem esse possent in suspenso: in se tamen â veris non plane sunt absona, & quædam quoq; eorum probantur per auctores alios.

II. Quod Sethus sit Deus adpellatus refert Svidas. & quod scripserit, astrorumq; aliquam rationem reddiderit, docet expresse Josephus lib. 1. Antiq. cap. 3. quod vero revelationibus idem fuit gavisus, id docent etiamnum plurimi.

III. Traxerit ergo is aliquos desiderio, vel videndæ suæ faciei; vel cognitionis Astrologicæ, eos adventantes non potuit non juvare felici informatione, cum propter hos tales, Deus ipsum & longa vita, & spiritus donis ante

ornas-

ornaſſet. Et fuerit quoq; quod nemo hoc nomine eum conve- niſſet; attamen ſicut per revelationem habuit de imminentibus diluvii malis: ſic per fraternum ſuum animum non potuit non eadem ad cognatos ſuos deferre: flagrantior quippe eſt in tantis, tamq; divinis ingeniis amor, cum in omnes homines, tum præcipue in cognatos ac fratres, quam ut quicquam quo juvari poſſunt, relinquat inexpertum, quod ſuo exemplo probat Apoſtolus Paulus, Rom. 9.

## II. De Enocho.

I. Chanochum deberem ſcribere, ſi ſcripturam ſacram ſequerer in exprimendo Jaredi filio, viro pietate ac adſumptione in cœlos, celebratiſſimo: Sed libuit ſic ſine adſpiratione ejus nomen pingere, juxta morem quorundam librariorum, variorumq; porro populorum, qui ad hanc notam nec ante attenderunt ſollicite, nec attendunt etjamnum: præprimis tamen ſic ſcribo, quod hoc ſcripturæ vitio, hic Chanochus â Chanocho Caini filio, ſonantius diſcernatur.

II. Hunc Enochum ex Eupolemo vetuſto ſcriptore narrat Euſebius Aſtrologiam primum inveniſſe, inventamq; cum Ægyptiis ac Babyloniis communicaſſe. Ac ne Amplius ejusdem inventionis nomine celebretur aliquis Atlas vel Atlis, ab ipſo diverſus, ait idem Abrahamum ex Ægyptiorum ſacerdotibus didiciſſe. Similia refert Joſephus Antiquit. lib. 1. dum affirmat σοφίαν περὶ τὰ οὐράνια, καὶ τὴν τούτων διακόσμησιν *â filiis Sethi traditam cultamq;, ac ne obliterari poſſet unquam vel intercidere, in eo quem Adam prædixerat orbis univerſi interitu, duas erectas columnas, unam è lateribus, alteram è lapidibus, ut nec flammis nec undis utraq; periret, &c.*

III. Si

III. Si ergo Enoch (1) Informatione astrorum imbuit Ægyptios Babyloniosq;, descendentes de flagitioso Caino, utiq; eâdem & insuper quoq; spirituali, ornavit ille reliquos suos cognatos per Europam dispersos, ac religioni sacræ hactenus semper addictos. (2) Si tanto desiderio servandæ suæ doctrinæ flagravit Enoch, ut duas columnas erigeret, per quas post sua fata, non posset illa aboleri unquam aquis aut flammis: credibile quod quoq; ardebat in eadem propaganda per sua tempora, vivus. *Inhæret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum, idq; in maximis ingeniis altissimisq; animis & existit maxime, & adparet facillime*; teste Cicerone. quanquam itaq; eædem mentes negligunt mortem, nec recusant labores sub spe immortalitatis, & quod post corporum fata, sperent se vivas volitare *per ora virum*, uti loquitur Ennius: non negligunt tamen eædem captare occasiones, quibus conjunctæ corporibus, possunt apud multos deprædicari & celebrari. atq; hoc primum est, quod conjicimus contigisse Enocho nostro, ut homini. *Deinde* quoniam ambulavit ille *coram Domino*, *Gen. 5: 22.* h.e. interprete B. Luthero, quoniam ille ratione officii ac ministerii, eminebat præ omnibus antediluvianis, ceu ab optimis excellentissimsq;, iisq; pluribus magistris institutus, ac insuper â S. Sancto ornatus, in isto originali mundo erat quasi prophetarum propheta, & Sanctorum Sanctus, jam fuit aliud principium, cur doctrinam suam studebat & servare, & propagaie. Nimirum per zelum pietatis ac officii, credimus ipsum sic fuisse adnisum, ut non esset angulus aut rima, in quam non voluit sacram religionem proseminare & in quamquoq; eam non proseminavit sedulus.

CAP.

# CAP. VIII.

*Differit de occasu religionis sacræ apud antediluvianos nostros, injicitq; quomodo neglectis concionibus piis, iidem cum cæteris terrarum incolis, diluvio universali sint excisi.*

Illis ducibus stetit ecclesia antediluviana, & iisdem quoq; aliquantisper floruit nostra: sed quid factum? defloruit labentibus seculis, ac cœpit evacuari. Ardorem quippe religionis debuerunt antediluviani nostri intendere, ut clementione Deo uterentur, ac ne amplius maledicerentur in suis operibus: sed eum illi remiserunt, tandemq̀, seculis præsertim ultimis, â Deo pleriq; defecerunt. Perinde igitur sive Adam eorum ecclesiam quondam rexit præsens, sive Seth & Enoch absentes, sive deniq; religiosus quisquam alius, inundantibus vitiis ac flagitiis, illa tota de die in diem, sensim evanuit. *Quæsiveris tu hic, quæ vitia, quæq; flagitia, in quæ ruebant illi antediluviani, & ob quæ perdebantur?* ℞ Arbitror hic planum esse, neq; nostros antediluvianos, neq; gentem ullam aliam, ob solam connatam malitiam, tunc aquis diluvii fuisse oppressam: majorem quippe Dei indulgentiam speramus ipsis contigisse, quam ut temporaliter per defectum naturalem, exscinderentur ruina communi. Equidem ad illam, inter peccata alia respexit justus Deus: *Non amplius maledicturus sum terræ propter hominem, eo quod figmentum hominis sit malum â pueritia ipsius, iterumq; non percutiam amplius omnia viventia, quemadmodum feci*, loquitur Deus ipse, Gen. 8: 21. Attamen propter illam solam, genus humanum tunc non extinxit. Alia vitia grassabantur, quæ concitabant Deum ad iram, sicq; urebant, ut opera sua, quibus ceu benignus pater voluit parcere, non

possset non justus destruere, conf. Svecum nostrum interpretem, Gen. 6: 12. seq.

Videntur vero illa non omnia prorsus eadem fuisse in omnibus locis, sed alia fuisse, quæ eminebant apud Africanos, & alia in quibus excellebant nostri Europæi: probabileque in his duobus populis, cœtus sacros ante evanuisse quam evanuerunt illi per Asiam: at postquam & Asiani defecerunt, publicis flagitiis Africanorum corrupti, nostrorumq; Europæorum gigantum sævitia effœrati, jam apertas esse valvas cœli, imbribusq; largis, Noacho tantum cum suis servato in arca, extinctum totum orbem, 2. Pet. 2: 5.

*Ais, hæc particularia, tibi nova esse; te igitur cupere distinctius eorum faciem accipere.* Apud Cain & Cainitas ut constat ex scripturis, grassabantur (1) *insidiosa simulatio ac dissimulatio*, Gen. 4: 8. (2) *homicidia fraudulenta* Gen. 4: 8. & 13. (3) *impudentia*, Gen. 4: 9. (4) *imperium muliebre*, Gen. 4: 23. (5) *Polygamia*, Gen. 4: 29. &c, Ac quia Cain cum suis occupavit Chaldæam, Ægyphtum & vicinas per Africam sitas regiones, hæc ejus recensita vitia, nepotumq; illis similia alia, dicimus *Africana*.

Gigantes vero videntur fuisse Europæi, quod probatur (1) *Ex vestigiis eorum*, heic passim notatis, & quod nunc ad pag. 8. est addendum, (2) *Ex eorum operibus stupendis*, in movendis ordinandisq;, verius magnis rupibus, quam saxis: notantur quippe passim per patriam nostram ejusmodi ordinationes: ac ut singulæ humanam industriam, efficientem causam, arguunt; sic facile mole ipsa ostendunt non vulgaris fortis aut roboris homines, etiam adhibitis artificiosissimis instrumentis, eas disposuisse. (3) Addit

quoq;

quoq; scriptura ipsa eos *celebres* fuisse: crediderimq; ego bellis potissimum eorum celebritatem fuisse partam, cum per bella inclarescere, sit Europæorum omnium, & præprimis nominis nostri Sveo-Gothici, nec non Schytarum aliorum. Illius vero temporis gigantes tanto magis probabile est, quæsivisse celebritatem, sicut viribus supra omnes eminentes, eis fuit facilius, illam bellis ac incursionibus obtinere. *Cædes itaq; ac oppressiones publicas*, arbitror fuisse eorum peccata: ac quia eos concipio, uti modo innui, Europæos, enumerata gigantum mala bellica, nomino *Europæa*.

Sic ergo grassabantur jam duæ orbis partes Europa & Africa, in variis magnisq; flagitiis, & propter eadem, tametsi commeruerunt ambæ deleri, justo Dei judicio; attamen sicut Sodomam toleravit Deus, quamdiu ibi aliqui pii adparuerunt, Gen. 18: sic quoq; toleravit hasce duas, quamdiu aliqui pii in eis inveniebantur, ac præcipue quamdiu non erat prorsus publica ac communis defectio, per Asiam.

Non quidem negandum quin eas Deus quandoq; plagis vexavit, nam constat quomodo per Arabiam, vel in Africa fatigavit Cain & Cainitas, *exprobratione*, Gen. 4: 9. *nova maledictione*, Gen. 4: 10. *laborum frustratione*, *exilio*, Gen. 4: 12. *metu*, Gen. 4: 14. *ignominiosaq; nota*, Gen. 4: 15. credibileq; quod etiam per Europam, gigantum ferociam plagis suis retudit: sed neutri parum aut nihil, illis sunt moti, & uno aut altero resipiscente, plures flagitiorum dulcedine inebriati, reprehensionem damnarunt. Constat Cainum nihil meliorem factum suis pœnis: quin contra castigatum *indulsisse voluptati, neq; sine aliorum injuria, auxisse domum suam è rapinis & violentia, suisq; ad rapinas & latrocinia ducem venisse, ac militiam docuisse*, teste Josepho lib. 1. Antiquit. cap. 3.

Similia de Caino ſcribit Cedrenus lib. 1. Annalium, οὐκ ἐπὶ νουθεσίᾳ ait τὴν κόλασιν ἔλαβεν, ἀλλ' ἀπ' αὐξήσεως τῆς κακίας, ἡδονὴν μὲν πᾶσαν ἐμπορίζων αὐτοῦ τῷ σώματι, καὶ μετ' ὕβρεως τῶν συνόντων δέεσθαι ταύτην ἔχειν. Quid? horribiliora adhuc de ipſo poſterisq; ejus, addit Beroſus, initio Antiquitatum ſuarum: *Confiſi, inquit, inventis armis omnes oppreſſerint, libidiniq; inſervientes invenerint papiliones* (tentoria) *& inſtrumenta muſica & omnes delicias, manducarint homines, procurarint abortus, in eduliumq; præpararint, & commixti matribus filiabus ſororibus, maſculis & brutis, nihil non ſceleris admiſerint, contemptores religionis & Deorum*: &c. Talis ergo cum Cain eſſet, recte propter hanc ſuam voluptatem, enervatiq; animi flagitia alia, commeruit Dei iram, dignusq; fuit, qui extirparetur funditus.

Similiter cum bellis injuſtis miſceret omnia Europæus gigas, ac viribus ferox, velut numen ubiq; volitaret; jam & ille deleri meruit: utrumq; tamen tulit adhuc μακροθυμία divina, 1. Pet. 3: 20. ut interpretor, quod illos ſuſtinerent aliqui pii, & quod nondum per Aſiam uti dixi, prorſus defeciſſent Sethiani: Poſtquam vero & hi Aſiatici, hactenus *Filii Dei* dicti, ob Sethi ſui auctoris, pulchritudinem, & ob veram ſuam religionem; non tantum plenis velis tranſibant in horrendum barbariſmum animorum vecordia: ſed & poſtquam induebant Schytiſmum ſtupendum, animorum ferocia h. e. poſtquam iidem capti pulchritudine ac libidine fœminarum Africanarum, cum conjugibus ruebant in Africana flagitia, edentes, bibentes, nubentes & ducentes, Matth. 24: 38. conf. Luc. 17: 27. & poſtquam admiratione Europæorum gigantum capti, proſcripta omni pietate, vel prolabebantur in Europæa eorum peccata, vel ipſos pro numinibus venerabantur, 2. Pet. 2: 5. jam amplius partiales pœnæ non ſufficiebant: ſed totali ruina per diluvium, cunctos Deus ſubmergebat.

CAP.

# CAP. IX.

*Exprobrat antediluvianis nostris eorum impiam vitam, ostenditq; adversus potentem Dei manum, in hisce humanis, eis nihil fuisse præsidii.*

Fatis omnia volvi, novit quisquis fatorum vel postremam vim novit. Novistis & vos ô antepopulares, de fatis multa loqui; sed sic novistis, ut vos caperet eorum fors, quæ dum ingruebat, longe aliter volvebatur, quam fuistis opinati. Felices vos suspicabamini sedis certitudine ac commoditate, fuissetis quoq; illis nominibus felices, si vestram sortem usurpassetis, iis viis, modisq;, quibus vos illam usurpare voluit, jussitq; supremus rerum moderator. Ast ejus jura neglexistis, nescio ignavia observationis, an fiducia subsidii externi. Debuistis venerari supremum numen, illiq; confidere, ut vobis omnia bene cederent: at nihil tale ostendistis, credo quod terminus fatorum vobis imminens, efficiebat, ut saniora consilia neq; velletis, neq; possetis. Equidem vos non fugiebat, sceleratam vitam excisioni esse vicinam, ac jam jam imminentis diluvii concionem ac documentum, audistis, vidistis quoq; apud Noachum: sic tamen vixistis, ac si bonis operibus nullum esset præmium, nullum malis: forsitan sperabatis cladem â majoribus pariter ac coætaneis vestris præconibus, denunciatam, averti, vel aliorum solerti metu, vel quod vos tutos facerent, aut imbribus excipiendis destinati per totam terram, fluvii maximi, vel supra quamvis aquarum vim, eminentes montium vertices: Fefellit vero Vos spes vestra; nam ut vestri similes fuerunt alii, h. e. sicut vos, pleriq; impœnitentes: sic quod adversus nutum divinum, nihil præsidii suppeditet neq́, solertia humana, neq; vis na-

turæ, ipsi subsidiis omnibus delusi, estis probe experti Emisistis gigantes vestros numina paulo ante, per varias terras, sed illi etsi ictus crebros vibrarent, quid tamen adversus frementem dominum valebant, quid adversus cadentes torrentes agebant? solutis apertisq; valvis cœli, pro quolibet ictu illi se centum obrui notarunt: obtuderint ergo centissimum quemq;, annon à cœteris sunt superati? sunt onerati, sunt â cœteris submersi, etiam ab illis, quos inter cadendum vibrationibus conabantur eludere. Neq; plus subsidii habuistis in fluviis vestris. Fuerunt illi destinati excipiendis imbribus quibusvis: nihil ergo adversus hanc dispensationem illi potuerunt: nam non est fas juxta creationis ductum, ripas suas servare fluvios, quando aliter voluit offensus creator. non potuerunt igitur non ripæ tunc admittere fluxum, quem voluit ac jussit fatigata diu judicis sanctitas. Cucurristis quoq; ad colles móntesq; eminentes, sperantes eorum altitudine, vos fore salvos. Et vos excelsi, cur alibi destitutos itidem fefellistis? Vos singulos compello *qui Gothiam, Bothniam, Sveciamq;* vel ornatis passim, vel dividitis, omnes nominibus ac aspectibus ita inclyti; sicut è longinquo sub cœlo floretis cerulei. Foret singulorum vestrum ordo ac catalogus nimius, quin & mihi vix possibilis, quod in tanta terræ latitudine haud facile singulos nominibus colere: Te saltem Blakzåås (liceat ex puerili memoria ludere) singulariter ego compello, inter montes utriusq; Delii, in patria mea Helsingia haudquaquam minimum, qui distans â mari 7 milliaria nova, navigantibus tamen in alto, adpares ultra 7 milliaria excelsus? cur tunc incolas altitudine tua non servasti? cur defecisti, ut caperet pariter tuum cacumen aquarum inundatio? scilicet vanus præsidiarius fuisti, dum potentia dominantis abyssos

byssos aperuit, cataractasq; cœli rupit, sed neq; mirum te destituere, quum etiam fallerent nivosa ac ætherea juga, quæ Sveciam disterminant â Norvegia, & cum falleret Skulumons, in Angermannia, qui juga sua magis supra nubes explicat, quam infra, quiq; divisor cœli suo jure, dicitur ab accolis: Vanus inquam fuisti, si tum præsidiarium agere voluisti: obtundit quippe ac expugnat potentia Dei, quicquid sibi unquam reluctatur: Ergo ô antepopulares, accipite sortem, quam ipsi fecistis, & accipite sortem graviorem, quia meliorem non voluistis: Destituerunt vos montes, destituerunt fluvii, nec quicquam præsidii vobis datum in vestris gigantibus: nimirum recte non servavit vos ulla industria, quia spiritum Dei apud vos non fuistis passi quiescere: ruistis ergo, & corpora vestra exposuistis domicilia piscibus ac avibus, quæ cœlitus super ingressuro Spiritui cœci negastis. Vestra fuit culpa, vestra ruina; vester error, vester terror: adscendere voluistis, sed ecce deturbabamini in profundum: infelices vita, infelices exitu; attamen hoc nomine felices, quod sub manibus longanimis Dei vobis piis licuit expirare: Valete amoris justitiæq; Dei pignora clarissima.

## CAP. X.

*Probat antediluvianos fuisse in statu gratiæ, etiam cum aquæ invalescerent.*

Jam ante capite primo, diximus diluvium fuisse immissum, ad terram purgandam, liberandamq; â variis oneribus, Gen. 6: 11. Fuit igitur post gloriam Dei, *diluvii finis haud ultimus, renovatio ac restitutio status ejus, in terra hominibusq; qui post peccatum, primitus fiebat, Deo clementius post lapsum, genus nostrum juvante, promissione celebrationeq; sui filii,* conf. Gen. *6: 18.*

6: 18. cum Gen. 8: 17. & 12. seq. Utut igitur ad hunc finem Deus non accedebat, nisi præviis justitiæ suæ documentis; ipse tamen dum reformabat, radios bonitatis suæ explicabat, justitiamq; clementia multa leniebat, Gen. 6: 7. seq. Non omnes igitur, quos oppressit diluvium, naufragium animarum faciebant; sed eorum quidam filiali fiducia pluentis gratiæ sese statim insinuabant, & non pauci quoq; tanto periculo admoniti, precibus ac spe se illi postea commendabant: recolentes cum lacrymis, cognitionis usum, quem ante diu obliterassent, aut certe rarius usurpassent.

I. Etsi igitur κατακλυσμὸς in se fuit tristis, contigit tamen idem sub tempore gratiæ, quando omnibus gratiam Dei recte compellantibus, non potuit non gratiæ esse locus: quod Deus sub mediis flammis ac undis, suorum semper propitius reminiscatur, Esa. 43: 1. seq. Deinde quia contigit ille tempore gratiæ, est pariter spes, non spe sua delusos, qui ad gratiam anhelabant, quod interprete Augustino, *pœnitentia vera, nunquam si sera.*

II. Tametsi itaq; cum impiis temporali discrimini tunc involvebantur multi pii; longè tamen alia fuit ratio piorum, quam impiorum, postquam ex hisce expirarunt, Matth. 25: 46. nimirum illos Deus sanctus probavit, & hos justus castigavit, Heb. 12: 6. seq. conf. 2. Pet. 3: 5. Ut itaq; salvo utriusq; discrimine, Deus quandoq; nunc publica ruina utrumq; jungit, teste Propheta: sic universali diluvio tunc utrumq; æquavit, ut tamen quemq; post hanc vitam, manerent sua fata, 2. Cor. 4: Proinde sicut postea non omnes Israelitæ qui in deserto exscindebantur, clade aliqua publica extincti, subierunt animarum discrimen; ita nec tunc rejicebantur â Deo, quotquot oppressit diluvium: imo, sicut non omnes, qui arcam intrarunt, sunt salvati; certe impius fuit Cham,

paternæ

paternæ infirmitatis irriſor, Gen. 11: 22. ſic nec damnati ſunt, quotquot ab eadem excluſit, vel anguſtia domus, vel œconomia Domini, Gen. 6: 8. conf. 1. Pet. 3: 20.

III. Et quid? bonitatis divinæ fuit, quod hanc diluvii reformationem Deus detexit Adamo, & quod eam ſubinde novis revelationibus apud varios Adami poſteros, firmavit, ut eam & ipſi animis rectius acciperent, ac per erectas columnas ceu codicilla, felicius transmitterent ad poſteros: *ita fert gentis Hebrææ traditio.* Nec diſſimilia tradunt *ſacræ literæ*: nam quotiescunq; & ubicunq; ſacræ literæ diluvii mentionem injiciunt, ibi bonitatis divinæ frequentius recordantur. (1) Fuit bonitatis divinæ per Noam concionari juſtitiæ neglectum, iri vindicatum immiſſione diluvii, conf. Gen. 6: 13. cum 2. Pet. 2. 5. (2) Pariter bonitatis ejus fuit, diluvii certitudinem fabricata arca demonſtrare, Gen. 6: 14. (3) Tempus autem 120 annorum, ipſis in pœnitentiam datum, Gen. 6: 3. ſic bonitatis divinæ longanimitatem commendat, ut veriſſimum omnino ſit, *non velle Deum cujusquam perditionem*, 2. Petr. 3: 9. (4) Et quid tibi videtur de lente cadentibus pluviis, Gen. 7: 4. & 12. annon etiam earum mora gratiam Dei commendat? potuit omnipotens ſi juſtitiâ ſæviiſſet, uno ictu deſtruere cuncta, ſicut quoq; dum tranſiit tempus gratiæ, in extremo judicio, uno momento defungetur omnibus, 2 Pet. 3: 10. at nunc noluit ita feſtinare, nec fortaſſis potuit, quod ſub tempore gratiæ egit vindicem, & quod animus ei fuit reformare, ut tandem decreta, quæ miſericors ſanxit ab æterno, temporibus certis implerentur, Eph. 1. 3. ſeq. Gal. 4: 4. Lentius igitur tunc demiſſa pluvia, tantum abeſt ut juſtitiæ divinæ furorem argueret; ut contra, ceu realis concio cogeret ad pœnitentiam, quos verba Noæ aut aliorum, ante non commoviſſent: facit quippe Deus

quandoq; opus alienum, ut accedat ad suum, Esa 8: & vexatio dat intellectum, Esa. 26: 16. Quæ omnia superiora sicut *sunt nobis certissima*; sic uno complexu singula conjunguntur, roboranturq; dum Deus in multa longanimitate dicitur temporibus Noæ expectasse, 1. Pet. 3: 20. conf. Rom. 2: 4. *Sed tamen eadem hæc à nonnullis vocantur in dubium.* Ergo

# CAP. XI.

## *Expendens* OBJECTIONES *hæsitantium.*

I. *Obj. diluvium ut opus justitiæ, non arguit aliquam gratiam.* Resp. (1) Diluvium ut opus justitiæ, nunquam est opus gratiæ, sicut nec unquam justitia est gratia, dum qua eandem rationem, eundemq; modum &c considerantur, ut ajunt, formaliter: attamen sicut justitia & gratia essentialiter conveniunt; sic servit nonnunquam justitia gratiæ in suis effectis: & vice versa, hæc in suis effectis illam nonnunquam commendat, Rom. 9: 22. omnia sicut altera in alterius usum â principio eminente, temperatur aut exasperatur. Ut itaq; partitis aut sublatis damnis extolli potest in uno gratia, sic partitis aut sublatis præmiis, potest in alio deprædicari justitia. (2) Ac h. l. quidem gratiæ inservit justitia $\alpha$. quod justitiam hanc temporalem Deus exercuit in multis hominibus, ut gratiam suam commendaret in paucis, Gen. 6: 18. $\beta$ Quod ideo super terram, illam usurpavit, ut antiquæ suæ gratiæ produceret nova documenta, Gen. 10: 21. seq. $\gamma$. ut nunc non addam, quomodo itidem per decreta videtur hac vice, justitiæ vis non parum mitigata: $\delta$. aut deniq; in Christo non nihil mollita. (3) *Alia igitur est ratio justitiæ in se, & alia est ratio ejusdem ordinatæ ad finem alium:* item *alia ratio ejusdem sibi relictæ, & alia ratio ejusdem ab alio, quacunq; ratione levatæ.* Nisi eam levasset mediator, fuisset piis gravi-

or Rom. *9: 28.* & niſi eam moderata fuiſſent decreta, fuiſſet quoq; plenior. Ne nunc addam, quomodo diluvium non tam deſtruxit, quam reformatione extruxit. deſtruxit multos juſtitia, ut gratia in uno ac ex uno accenderet plures. & deſtruxit juſtitia ſtatum terræ corruptum, ut gratia extrueret puriorem: &c. *Inſt: Damnati temporibus Noæ, proponuntur ut ſingularia judicii divini exempla, 1. Pet. 3: 20. an igitur illis quisquam gratiæ ſtatus?* Reſp. Sunt omnino illius temporis damnati iudicii divini ſingularia exempla, quod neq; conciones variæ, neq; affectiones gratioſæ aliæ eos moverunt ad pœnitentiam. Deus â parte ſua ſic eos juvit, ut tantum non longanimitate ac gratia ſua illos fatigaret: & tamdiu illos juvit, ut imminentibus aquis, ante deſtituerent illos ſubſidia naturalia; quam deficeret gratia ſpiritus: illi tamen omnia flocci faciebant, ἀπειθήσαντες ut ait Petrus. Nunc ergo iidem tanto gravius plectuntur, quanto pluribus beneficiis olim ornabantur: ſicutq; iidem vivi noluerunt audire Chriſtum in præconio Noæ: ſic poſtea conſtituti in carcere infernali, coacti ſunt eundem in magna gloria videre: realiter quippe cum omnibus damnatis, tum præcipue hiſce, qui ſe petulantius quondam rejeciſſent, prædicavit Chriſtus vivificatus Spiritu, ubi deſcendit ad inferos, 1. Pet. 3: 20.

II. *Obj. Noachus ſolus invenit gratiam, Gen. 6: 8. Ergo cæteri perierunt.* ℞ (1) Diſtingv. inter *gratiam ſalvationis æternæ, & gratiam liberationis temporalis.* hæc contigit tunc ſoli Noacho, & filiis ejus; illa non item: quandoquidem non *unquam repellitur quisquam, qui ad Chriſtum pergit, Joh. 6: 37.* & quia propter abundantiam gratiæ, ac typum extremi judicii, plures illuc confugiſſe ſupponimus, plures itidem tunc æternum fuiſſe ſalvatos, recte dicimus, utut Noah cum ſuis, ſolus ſit ab undis diluvii ſervatus. (2) Perierint ergo cæte-

ri morte temporali, Noa servato; non tamen illico omnes iidem perierunt morte æterna; sed tantum illi, quos nulla cepit pœnitentia: reliqui v. & pœnitentes, sic sunt salvati per suam fidem, dum submergebantur: sicut postea per suam fidem, æternum salvatus est, decedens Noah.

III. *Obj. Si multi fuerunt illi pii, cur tunc terra est diluvio perdita: & cur Deus propter multos pios non pepercit locis, Gen. 18.* ℞ (1) Illi fuerunt, ut speramus, multi: at loca plura: divisi ergo iidem non sufficiebant sustinendis singulis, quæ extingvi & voluerunt & debuerunt. (2) Etsi igitur iidem fuerunt multi; non tamèn tot fuerunt, quot voluit summus Deus, in œconomia mirabilis. *Inst: Vis ultima adjecit postea plures ut sis: cur igitur diluvium Deus continuavit?* ℞ Licet plures postea vis ultima adjecit; non potuit tamen Deus, quin diluvium consummaret. (1) *Quia jam ante decreto, ejus consummationem sanxit.* (2) *quia per idem constituit terram defæcare.* (3) *quia ultimi excidii voluit typum ponere, Luc. 17: 26.* (4) *ac quia voluit mundo justitiam suam commendare*, & quæ causæ aliæ, intervenerunt, Deumq; cum diluvio pergere admonuerunt. Alias si recensitæ hæ causæ, illarumq; similes aliæ abfuissent; credibile omnino, tot adjectos fideles, quot mundum sustinere potuissent, Deo indulgentius respiciente ad suas creaturas &c. *Sed veneremur potius Deum in suis actionibus, quam ejus judicia perscrutemur: vincit ille dum judicatur Psal. 51. 6.* unde sicut suo arbitrio Deus moderatur fatalem horam hujus mundi, Marc. 13: 32. sic credemus ipsũ, cum antediluviano mundo, *omnia pro bonitate, justitia ac libertate sua, recte constituisse.*

## CAP. XII.

*Subjicit spem ex antediluvianis nostris submersis, quam plurimos fuisse salvatos æternum.*

Recolendum hic est, antediluvianis nostris fuisse collata omnia

omnia bonitatis ac loganimitatis divinæ momenta, quæ recensuit supra *caput decimum. vocabantur sacris præconiis, admonebantur arca, expectabantur diu, ac tandem aquis cogebantur.* Etsi vero inter cogendum obruebantur singuli, (de nostris loquor) sensim tamen obruebantur iidem, ac sub tempore gratiæ; Unde spes nos manet certissima, eorum quam plurimos fuisse salvatos: *trahentem quippe Deum speramus multos fuisse secutos, nec pauciores paruisse cogenti.* Atq; hæc utut omnibus cujuscunq; terræ populis antediluvianis fuerunt communia: nostris tamen videntur singularia fuisse, sequentibus modis duobus.

I. *Est magna harmonia inter utrumq; mundum, priorem ac hunc præsentem:* (1) *Respectu causæ efficientis.* Qui Deus gubernat hunc mundum; is etiam gubernavit illum: & qui rector ecclesiæ est in hoc, is etiam rector fuit in illo &c. (2) *Respectu materiæ circa quam, vel respectu objecti.* Quot fuerunt homines in mundo priore, tot sunt aut propediem erunt, in præsente. Equidem plura volvuntur secula in hoc mundo, quam in illo: sed seculorum hujus mundi pluralitatem facile pensavit hominum prioris mundi longævitas: vixit quippe tunc quilibet homo, frequentibus 600 secula; si igitur memineris cuilibet viro ex illis, opponere 6 nostros, & uni seculo ex illis, sex nostra: videbis hac ratione, nisi me fallit conjectura, quod prioris mundi brevitas temporalis, virtualiter extendatur multum; imo, quod quoq; superet longævitatem mundi præsentis: Sed in quantum præsentem mundum illa hac ratione vincit: in tantum illi cedit longiori suorum hominum cœlibatu: ut non temere omnino conjicere audeamus ac scribere, *utriq; mundo æqualem hominnm vim â Deo tributam.* (3) *Spectatur inter illos harmonia, respectu formæ.* Quomodo Deus rexit priorem

orem mundum, eodem modo regit præsentem. imo, fere iisdem legibus utrumq; jungit. Fuerunt olim leges *sacræ, ecclesiasticæ ac civiles:* & tales quoq; inveniuntur hodie; ipsæ, non plus á se prioribus discrepantes, quam discrepare eas fecit sub temporibus variata Dei œconomia. (4) *Notatur harmonia illa inter utrumq; mundum, respectu finis.* Quis finis fuit prioris mundi, is est quoq; præsentis, sive ad primarios attenderis, sive deniq; ad secundos. (5) *Imo, harmonia quoq; notatur inter illos, respectu lapsus.* Quæ fuerunt vitia in priore, illa sunt quoq; in præsenti: & sine dubio, *ubi flagitia in priore maxime grassabantur, ibi qua locum, grassantur quoq; hodie:* Similem namq; in his, & talibus aliis, utriusq; mundi rationem, inculcat Salvator, Luc. 17: 26. Matth. 24: 37. *Ut itaq; nunc, & sub finem hujus mundi, in aquilone requiescit Spiritus Dei, juxta vaticinium Zachar. cap. 6: 8. sic juxta datam harmoniam* h. e. quia stylo sensuq; sacro, antitypus prioris mundi est præsens, *credibile quod pariter sub prioris mundi finem, si usquam, certe in aquilone, requievit Spiritus Dei.* Fortassis in perpetuo metu antediluvianos nostros detinuit sævitia domesticorum gigantum, ac ne ab eis obsorberentur, subinde compulit, precibus ac votis, ad Deum pergere, &c. Sed quicquid sit; juxta *antitypum mundi hujus, videtur boreas priscus, multos fideles sub sui finem aluisse,* unde nobis *solida ratio, non conjectura,* sub immissionem diluvii, nostratium antediluvianorum quam plurimos, fuisse salvatos

II. *Quid sentis de collibus montibusq; patriæ nostræ, in ordine ad gratiam cogentem?* Cito opprimebantur aquarum inundatione, qui habitabant in campis; & fortassis ante, quam ex inopinato metu, animis collectis, potuerunt ad Deum, spe fiduciaq; verti. Nostris receptus fuit in colles ac montes, & ibi illi liberati metu, quo sub primos cadentes torrentes,

exa-

exanimabantur ante. Consternatis ergo cœteris, nostri & qui alii, simili naturæ subsidio gaudebant, potuerunt animos colligere, tum (*quia credenda faciendaq; norunt ex institutione suorum*) opitulante spiritu Dei, plenîs votis amplecti credenda, nec non animo contrito, intueri facienda: inventuri per illa, æternam salutem, Rom. 3: & per hæc, habituri pietatis testimonium, Matt. 25:34. *Respectu ergo utriusq; gratiæ, trahentis atq; cogentis*, quæ diversimode debent explicari, videmus nostris antediluvianis fuisse prærogativam, cujus ratione, per charitatem, *quæ omnia sperat*, nobis spes est, eorum quam plurimos, fuisse æternum salvatos.

*Hic tu primum quæris; an externa illa vis fuit concio salutaris; item an gratiæ nomine fuit salutanda?* ℞ Vis in se, nulla fuit concio salutaris, informans quid credendum, quidve faciendum: fuit tamen eadem concio, urgens repetere animo, ac adplicare, quæ ante didicerunt salutaria. Atq; hæc *coactiva concio* tunc sufficiebat antediluvianis; quippe quibus notitia credendorum, ante fuit familiaris, & tunc quoq; ope spiritus in tempore proficua. *Deinde admiraris, an â momento sic pendeat æterna salus, ut putetur quoq; illis antediluvianis data, qui non ante resipuerunt, quam aquæ jam jam æquarent altitudinem oris, aut pectoris?* ℞ In momento verti æternitatem, videtur rationi nimium, ac pariter superfluum unius momenti fidem, æternum beare. Et revera ita quoq; esset; si hæc spectarentur *in se, ratione sui, vel actus, vel qualitatis, vel meriti proprii*: at nunc taliter non æstimantur, *sed referuntur* ad *Deum*, qui illis novit, & precium imponere, & durationem. Ergo sicut Christus per fidem vi sui meriti, beavit antediluvianos salute; sic per idem suum meritum saluti eorum conciliavit æternitatem: momentanea igitur meriti Christi usurpatione illis & æternitas ipsa parabatur, & æternitatis ineffabilis felicitas elocabatur gratis. Ita

Ita judicia divina mitius nos interpretamur, & in beandis antediluvianis nostris, voto quoq; charitatis sumus propensiores. Sunt *plures ex Theologis nostris*, qui suspicantur nullos extra familiam Noæ, fuisse æternum salvatos: Sed hos singulos putamus nos *confundere liberationē temporalem cum salvatione æterna*, ut quoq; ante pag. 47. scripsimus, & constituimus, Deo benedicente, tueri. tantumq; *de gratia trahente* sub diluvium. Rursꝰ *circa gratiā cogentē, in diluvio, sunt quoq; non pauci,* qui nobis videntur justo parciores. *Non nunc nominamus Pontificios*, qui limbum suum hac occasione extruunt: neq; *Calvinianos sonamus qui* heic ad speculam Calvini recurrunt; *Sed nostratium illos theologos intelligimus* qui nobiscum arguunt *seram illorū antediluvianorum pœnitentiam*, *fuisse seriam*: at præterea opinantur, festinatam momentaneæ illorum fidei promotionem, cū beneplacito divino, haud convenisse. Mens eorum est: *quia hi antediluviani longo temporis tractu, fidelissimas Noachi admonitiones susq; deq; habuerunt: ideo apud se Deus constituit ut animæ eorum post mortem, non statim beatificâ visione fruerentur, sed alicubi tanquā in custodia, non tn. in cruciatu, detinerentur; donec Christus post λύτρον redemptionis solutum, salutem illus annunciaret, &c.*

In hac opinione videbis fuisse *Theologū Würteberg. D. D. Luc. Osiandrū super 1. Pet. 3: 20. item Theologos Wittebergenses, D. D. Salomonē Gesnerū in Form. Concord. p. m. 524. nec non D. Doct. Leonh. Hütterum in Form. Conc. art. 10. p. m. 981.* Nos v. ut hanc opinionem non possumꝰ conciliare cum locis S. Scripturæ Gen. 5: 24. 2. Reg. 2: 11. Sap. 3: 1. & 4: 1. item Apoc. 7: 14. & 14: 13. &c. ita auctores ipsos, viros alioquin eruditissimos, & præceptores nostros honoratissimos, putamꝰ lapsos interpratatione loci difficillimi, qui est in 1. Pet. 3: 19. seq. Nostra mens habetur supra pag. 47. *Atq; sic cum periodo antediluviana, esto in hac parte generali, libri primi*

FINIS.

# HYPOMNEMATA
## AD LIBRUM PRIMUM.

I.

*Gentis natales per antiquitatem illustrare, exemplo aliorum licet, & in se est decorum; Videndum tamen in hoc studio, quid ferat veritas historica, & ne excedatur modus.* Quod non attenderunt *Ægyptij*, qui â Dyonisio Græcorum deastro, ad Amasin suum regem, numerant 15000 millia annorum, teste Herodoto lib. 2. quiq; 13. millium annorum ætates certis annalibus præsumunt se posse numerare, teste Pomponio Mela. Hæc directe pugnant cum historia sacra: non sunt igitur recipienda â Christianis, sed pro portentosis mendaciis habenda, sicut & multa eorum alia, per quæ gloriam antiquitatis sibi falso comminiscuntur; conf. Ludov. Vivem in notis ad August. de Civit. Dei lib. 12: c. 10 nec non Baldvin. super 2. Thess. 2. part. 1. quæst. 4. Idem judicium esto de *Chaldæorum, Sinensium & Indorum antiquitatibus*, quæ ipsum non modo diluvium, sed & mundi originem, non seculis modo, sed annorum myriadibus, pariter superant: sunt nimirum confictæ; ac quia divina pariter ac humana confundunt, nec non textum sacrum oppugnant, sunt eæ itidem â Christianis contemnendæ, conf. Georg. Hornii arcam Noæ, pag. 12. seq.

II. *Tempus antediluvianum etsi vulgo ex Censorino, adpelletur ἄδηλον: non est tamen in se prorsus ignotum.* Nam de variis gentibus historiam confusam tradit illius temporis historia sacra: qua historia confusa possumus adquiescere, quia distinctiorem non invenimus: neq; enim omnis historia sacra vel civilis, in singulis circumstantiarum momentis semper est distincta; Gens vero Hebræa sicut divino privilegio, per

omnia secula habet historiam fidei indubitatæ, sic respectu ejus, neq; antediluvianum, neq; tempus ullum aliud, debet aut potest ἄδηλον dici.

III. *Fundamenta historiarum antediluvianarum, dabunt scriptura, ratio & traditio.* Certissimum fundamentum dat *scriptura sacra*, & accipiendum pariter quod suppeditat *recta ratio*; imo, nec rejiciendum, quod fert *traditio*, ubi illa vera haberi potest: neq; enim incredibile est, per Noachum de statu temporis antediluviani, ad posteros manasse trâditionem veram: sed ubi illa nunc manat, & qua sui parte manet incorrupta difficile est novisse.

IV. *Nos in hisce nostris adornandis sumus secuti scripturam & rationem.* Ad traditionem vel nusquam, vel certe rarius respeximus, quia nullam pro nobis facientem, usquam invenimus certam.

V. *Est igitur hoc nostrum exercitium, vere Theologicum; ea ratione, qua Theologica sunt Chronologica ac historica alia, ex sacris & sobria ratione, desumpta:* nam ut ut nos primi adplicuimus horum aliqua; in se tamen sunt eadem antiquissima, quippe cum ex sacris & lumine naturæ eorum pleraq; sint petita. Ceteris vero additis per conjecturam, aut ex nostro judicio sicubi infirmo, precamur illum finem, quem parabolis servant historiæ sacræ. Qua ratione itidem Theologica facimus, ratione finis; quæ objective illuc non possunt reduci.

VI. *Quot filios procreavit Adam, non novimus certo*: unde alii plures, alii pauciores ponunt.

VII. *Id videmur nobis videre, quod Cain & Abel non fuerunt gemelli, uti opinatur Calvinus.*

VIII. *Cainum originem dedisse Chinensibus, uti ex Martinio Jesuita, vult nuperus quidam historicus, videtur nobis minus probabile.* (1) Quia historia Martinii est fidei suspectæ: multa enim

nim ab ipſo & Michaële Boimio Polono, comminiſcuntur pro Sinenſium gloria, ſi non per levitatem, ſaltem ut ad viſendam ejus gentis gloriam, item ad quærendas ejus gentis nundinas, alii extimulentur, vide Kirkeri Chinam illuſtratam paſſim, & præprimis conſule ejus præfationem, nec non dedicationem ad ordinis eorum generalem, Johannem Paulum Olivam. (2) Supponimus cum viris eruditis, *Cainianæ vexationis ac agitationis illam Nomadum, fuiſſe in deſerta Arabia, Babyloniæ contermina*, uti ſcribit Tremellius ſuper Gen. 4: 16. Non potuit igitur verſus orientem longo itinere properare, nedum in Chinam uſq; pervenire, quæ terrarum orientalium eſt ultima. *Dicis: Vos hoc ſupponitis contra S. Sacram, Gen. 4: 16. ibi enim ex fonte hebræo* Chidmath Eden, *Cainum contendiſſe in orientem, ſcribunt 70 interpretes, vulgata verſio, Gallica & Germanica, cum omnibus quæ ipſam ſeqvuntur.* ℞. (1) Si in Chinam venit, quomodo inde potuit affligere Sethianos, qui vixerunt in Aſia, & interpoſito tanto freto tantisq; terra objectis ſolitudinibus, quomodo potuit inde Sethianos pravis moribus corrumpere, quod tamen eum feciſſe, affirmant uno ore, quotquot ex veteribus ac recentioribus, ejus reminiſcuntur. (2) Scripturam ergo quod concernit, ſciendum *michedem* non ſemper ſignificare de oriente, nec *chidmah* ſemper ſignificare verſus orientem. Noachiani relicta Armenia, abiverunt Babyloniam ſitam verſus orientem, & tamen dicuntur iviſſe *michedem*, Gen. 11: 2. conf. Gen. 13: 11. ubi quoq; vox michedem habetur de itinere ad locum orientalem, qualis fuit Sodoma, ubi etiamnum Judæis eſt mare orientale. Ut itaq; *michedem* non ſemper ſignificat ab oriente, ſed nonnunquam ſignificat ad orientem, & ut mitzphon non ab aquilone, ſed verſus aquilonem, vertit Hieronymus, 1. Sam:

14: 5. sic ponitur nonnunquam *chidmah* ad orientem, pro michedem, id est ab oriente conf. Drus. ad difficil. loca Gen. cap. 30. Et hoc factum arbitramur in loco præsenti, nisi (4) phrasi retenta, in vulgari suo usu, libuerit dicere Cainum primum venisse in orientem versus Eden, sed mox iter circumegisse, ac venisse in Arabiam & Africam, unde commodior prædo posset excurrere, &c. Et juxta hanc prioremq; observationem, si opus est, volumus lecta intellectaq; verba nostra, quæ habentur supra pag. 14. ubi ex vulgari vocis significatione, locum hunc cum interpretibus aliis, citavimus & exscripsimus. *Inst. Cainum memorant annales Sinici?* R. (1) Quem Cainum memorant, primumne illum & Adamiticum, an vero posteriorem illum, ac jethronis filium, uti conjiciunt viri eruditi, de quo Num. 24: 22. aut deniq; memorant Cainum aliquem tertium. (2) Qua fide memorant iidem suum Cainum? fortassis fide Martiniana, ut conjicit Hornius in sua historia politica pag. m. 13. (3) Addimus testimonium Augustini, qui in urbe Chanoh putat 7 â Caino reges regnasse, omnes per Chaldæam, uti suspicantur Abydenus & Apollodorus. (4) Quin & hanc Chanochiam caput regni ponunt omnes ad montem Libanum. In Africa ergo fuit Cain, & non in China. (5) Memorent ergo illi ac referant quicquid velint: nos scimus Sethianos vixisse in Asia, & Cainianos credimus replevisse Africam; quemadmodum porro in Europam ac ad nostras oras speramus venisse, vel Abelianos, vel aliquos Adamiticos alios.

IX. *Licuit tempore antediluviano ut & postdiluviano, sed ante pactum testamentum vetus, quibusvis offerre oblationes Eucharisticas; at non itidem licuit quibusvis cædere victimas expiatorias.* Quia ergo Abel tunc devotus sacrificavit, hinc recte con-

jicimus

jicimus ipsum familiæ caput fuisse, liberosq; genuisse.

X. *Deberent gigantum vestigia ac molitiones quæ adparent in patria nostra, notari propter exteros:* sed tamen nos hoc labore supersedemus, ne scriptionis nostræ finem ecclesiasticum turbemus alienis, & quod confidamus huic negocio propediem invigilaturos, quos id jubet officii ratio.

XI. *Ut terræ motus sæpe regiones rumpit ac secat: sic est probabile quod diluvium quoq; aliquot divulsit:* Hac ratione si tu putaveris Angliam esse separatam â Gallia, uti nonnemo pluribus arguit: Item opinari potes Alandiam â Svecia ac Finlandia, eo tempore divulsam: Americam vero tunc distractam ab Africa fuisse, videtur nobis nimium.

# PARTIS GENERALIS
# LIBER SECUNDUS
## De Ecclesia Sveo-Gothica sub periodo, quæ fuit â prima gentis restitutione, post diluvium, ad emissionem colonorum in insulas Cymbricas, Annorum 243.

Respondens periodo sacræ, quæ est ab Anno 100. post diluvium, ad vocationem Abrahami.

FUit tempus ἄδηλον ut ajunt: & sequitur nunc μυθικὸν. etsi speramus non omnia μυθικὰ esse, quæ de hoc traduntur: nam sicut beneficio scripturæ ac sobriæ rationis, transivimus vidimusq; ἄδηλον, sic iisdem ducibus speramus nos hoc μυθικὸν percursuros: imo, confidimus iter nostrum in hoc tanto fore nobis facilius, quanto adcurrunt plures, qui monumentis historicis, idem nobis promptius monstrant ac aperiunt. Sed præmittamus heic aliqua ante cognoscenda,

quam ad scopum scriptionis nostræ, de ecclesia, in hoc libro secundo, recta descendimus'.

# CAP. I.

*Inquirit in locum demissæ arcæ.*

Annus fuit à condito mundo 1657, quando Deus fontibus abyssi clausis, cataractisq; cœli adstrictis, per spiritum, quem adduxit super terram, imminuit aquas diluvii, & arcam tunc receptaculum animantium cunctorum, demisit super montem Ararat, Gen. 8:

Armeniæ majoris creditur hic mons esse, & Caucasum dicunt eum multi: alii Gordyæum &c. *Volunt vero hic aliqui exacte novisse, ubi Araratus ille in Armenia? versus ne occasum ubi montes Gordyæi, an versus ortum, ubi Caucasæi vertices?* Inter Gordyæos versus occasum, eum ponunt Berosus, Epiphanius ac utrumq; Targum. At quia Noachi posteri ex oriente in terram Sinhar dicuntur profecti, Gen. 11: 2. quod non convenit euntibus illuc ex Gordyæis montibus, sitis uti dictum, versus occasum: hinc malunt alii Araratum inter juga Caucasæa seu Taurica ponere, ac credere inde qua parte circa Caspium mare dividunt Asiam & Indiam, in terram demissa esse servata terræ animantia.

Nobis est ratio prior non prorsus firma: *primum* quod michedem illo loco, si opus est, verti potest, ad orientem, uti modo innuimus. *Secundo* est quoq; credibile, quod non tantum ex oriente, sed & quod pariter ab occasu, illuc confluxit illa hominum magna vis & multitudo. *Neq; tamen pœnitet nos sententiæ alterius, quæ inter juga Tauri vel Caucasi, ponit Ararâtum*; (1) quod hic Caucasus novis numerosisq; nominibus celebretur insignis, saluteturq; jam *Gordu*, jam *Taurus*, *Circius* &c. teste Plinio: & quod hac ratione,

in quo-

in quocunq; ejus iugo consedit arca, id recte dicatur Caucasæum. (2) Est quoq; nobis alia ratio, & eadem priore urgentior, cur in Caucaso ad mare Caspium, credamus arcam demissam: nimirum quia credimus Deum Ararati tam situ, quam altitudine, de variis nos admonuisse. Altitudine sua repræsentavit ille mons mansiones cœlestes, quæ nobis fessis vexationibus mundanis, sic dabunt requiem; sicut hic araratus agitatis per annum in arca, animalibus cunctis, fuit firmum receptaculum ac dulcis quies. Quin & situ suo ostendit ille quorsum fuit ecclesia Dei deinceps extendenda; Et quia major imago futuræ amplitudinis, spectatur in Caucaso circa Caspium mare, ubi in Asia Schytia jungitur Indiæ, quam vel in media Armenia, vel ejus parte occidentali, ubi Gordyæus dicitur, inde nos svavi conjectura ponimus eum inter montes Caspios, quocunq; nomine tu eum dixeris, sive Caucasum, sive Caspium &c. conf. Damasc. lib. 97. Niceph. lib. 9: c. 19. nec non hist. Arctoam ArchiEp.: Paul.

## CAP. II.

*Narrat ubi vixit Noah expositus in terram, & ostendit quod propter crescentem multitudinem, non potuit diu in uno loco commorari.*

Hic inquam, in Ararat, ubi facilis descensus fuit, demisit Deus arcam, & hic prima post diluvium, hominum habitatio: exivit quippe hic arcam Noach cum omnibus suis, postquam ibi annum ac decem dies, fuerat inclusus, factoq; sacrificio augusto de animalibus ac volatilibus mūdis, pro felicitate sua suorumq; posterorum, cum intellexisset se exauditum â Deo, novaq; benedictione auctum, hic quoq; cœpit ille terram primum colere, Gen. 8: 21. & 9: 1.

Substitit

Subſtitit vero idem aliquantiſper circa deſcenſus ſui loca, quod fluebant eadem variarum rerum fertilitate abundanti. Strabo lib. 2. Geograph. affirmat ex fide aliorum, *in Hyrcania ad latus Tauri, vitem vini meretram ferre, ficum ficorum modios 60,* &c. *in arboribus apes operari, & mella de frondibus fluere; imo, adhuc fertiliorem ait, eam eſſe, circa paropamiſum in Margiana, & vitem ibi inveniri, cujus ſtipitem duorum hominum ulnæ vix complectuntur, &c.* Ex quibus omnibus, nos nihil niſi valde fertilem eam terram fuiſſe colligimus, relinquentes particularia ipſis auctoribus. Ut itaq; hæc terra Noachum deſcendentem fertilitate ſua refecit, ſic augentem ſeſe aliquot annos facile pavit. Neq; tamen diu ſuffecit multitudini, quæ divina benedictione ſubinde, ut ajunt, prodeuntibus gemellis, mare ac fœmina, ad univerſi orbis neceſſitatem dicam an opulentiam, ſuccrevit in immenſum, conferatur Beroſus lib. 3. Diodor. Siculus libro 3. & Etheſias. Coactus ergo tandem Noah de parandis novis ſedibus cogitare, qui quoq; ut ajunt, ratibus perluſtrato mari mediterraneo, poſtquam vidiſſet *tres principes orbis partes, Europam, Aſiam & Africam,* cognoviſſetq, rectius quæ eſſet unicujusq; facies, ordinavit, ut *japheto cederet Europa usq; ad Tanaim, Semo Aſia à Tanai, ad Nilum Ægypti; & Chamo Africa cum provinciis ſuis cunctis.* Atq; hanc ordinationem credimus factam, poſt finem ſeculi primi â diluvio, naſcente ac vivente Phalego, Gē.10:25.

## CAP. III.

*Docet quo auctore ſic ordinavit Noach, additq; quomodo nepotes monumento publico, voluerunt hiſtoriam de ſanguinis unitate, ad poſteros diffundere.*

Sed cur ita ordinavit Noachus? Singulari beneplacito ac nutu Dei, credemus omnia facta. is namq; fuit, qui *ſteri-*

*lem*

*lem & angustam Africam voluit dare illusori Chamo; & contra, qui fœcundis ampliusq; provinciis voluit beare Noachi pios liberos, Japhetum & Semum.* Si igitur iidem Noachiani cum suis posteris cæpissent ante easdem plagas aspicere, non tamen conjicimus eos id temere fecisse, sicut nec putamus ad intuitum eorum, postea Noachum ita vel ita, distribuisse: sed credimus tam itinera eorum ante â Deo illuc directa, quam postea jussu ejusdem, de hac ordinatione, pronunciatam vocem Noachi fatidicam: nimirum sicut Israëlitæ in divisione terræ Canan, partes faciebant per sortes, & tamen *sors qualibet per S. Sanctum dirigebatur*, uti ex Hiscuni vertit Drusius: sic huic ordinatæ divisioni credimus præfuisse Deum ipsum. Sed jam præteriit tempus, aut seculum, sub Noacho aureum, & nepotes debuerunt ingredi provincias sibi ab avo assignatas, κατὰ θεῖον χρησμὸν, ut loqvuntur antiqui. antequam tamen digrederentur ab invicem, voluerunt aliquamdiu habitare conjuncti; ac quia invenerunt *terram planam, variisq; deliciis abundantem, inter Tigrim & Euphratem, quam Singhar* dixerunt, ibi sederunt 30 ferme annos: urgebat tamen eos subinde tempus dispersionis, quod & divisioni paternæ putabant vim dandam, & quod locus conjunctos non amplius ferebat: Valedicturi ergo civitatem maximam condiderunt, ac in ea turrim altissimam struxerunt, ad posteros futuram monumento, quod unius nominis ac sanguinis essent omnes, qui unquam dispersi palabantur per orbem. Ast quia istis operibus, *vel suam gloriam quæsiverunt, Dei neglecta; vel quia eidem ad minimum, suam famam præposuerunt; aut deniq; quod talia moliti sunt, Deo non imperante;* conf. inf. cap. 8. hinc exardens ille ira, lingvam eorum sic turbavit, ut alius, excepta domo Heberi, in qua prior lingua mansit integra, alterius familiæ alium

non amplius intelligeret, sed singuli aut certe pleriq;, tantum sacci memores ex priori lingua (fortassis quod eum tunc arripiebant) relicto illo *Babel i. e. loco confusionis*, cum suis familiis digrederentur in regiones, sibi per Noachum, auctoritate patriarchali deputatas, ac insuper testamento imperatas, uti *Eusebius & Cedrenus referunt.*

# CAP. IV.

*Declarat fata Japhetaeorum ad nostras terras properantium.*

*Et japhetai quidem ex Noachi secundo genito Magogo oriundi, digrediebantur in Sveciam & Gothiam*, sicut ex variis clarisq; auctoribus probant, qui annales civiles patriæ nostræ cum laude, sunt moliti, vide Jornand. Procop. Joh. Goth. Paulin. &c. *Dicis parum nobis esse memorabile, quod profiteamur nos Magogi posteros, quod Gog & Magog gentes sint Deo inimicæ Ezech. 38: 2. â diabolo seductæ Apoc. 20: 7. & exitio destinatæ, Ezech. 39: 1.* ℞. (1) Diligenter hic notandum est, *duos fuisse Magogos, alterum japhetæum, & Chamæum alterum*, sic â se invicem distinctos, ut cum hic Chamæus â consanguineo Nimrodo, Rege Babyloniorum, cum coloniis missus in Celosyriam, ibi regnum conderet, ac urbem Magogibi extrueret, circa annum â diluvio, 175., teste Beroso: ille Magog japhetæus mox post finem seculi primi â diluvio, h. e. multo ante, jussu Noachi sui avi, accingeret se itineri in Sveciam. (2) Sciendum igitur quod non Magogi Japhetæi, sed Chamæ posteri, sint illi, quos depingunt Ezechiel & Johannes: neq; tamen tales sunt iidem, præcise ob nativitatem, suamq; â Chamo dependentem originem, sed quod malis ac abominandis flagitiis visi sint corrupti ac perditi. Nos ex Magogo japhetæo oriundi, â Chamæo multum distamus, non igitur in nos vibrari patimur enumerata Gogæa effata,

maxime

maxime quamdiu ſumus luce verbi Dei illuſtrati, ac Deum ex ſuo verbo colimus recte. (3) Sed fortaſſis neq; Chamæus, neq; Japhetæus Magog intelligitur iſtis locis. Veriſimile eſt notari *Schytiam Cathajam*, ubi *Presbyter Joannes* majorum noſtrorum ætate, potentiſſimum tenuit imperiū, & ubi nunc imperat Tartarorum Chamus: ſub ejus quippe imperio, intra celſiſſima maximeq; arduorum laterum Caucaſæa juga, ſunt regiones *Jagog & Magog*, uti conſtat ex Geographia Arabica part. 9. Clim. 5. conf. Jeſv. Joannem Gruberum, nec non Paulum Venetum lib. 1. c. 64. qui ſimilia docet, & addit haſce regiones eorum lingva, dici *Lug & Monguq*. Imo, quia Tartari *α*. Preſbyterum Joannem qui religionis Chriſtianæ eo locorum fuit defenſor, recte Preſtegiani Perſice dictum, cum ſummo rei Chriſtianæ detrimento vicerunt, ac *β*. ex eo tempore, cum ibi per 72 regna, quæ ille poſſedit, tum alibi, Chriſtianos ſemper miſere afflixerunt, *γ*. nec non quia iidem in regno Tanchut, incolis Laſſa dicto, Magnum Lamam ſacrificulorum pontificem, loco divini numinis in ultimis palatii receſſibus, & ipſi colant, & alios præſertim vicinos Chinenſes, colere cogant; ego ſalvis judiciis aliorum, eos cumprimis per Gog & Magog intelligi puto, maxime cum hoc nomen eis f[illegible] iant eorum regiones. Ad eos igitur refero enumerata di[illegible]a ſacra, nec non Sybyllæ verſus: αἶ αἶ σοι Γὼγ, καὶ πᾶσιν ἐφεξῆς ἅμα Μαγώγ. Μάρσων ἠδ' Ἄγγον ὅσα σοι κακὰ μοῖρα πελάζει. h. e. *heu tibi Gogq; Magogq; aliisq; ex ordine cunctis. Marſon atq; Angon, tibi quot mala fata propinquant*. conf. Kirch. Chin. part. 2. pag. 47. ſeqq. *Inſt. Multi tamen ſuſpicantur Gothos eſſe Gog & Magog*. Rꝫ. (1) Gog eſt nomen generale, quo vocatur omnis princeps τȣ̃ Magog, explicati qua locum aut populum, h. e. ubicunq; ille fuerit, & cujuscunq; nationis. (2) Fatemur per Gog & Magog

Schyticas gentes cumprimis intelligi, prout ſcribunt *Joſeph. lib. 1. c. 11. & Theodoret. ſuper Ezech.* 38. imo, ideo hoc fatemur, quod propheta Ezechiel ipſe, videatur cap. 38. Magog ponere ad latera aquilonis: ſed an ideo eſt ille Magog Sveo-Gothus? Per inſcitiam Gothos noſtros fuiſſe Gog & Magog, *ſcribit Salmanticenſis Abraham in libro Johaſin fol. 135:* Nec ſolus ſic delirat, ſed idem cum ipſo ſentit ille, *qui Hieronymum, in libr. quæſt. Ebraic. in Geneſ.* de hoc argumento interrogat. Verum mox ipſe nominatus pater pro nobis reſpondet: *ſcio quendam*, inquit, *qui Gog & Magog ad Gothorum nuper in noſtra terra vagantium hiſtoriam retulit, quod utrum verum ſit, prælij ipſius fine monſtrabitur.* NB. *& certe Gothos omnes retro eruditi, magis Gethas quam Gog & Magog adpellare conſueverunt* &c. Ab hac igitur ſuſpicione, interprete Divo Hieronymo, liberamur *primum* juſtitia & eventu illius belli, nec non *ſecundo* noſtri nominis antiqua uſurpatione, pariter ac per patriam, moderna. His tu *porro* adde, quæ modo ſcripſimus de Tartaris, & non amplius erit, cujus cauſa τῷ Gog & τῷ Magog poſſumus inſimulari.

*Dicis iterum: Magogo Iaphetæo non fuerunt liberi aut nepotes: nam omittitur prorſus ejus poſteritas Gen. 10: ubi capita gentium ac linguarum recenſentur.* Verum ad hoc argumentum reſpondemus infra cap. 8.

*Dicis tertium: Longum fuit id iter japhetæis, & illi ſine dubio, ante ſubſtiterunt, quam in Sveciam pervenerunt.* Potuiſſent equidem ante ſubſiſtere, at adparet eos noluiſſe id facere, fortaſſis ne intermitterent ſtatim emetiri terram, ſibi verſus boream, datam, vel ex viſis probatisq; terris ut eligerent, quam judicabant commodiſſimam: hinc quia non placuit Schytia Tartarica, ob montium aſperitatem, Moſchoviam ſunt ingreſſi, quam ſimiliter mox reliquerunt, cum neq;

illam

illam probarent ob soli sterilitatem. Fenningia inde illis proxima, & quæ itidem tunc in cursu quasi negligebatur, fortassis quia cultu durior videbatur, aut quod multis in locis notabatur parum fœcunda. Transmiserunt ergo postremo sinum maris Vandalici, & in continentem delati, cum terram fœcundam & usibus suis commodam notassent, non modo incolere eam constituerunt, ceu ex aliquot annorum itinere respiraturi: Sed & *in signum occupationis dicam*, quod illuc fuerunt delati, quo eos vocarunt fata, *an ex beneplacito*, eandem suis nominibus insigniverunt. Sicut ergo ex Chamo diversis dialectis, Ægyptus dicitur jam Chemia, jam Kik, jam Ham, &c. ita tunc est *Svecia* dicta ex Svenone Magogi japhetæi primogenito, & *Gothia*, ex Getharo ejusdem Magogi secundogenito.

*Quarto quæris: qui ergo post occuparunt Schytiam, qui Muscoviam, & qui Fenningiam, desertas in transitu, â Svenone & Getharo &c. Magogi japhetæi primis filiis.* Respondeo, *Schytiam illam orientalem*, ubi olim habitarunt Hunni; nunc Tartari, occuparunt â divisione, posteri Thoreri, Magogi japhetæi filii tertiogeniti. Et *in Muschovia* consederunt posteri ex Mosoch, Magogi sextogenito filio sati. Quinam vero *Fennos* condiderunt, non omnino facile est nobis dicere. Suspicantur *multi* eos oriundos esse ex Gomarì japheti primogeniti posteris, procreatosq; mixtis Livonis, Prutenis ac Ruthenis, satis ab ejusdem Gomari nepotibus. *Alii* opinantur eos ex Moschis ortos, ut nunc non addam, quod jactent *aliqui* ex recentioribus, originem eos ducere ex ultimarum in japonia Chinensi insularum incolis, quod navigantibus sermo Finnicus tule tänn' inde nuper sit dictus: uti refert Arbogensis in suo itinere. Sed hæc benè inverti possunt; In se igitur de tota gente nihil solidi addunt. Potuit sic ex-

 clamare

clamare verus quisquam Fennus ibi per Hollandum expositus, vel alias illuc naufragio delatus: & potuit similiter sic exclamare quisquam genius: nam notum est quomodo ex variis locis, nunc hac lingua, nunc alia respondeant, vocent ac arcessant volitantes genii. *Georg. Hornius* in Arca Noæ pag. m. 230. sic scribit de Fennis. *Videntur initio ex Armeniæ montibus descendisse, quia ibi soleas ligneas caligatas pedibus supponunt, teste Strab. xi. quod hodie Finnis & Laponibus peculiare, &c.* Nos hic nihil definimus: sed hisce præcognitis contenti, ad scopum nostrum *de cognoscendo statu Ecclesiæ sub hac periodo*, veloces properamus.

# CAP. V.

*Notat postdiluvianorum nostrorum Theologiam quà præcipua sua capita.*

I. Quæ *credenda* habebant & amplectebantur nostri antediluviani, eadem habebant & amplectebantur nostri primi postdiluviani. Ut itaq; antediluviani nostri ex verbo Dei habuerunt articulos fidei, *de Deo, de creatione, de providentia Dei, de angelis, de triplici Dei lege, morali, ceremoniali & paterna seu forensi; item de libero arbitrio, de peccato, de Christo, de fide, de justificatione, de resurrectione à mortuis, & de vita æterna; &c.* conf. supra pag. 21. seq. sic hos eosdem articulos habuerunt & usurparunt primi nostri postdiluviani.

II. Similiter quæ *agenda* sciebant nostri antediluviani, vide illa supra pag. 23. eadem noverunt primi nostri postdiluviani: fuitq; illis ac his una & communis devotionis ac salvationis ratio. Tantum circa fidei objecta, in eorum ecclesiis fuit tunc discrepantia, variante objectorum modum œconomia divina, quæ illa fidei objecta primum minus clare proposita, cum tempore, cœpit voluitq;, clarius clariusq; proponere.

III. In

III. In his ergo credendis ac agendis probavit tunc populus uterq; Deo suam obedientiam, & per hæc adspiravit uterq; ad cœlestia: uterq; itidem intenti finis ac voti compos factus, qui lucem sibi concessam, recte per divinam gratiam usurpavit.

IV. Non ignoro ab hisce nostris dissentire Rabbinos, affirmantes Adamum post lapsum, accepisse â Deo sequentia *sex* præcepta, 1. *De celebranda divini nominis Majestate.* 2. *De juribus dicendis.* 3. *De sanguine humano non fundendo*, 4. *de idolis non colendis*, 5. *de abstinentia â rapinis*, *& de incestu vitando*: adjicientesq;, mox â diluvio auctore Deo, *septimum* additum, *de membro vivi animalis non comedendo*, *conf. Cunæum de rep. Hebr.* ut hac ratione ex mente eorum, *septem* sint in universum, præcepta, quæ habuere primi nostri postdiluviani. Nos vero etsi faciles concesserimus horum pleraq; jure divino nobis constare, & aliqua quoq; eorum, mox â diluvio claris verbis â Deo inculcari, vide Gen. 9: non possumus tamen non ambigere, an tunc temporis fuerunt eadem omnia promulgata? scripturam certe non habemus talia docentem, & quæcunq; eadem adstruit traditio, non potest non suspectæ fidei esse: (1) quod hæc præcepta illa proferat, & non alia, quæ tamen videntur esse dignitatis aut ejusdem, aut certe majoris, (2) Omittit illa traditio præceptum de sacrificiis; quod tamen â Deo tunc temporis fuisse injunctum, docet Paulus Heb. 11: 4. collatus cum Matt. 15: 9. (3) Arbitramur itaq; Rabbinos hæc sua præcepta excogitasse, quia veriora de Christo, & via salutis, occœcati neq; voluerunt, neq; potuerunt. (4) ut nunc nihil dicamus de secundo præcepto i. e. de *juribus dicendis*, item de septimo i. e. de *membro vivi animalis non comedendo*, quæ nescimus unde habuerunt, item cur habuerunt? Neq; enim sic fuit

pru-

prudentia legislatoria Adamo imperata, ut non posset in cœteros patres cadere; imo videntur singuli patriarchæ magis pro re nata, consilia sua, eorumq; exercitia, pie pariter ac prudenter in suis familiis usurpasse, quam ad præcepta Adami cœco affectu, vel unquam collimasse. Et quorsum præceptum de membro vivi animalis non comedendo? sine dubio nihil id aliud vetuit, quam usum sanguinis: fuit igitur id in se prorsus temporarium, sicut quoq; temporariũ, & propter scandalum cavendum, fuit itidem id, quod sanciverunt in Concilio Jerusolymitano Apostoli, *de sanguine non comedendo*, Act. 15:29. Nos ergo Rabbinica hæcce non multum moramur, sed antediluvianos articulos credimus tantum post diluvium illustratos majore luce, ac cum alibi, tum præcipue circa legem ceremonialem ac forensem, benigne auctos, Gen. 9: 4. seqq.

# CAP. VI.

*Inquirit in hujus temporis præsules per nostram SveoGothiam.*

I. *Primus præsul fuit Magog Japheti filius.* Fuit quidem priscis illis seculis, penes patriarchas potestas civilis & ecclesiastica, h. e. jura dabant illi liberis suis & nepotibus, & simul curam sacrorum agebant: Noah tamen fuit, qui illum antiqvum & sacrum morem, post diluvium, primus solvit: nam se abdicavit cura civilium rerum apud eos nepotes, quos in longinquas oras emisit. vel quod sic institueretur â Deo sub orbis divisionem, vel quod ipse dispersis ubiq; nepotibus, commode amplius non posset præesse, sed pateretur singulos se invicem ita regere, ut semper in familiis, juxta ordinem sacrum, natu maximi inferiores ac cœteros gubernarent. Recte ergo vel Dei mandato, vel Noachi dispensatione, gubernavit tunc temporis in Sveo-Gothia, Magogus populi præfectus*.

Simi-

Similiter curam religionis ex antiquo patriarchali instituto sibi jure meritoq; vendicavit Noah; non potuit tamen non illam imperare palaturis filiis ac nepotibus, aut saltem illis eandem permittere, quum per locorum intervalla non posset ipse amplius eadem rite defungi. Recte ergo itidem *vel mandato divino, vel Noachi ordinatione*, tunc SveoGothorum præsul fuit Magog, & sic in gente sua, primus non tantum præfectus, sed & sacrorum antistes*.

*Secundus præsul fuit Thorerus Magogi tertiogenitus, symmistis Germano ac Ubbone, fratribus natu minoribus.* Prærogativam magnam in sacris pariter ac civilibus possedit Magog, & eam totam ceu singulare beneficium, incorruptam transmisit in filios. Illi tamen noluerunt amplius utramq; potestatem conjungere, (rectenè ita an secus, ego nunc non interpretor) sed iisdem divisis se plures fratres extollere. Atq; tunc ex conventione, *cessit Svecia cisylvana, primogenito Svenoni, & transsylvana secundogenito Getharo.* Ambo vero hi abstinuerunt â sacris faciundis, vel quod utriq; potestati per sua regna non sufficiebant, vel ut fratres suos honoribus ornarent, vel deniq; ut haberent, per quos confidentius propter sanguinem admoniti, sub erroribus humanis possent in viam reduci. Sicut ergo ipsi magistratus civilis munia non detrectabant obire: sic potestatem ecclesiasticam transferebant in *Thorerum, Germanum, & Ubbonem*, suos fratres minores, ac sua imperia promptis obsequiis mox colentes. *Secundus ergo præsul uti diximus, fuit Thorerus* symmistis fratribus, *Germano & Ubbone.*

*Ubi vero Thorerus pontificatum obivit, in Gothiane, an in Svecia; item quamdiu vixit, non invenio apud auctores*: saltem constat penes hosce fratres, ecclesiæ regimen fuisse, postfata Magogi. Vulgo tamen traditur, Magogum vixisse annos 62, ab introitu in Sveciam, inde per hos fratres directas ecclesias ad an-

num â diluvio 246: h. e. subductis annis 100 solitudinis, & 60 ac duobus Magogi; eos fere 90 annos, sacrorum curam egisse, conf. *Reverendiss. D. D. Paulin. in Hist. Arctoa l. 2. p. 20. & 27.*

# CAP. VII.

*Docet in genere, religionis zelum, sub hac prima terræ nostræ inhabitatione, post diluvium.*

Quamdiu integra heic floruit religio, minus planum est qua *annos ac tempora certa* determinare. *Seculo primo* â diluvio, non fuit heic aliqua religio, terra nondum cultoribus ornata; quod nos nunc addimus, ne opus habeamus, receptum per secula mundi, numerum variare. At ex quo terra cœpit excoli, beariq; piis colonis, credibile est *religionem tribus primis seculis â diluvio, nihil, aut omnino parum, labis contraxisse.*

I. *Pius fuit Magogus*, gentis pariter ac religionis per nostras terras, sator ac propagator: Gens igitur ipsa sub incunabulis suis recte educata, ductu Spiritus Dei, non potuit non sinceram religionem suam identidem recolere, ac pro viribus urgere.

II. *Pii quoq; fuerunt ejus filii*, tam qui in *magistratu civili* degebant, quam qui agebant *in ordine ecclesiastico.* Spes ergo iterum subest, religionis tenorem ad se delatum, recte servasse ecclesiasticos, nec quicquam eum impeditum â politicis, fratribus non modo *humanis*, ut qui imperii modestia fratrum promptitudinem ac benevolentiam meruerunt; Sed & *iidem piis*, ac qui ne religionis fervor usquam deficeret, ordinem sacrum jure sibi debitum, prudenter transtulerunt in fratres.

III. *Vixit præterea Noachus 350 annos, post diluvium, Gen. 9: 28.* Vel circiter 250 ex quo cœpit Sveo-Gothia rursus inha-

inhabitari. Ita nos sæpius numeramus, non ignorantes ingressus in Sveciam annum, ab aliis extendi, in annum 130 á diluvio; quomodo scribunt ac narrant complures: ab aliis vero eundem diminui, ac referri ad annum 88 á diluvio, conf. Messenii Sveo-pent cap. 2. Tot ergo annos cum viveret Noachus, non potuit non suorum curam habere, ubicunq; terrarum iidem habitabant: imo, sicut fuit justitiæ præco, sic justitiam nunquam non sedulus prædicavit, ac proinde sicut obambulavit de provincia in provinciam, religionis fidelis assertor; sic minime dubium quin & per Sveo-Gothiam, sua inspectione religionem sacram impiger movit. Testatur Berosus, *exacto decennio, consumptoq; eodem in ordinandis per orbem novis colonis, Noachum ex Asia transivisse in Africam, ac rursus postquam repetiit Asiam, excurrisse ad Schytas Europæos, h. e. japheti posteros, ubicunq; in Europa iidem vagabantur; heic postea illum majorem ætatis partem egisse, ac ultimum inter functiones sacras ac ecclesiasticas, in Italia exculta per Thubal quintogenitum, pie obdormivisse.* Sicut itaq; Noah teste Beroso, bis fuit in Europa, ac heic quoq; est extinctus; sic tenendum eum heic quoq; curæ sacrorum invigilasse, cum ob sacram religionem, & non politicum regimen, suos nepotes pius pater inviseret. Fasq; est credere ultima vice cum esset in Europa, eum ivisse invisum sortem filiorum primogeniti sui: nam si reliquorum filiorum nepotes invisit, certe primogeniti posteritatem haudquaquam neglexit, animum ejus ad hoc iter extimulante memoria, tam *naturali*, in primogenitum propensa, quam *sacra*, recolente dignitatem primogenituræ juxta ordinem divinum, ac jam ambiente videre, quæ laus quæve culpa ejusdem in boreâ vel servatæ, vel violatæ.

IV. *Quin & memoriam diluvii arbitramur religionem sacram apud eos promovisse:* credimus quippe primos Sveo-Gothos in sacra religione propaganda ac servanda, tanto fuisse ardentiores, quanto certioribus ac ob sangvinem tenacioribus animis repetebant pœnam, qua mulctabantur, qui paulo ante noluissent eidem obtemperare: atq; hoc argumento compulsos credimus, quos non capiebat in Domino, spontaneus spiritus: Discunt namq; segniores bene facere, formidine pœnæ, & non paucos quoq; terrent vestigia mulctæ. Ex quibus omnibus concludimus, si quondam **Götha landet och Swidia/ woro tu helgaste land i Norlanden/** uti scribitur in vetusto Svecorum Chron. pag. 3. quod eadem regna si unquam, certe his antistitibus, talia h. e. *sacra*, extiterunt: Nimirum vera doctrina cœlestis, quæ annis 200 circiter â diluvio, in hisce terris septentrionalibus per Magogum est disseminata, demum post fata Erici primi cœpit paulatim abrogari, prout scribit *Paulin. Hist. arct. l. 1: c. 30.* conf. similia apud *Joh. Gothum lib. 1: cap. 8.*

## CAP. VIII.

*Solvit objectiones aliquot, quæ moventur contra superiora.*

I. *An quisquam eorum pius, qui turrim ædificarunt? & annon turris babylonica, turris superbiæ? quomodo ergo potest Magog, qui illius operi interfuit, pietatis vel religionis nomine commendari?* ℞ (1) Vulgo dicitur turris Babylonica turris superbiæ. & sine dubio, per superbiam, illam turrim ædificarunt non pauci, præsertim Camitæ, qui imperium in alios jam tum animis occuparant: Sed an idem animus ceteris operariis cunctis? putare convenit, quosdam adnisos fuisse, non per superbiam, sed partim ex simplicitate; invitatos eosdem

exem-

exemplo aliorum, partim ex pia intentione, ut ponerent monumentum, probans apud posteros, unius nominis ac sanguinis esse omnes, qui nunc jussu Noachi, palabantur per varias terras. Quomodo ergo *Rubenitæ, Gaditæ & dimidia tribus Manasse* ex zelo sanguinis, struxerunt altare, symbolum communionis, Josv. 22: 13. Sic pariter *Semæorum & japhetæorum plerosq;* suspicamur turris structuram adjuvisse, non ex insolentia, sed ut invenirent posteri communionis monumentum. (2) Quamquam itaq; hanc structuram mulctavit Deus confusione linguarum, non tamen fuit uniuscujusq; delictum circa eandem, æquale vel æq; grave: sed gravius peccantibus ex insolentia Camitis, levius in sua ista vel simplicitate, vel intentione peccarunt Semæi & japhetæi. Unde bene propter hunc lapsum, præsupposita indulgentia divina, credere audemus eorum plerosq;, etiam sub hoc opere, fuisse religiosos: item sperare Magogum japhetæum originem sangvinis nostri, ex pio parente recte institutum, non tantum tunc, sed & postea in hisce oris, pietatis zelo arsisse; ac per consequens, ad Camitas cumprimis esse referendum, quod conditores turris sub opere, dejectionis angelicæ, nec non præteriti diluvii, passim scribantur obliti.

II. *An venit Magog in Sveciam? videtur ipse ad Tanaim consedisse; & quæ de Gothorum origine ac antiquissimis gestis, jornandes aliiq; tradunt, videntur vel fabulis propiora, vel saltem incerta, scribit Hornius in hist. sua pag. 178. & 200.* ℟. Magogum huc venisse docent historici nostri meliores, & hæc docent iidem ex auctoribus antiquissimis. Doleo itaq; eadem nunc â Dn. Hornio fabularum suspicione extenuari: sed fortassis non vidit vir Clarif. historicos nostros. Largitur idem Danis ex liberalitate, quæ scripsit Saxo, & pariter Norvegis

dat,

dat, quæ prodidit Sturlſonius: ſperaverim igitur, ſi quoq; Saxonis multa falſa, nomine verorum, & probavit ipſe & ſua auctoritate fulcivit, quod noſtra vera ut fabuloſa, non traduxiſſet, ſi ea unquam vidiſſet ac conſuluiſſet. Verum hæc ad Hiſtoricos patriæ, quorum eſt hiſtorias non minus ſervare proditas, quam novas propter poſteritatem, condere. Nos ſcimus Magogum huc veniſſe, ac 60 aut circiter, annos imperaſſe, inde ab ejꝰ filiis credimꝰ terras noſtras nominatas, ac in hodiernum uſq; diem, continua poſſeſſione â nepotibꝰ cultas ac defenſas. *Inſt. Non legitur in ſcriptura, quod Magog japhetæus habuit filios, unde ab illo non eſt aliqua gens orta, cum conſtet â 73 capitibus nominatis Gen. 10. videlicet â 15 japhetæis, 27 Semæis & 31 Chamitis, tot & non plures gentes ac lingvas profluxiſſe, auctoribus Epiphanio contra Sethianos, Arnobio in Pſ. 104. nec non Auguſt. lib. 16. de c. D. c. 3.* ℟ Non fuit S. Sancto viſum ſingula capita ibi recenſere, nedum docere, tot fore gentes, quot numerantur ibi capita: ſed aliud voluit ille hac recenſione tradere, nimirum *vim benedictionis divinæ oſtendere*, & illos recenſere, *qui populo Iſraelitico debebant præprimis vicini vivere, eiq; ex ordinatione divina jam cedere, jam nocere, &c.* Tametſi itaq; aliqui κεφαλαιῶται Gen. 10. recenſeantur; tenendum tamen non illos ſolos extitiſſe in univerſum, ſed ſolos illos extitiſſe, qui intentioni ſcriptionis ſacræ tunc & ibi, ex beneplacito ſpiritus inſerviebant. Non licet itaq; ab illis concludere negative, ut ajunt, ac ſi præter illos non extitiſſent alii; nedum fas eſt cum iisdem, gentium ac lingvarum numerum conjungere, qua paritatem exactam; cum ſcriptura ſacra neq; h. l., neq; uſquam alibi, cum hiſce capitibus connectat gentes, vel ex iisdem metiatur lingvarum numerum: imo, ex certis monumentis novimus nos noſtro Magogo fuiſſe filios multamq; poſteritatem, tametſi neq;

illo-

illorum neq; hujus, in hoc loco Mosaico, ulla injiciatur mentio: & sine dubio, idem de fontibus suis affirmabunt alii; *conf. Tremell. super Gen. 10. ubi de his & ipsis capitibus, multa habet præclara.*

III. *Obj. Japhet legitur tertius in scripturis, vide Gen. 5:3 6: 10. 7: 13. & 10: 1. quomodo igitur is primogenitus?* ℞ Triplex est ordo capitum in scriptura numeratorum. *Naturalis, personalis & historicus. Naturalis* cum liberi recensentur eo ordine, quo sunt geniti, quomodo recensentur filii Davidis 1. Chron. 3: 1. *Personalis* cum illi qui dignitate præcellunt, ponuntur priore loco, sicut Ephraim præmittitur Manassi, Gen. 48: 20. *Historicus* vero cum posteriori loco ponitur (perinde sive is sit prior dignitate aut natura) â quo historia proxime inceptura est, quomodo Esau propter seriem historiæ postponitur Jacobo, Gen. 28: 5. Quanquam itaq; postremo loco inter fratres legatur japhet in locis notatis, non tamen sic postponitur per ordinem naturæ aut dignitatis, sed unice propter seriem sequentis historiæ, is ultimo loco legitur, qui fuit primogenitus, h. e. japhet propter seriem historiæ, non tantum postponitur Semo, quo erat duos annos major, sicut constat ex Gen. 5: 32. collato cum Gen. 10: 21. & 11: 10. Sed & postponitur Chamo, qui erat fratrum minimus, Gen. 9. 24.

## CAP. IX.

*Docet ecclesiæ statum sub finem hujus periodi non parum declinasse.*

*Fuit pars prior hujus periodi*, quæ ecclesiæ Sveo-Gothicæ felicitatem, post gratiam Dei, docuit ex vigiliis piorum præsulum, in eadem plantanda ac conservanda: *Nunc sequitur posterior* quæ memorat quomodo res sacræ per patriam nostram cœperunt turbari ac convelli: Do-

Decesserunt alii post alios, *Magogi filii, Sveno, Gethar, Thorerus ac Germanus*, qui per Sveo Gothiam fere per seculum, fuerunt divini humaniq; juris tutores ac interpretes, & remansit solus *Ubbo* natu minimus. Is vero ut non tulit imperium â se averti, sic ut eodem potiretur, sacrorum cura se abdicavit circa annum â diluvio 246, aut 146 postquam cœpit Svecia excoli. In hac vero mutatione nimium quantum ecclesiæ status est turbatus, vel quod Rex in pontificatum idoneos successores non invenisset, vel quod ipse, ceu vetus sacerdos, parum recte imperaret, aut deniq; quod non adessent, qui consiliis, fidelitate ac auctoritate eum juvarent.

Accessit & aliud malum. *Regnante Siggone I. in Svecia*, Ubbonis successore, cum Esthones, ut ajunt, Livones ac Curetes irruptionibus maritimis omnia fœdassent, jam amplius premebatur per patriam, ecclesia Dei. Tollebantur qui erant, sacrorum antistites, & rex ipse magis arcendis hostibus attendebat, quam servandis aut restituendis sacris. *Nec melior rerum facies hoc tempore apud Gothos*: nam tametsi illi itidem ut Sveci cis sylvani, nunc non premebantur ab hostibus; degener tamen Gethari filius sic eos malis moribus vitiavit, ut improbis quam religiosis essent similiores. Adparet ex Sapphico Erici primi corrupta fuisse omnia: *regem injustis legibus gravasse populum, & hinc populum concitatum, furore ac libidine omnia miscuisse*; Nequaquam ergo fallit, qui sub tali statu, scribit gementes ac tristes vixisse pios, quos superstites fecit vel cœdes hostium, vel popularium libido.

HYPO-

# HYPOMNEMATA.

I.

*Constat Noachum tres filios habuisse, Japhet, Sem & Cham*: sed an illi soli fuerint, id itidem liquido non constat.

II. *Sicut Japhet & Sem benedicuntur à Deo, sic minis servitutis percutitur Chamus*, Gen. 9: 25. Hic tu attendes (1) *ad analogiam inter servituros ac regnaturos.* Non tota posteritas Chami debuit servire, sed tantum illi, qui fuerunt procreandi de Cenaban Chami filio; forsitan quod is puer patri primum monstravit nuditatem avi, atq; sic recte in suis posteris commeruit servire, uti volunt eruditi: neq; debuit tota posteritas Semi & Japheti regnare: Tantum ergo excellenter super Cenahan regnarunt Israëlitæ de progenie Semi oriundi, dum ejus posteros in terra Canan oppresserunt atq; servituti manciparunt, Josv. 9: 22. (2) *Attendes ad conditionem, quam præcipue posuit benedictio Semo ac Japheto data.* Videre est ex opposito, qualis illa conditio fuit. Servire debuit Cham in suis posteris; fuit igitur illa benedictio fere tota temporalis ac civilis: nimirum ordinavit summus Deus per Noachum, ut subjugato Chamo fratre minimo, majores duo Japhet & Sem extollerentur potentes, Gen. 9: 26. (3) Neq; tamen negamus, quin eadem illa benedictio aliquid sacri complectebatur. Nam ex mero beneplacito constituit Deus *ex Semi posteris*, colligere sibi peculium, Exod. 19: 5. & *cum posteris Japheti*, si minus fœdus sacrum itidem voluit pacisci, cum iis tamen alia ratione, ceu mirabilis ac svavis œconomus, voluit blande loqui, Gen. 9:

III. *Dum ergo Cham dicitur mulctatus sterilibus terris*, intelligendum id de majore parte ex posteris ejus, nimir. de iis, quos Deus per *Phut* in Numidiam, per *Ludim* in Arabiam, per *Misra-*

*im* in Ægyptum, ac per *Anamim* in Æthiopiam &c. interpretibus viris doctis, justus ablegavit, conf. Gen. 10: 6. seqq. Alias si hos enumeratos Chami posteros, eorumq; similes nonnullos alios exceperis, jam sciendum est quod eorum alii in fertilissimas provincias sint immissi, ceu Cananæi, quibus data fuit terra, quæ fluebat lacte & melle, Deut. 27: 3. imo, & hoc addendum, quod eorum non pauci sint Japheti ac Semi posteris immixti, quomodo per *Napthuim* opinione doctorum, Lusitani putantur procreati, *vide Henningii Theatrum geneal. pag. 9.*

IV. *Similiter etsi propter petulantiam, servitute mulctatur Cenahan: non tamen petulans fuit is in omnibus suis posteris, uti nec totus serviit semper & ubiq;.* Pius fuit *Abimelech I.* qui â Deo informatus, muneribus prosequebatur Abrahamum, Gen. 20: neq; minus pius *Abimelech II.* qui fœdus feriebat cum Isaco, Gen. 26: imo, pius quoq; fuit *Achis*, ad quem properabat David, 1. Sam. 21: &c. Hi fuerunt de posteris Cenahan ut notum est ex historia sacra, & tamen in tantum â servitute fuerunt iidem liberi, in quantum per gratiam Dei, eminebant præ multis aliis, ipsi reges illustres. Non igitur tota posteritas Cenahan fuit servituti addicta, nec quæ serviit, semper & ubiq; fuit sub jugo.

V. *Magogum Iaphetæum habuisse filios, tenet constans fama, eosq; porro 5. fuisse qua numerum, ex antiquissimis runis dicam an scriptoribus, docent pleriq; historici patrii.* Quamquam itaq; pro more multarum aliarum gentium, liceret vi nominis, ad Gethar filium Arami, de posteris Semi, referre nostros natales, ut quoq; ad illum Gothos cum vicinis MassaGethis & SamoGethis, reducit *Henningius pag. 11.* non tamen pœnitet nos ex fide Clarissimorum historicoum patriorum, ad Japhetum provocare, sub mentionem originis nostræ,

quod

*quod Deus blande cum ipso loquatur, & ille habitet in Tabernaculis Semi*, Gen. 9:

VI. *Identidem vero recolendum est duos fuisse Magogos, alterum Chamæum, & Iapheticum alterum*: hosq; qui confundunt, Chamæum ignorantes, næ illi circa hoc argumentum, in magno errore versantur: faciunt quippe Turcas ac Tartaros ejusdem originis cum nobis Schytis.

VII. *Quo tempore duce Nimrodo, cœpit Monarchia Chaldaica in Asia late sic dicta, per Chami nepotes: eodem tempore cœpit in Europa, Monarchia Svecica, duce Magogo, per Iapheti nepotes. Paulin.* Porro si Tu hic sciscíteris, *cujas fuit is Nimrod?* fortassis non negandum est fuisse ipsum de filiis Japhet, Gen. 10: sciendum tamen ejus gesta Chami posteris plerumq; adscribi, quod iisdem sociis, ille cumprimis regnum moliebatur.

VIII. *Sicut Asiatica Monarchia dicitur aliquando Assyriaca seu Ninivetica, aliquando Chaldaica seu Babylonica*, juxta vicissitudinem regionum ac civitatum: sic pariter pro varietate provinciarum, *dicitur hæc antiquissima Monarchia Europæa, jam Gothica, jam Svecica, jam junctim Sveo Gothica, Ioh. Gothus, Paulin.*

IX. *Quo tempore Niniven in Assyria condidit Ninus 1.* scilicet anno mundi 1908. *eodem in Svecia, Ubsaliam condidit Ubbo 1.* Ita rem memorant *Ioh. Gothus, Petrus Petrejus, Ionas Magni, &c.* Clarissimus *Schefferus* de tempore conditæ Ubsaliæ nihil definit; sed tantum pervetustam eam esse docet pag. 15. seqq. id quod nos haudquaquam imus inficias. Ceterum habeatnè *eadem nomen suum ab Ubbone*, ex facili permutatione literarum tenuium mediarum ac aspiratarum, uti volunt nostratium multi, putantes sensum eundem esse, sive Upsala dixeris, sive Ubsala, aut deniq; cum rusticis minus castigate, Ossala: *vel sic dicatur* illa juxta morem fere Germani-

cum, â præpositione Svecica op i. e. sursum, & fluvio vel loco aliquo ad fluvium Sala/ uti speciose disserit modo nominatus Dn. Schefferus: *aut deniq; an sic dicatur ex Ubbonis Salom/* i.e. palatio, aut palatiis in numero plurali, uti legere nos jubet glossa adposita in Konunga Sagun/ pag. 61. id nobis, attentis ad historiam ecclesiasticam, hoc loco perinde.

X. *Sicut aliquot seculis excrevit in immensum Monarchia Assyriaca.* de Semiramide uxore Nini 2.[di] scribit Diodorus quod 3000000 peditum, & 50000. equitum duxit in exercitu: *sic seculis non pluribus ita crevit populus Sveo-Gothicus*, ut non modo sufficeret colendis suis regionibus per Scandiam, sed & laborans multitudine urgeret multorum millium emissionem in vicinas insulas Cimbricas. *Ioh. Gothus, Paulin.*

XI. *Sicut Monarchia Chaldaica* (1) *laboravit vitio auctoris.* Erecta fuit illa per Nimrodum, robustum illum venatorem, vicinarumq; gentium oppressorem. (2) *Sicut illa conjunxit habitacula Semi & Chami*, quæ tamen debebant esse distincta. (3) *Sicut illa fere tota dependit qua executionem, ab improbo Chamo:* sic recte brevi tempore vacillavit, ac in Assyrios, posteros Semi, est translata, *Paulin. Monarchia vero Sveo-Gothica sicut sanctioribus principiis est nata*, sic hactenus ferme per 4000. annorum, viguit diuturna. *Deus & in posterum protegat eam clementer, tutelari suo angelo!*

XII. *Ex quibus omnibus, vel evictis, vel datis, adparet Sveo-Gothos, inter gentes postdiluvianas, esse antiquissimos*, si nomen acceperis simpliciter pro ipsis hominibus; quemadmodum quoq; antiquitatem nominis nostri agnoscunt auctores pleriq;, non tantum circa ipsum fontem, *Magogum*, sed cumprimis circa colonos nostros, *Westro-ac Ostro Gothos*, qui è Scandinaviâ egressi, stupendam imperii amplitudinem, per

Euro-

Europam, Asiam ac Africam, distinctis vicibus, & voluerunt, & Deo duce, obtinuerunt.

XIII. *Dicis: Inter gentilismum qui fuit per Sveciam, paulo ante finem testamenti Veteris Iudaici, & inter gentilismum, qui fuit cum alibi, tum præcipue per Asiam versus Africam, invenitur magna affinitas qua numina ipsa, eorum nomina, vim ac cultum &c. Inde ergo suspicio, (1) cum falsis numinibus nos esse satos, atq; sic (2) non statim â diluvio, sed demum multis seculis post, ex Asia per Thraciam, in Schytiam, ac consequenter in Scandinaviam, esse deductos.* Sed annon potuit superstitio per gentem vulgari? & an opus cum nova vel religione vel superstitione novam semper gentem condi? contrarium profecto testatur quam plurimorum seculorum experientia. *Deinde* non redolent genium Asiaticum ingenia nostra. Non lingua tantum alii sumus ab Asiaticis, sed & discrepantiam summam ab illis constituit inter nos & illos irreconciliabilis ingeniorum ac morum diversitas. *Tertio* notum est diversoria Semi, Chami & Japheti esse distincta: & cur *ultimum* superstitioni magis primos nostros conditores dicemus mancipatos, quam veræ religioni addictos? an ut Cham vel Cenahan ceciderũt, sic cecidit Japhet fons sanguinis nostri? hæc non leguntur. Si ergo Cenahanæorum multi fuerunt pii probiq; uti vidimus supra num. IV. cur meliora desperabimus de posteris Japheti? Quo fundamento salvo minus æqvum est, ad Sveo-Gothos priscos adplicare, quæ de corruptis gentibus Asiaticis notantur apud alios, singularia: & adhuc iniquius, superstitiosis conditoribus nos dicare &c. *sed de his infra.*

XIV. *Optandum esset etiamnum adparere primi temporis documenta, ceu (1) lapides sepulchrales* primorum patrum, positos vel statim â morte ipsorum, vel postquam eos literasq;, primum invenit industria humana, *aut de-*

*niq́* (2) *antiquas statuas*: *vel* (3) *monetas alias*. Sed quid caducum vetustas non excedit aut sepelit? Sicut itaq́; per vim naturæ, talia nunc non amplius visuntur, utpote quæ vel fumo antiquitatis sunt confusa, vel alias dispositione divina, sub cineribus ac arenis jacent sepulta, quod monumentis nostris antiquissimis, contigit sub variis aut favillis Ubsaliensibus aut rapinis &c. Sic velle ea videre ut fides priscis traditionibus habeatur, non tam est intempestivam curiositatem prodere, quam nos modernos nova & impossibili conditione onerare; imo, ipsam naturam in suis legibus fatigare, ejusq́; auctorem in suis ordinationibus incusare.

XV. *Standum igitur fide eorum, qui quondam eadem vel ipsi oculis suis subjecerunt, vel subjecta ab aliis, per majorum simplicium ac integritate conspicuorum certam traditionem, cauti acceperunt.* h. e. caveantur vel excutiantur recte, quæ nunc feruntur, ex quo per literarum abusum, in tali negocio solertior cœpit esse prudentia aut nequitia humana; & recipiantur bona fide, quæ vulgavit ante prisci ævi simplicitas, maxime quamdiu mansit integra, nec dum fallere, arte aut malitia didicit.

XVI. *Alias non negandum est, circa originem gentium multa occurrere, minus certa vel plana:* Sunt equidem non pauci, qui *per literarum, imo, quandoq́ & integrarum syllabarum jam additionem jam mutationem aut intercalationem &c*, tentant omnia explanare: Sed hoc nimium videtur mihi, & justo confidentius, imo parum quoq́; sanctum in Dei ordinationem circa priorum temporum fata. Vix ergo quicquam aliud iidem moliuntur aut efficiunt, istis suis conatibus, quam quod prodant animorum æq́; ac ingeniorum lasciviam & luxuriam. Scribit alicubi Seneca: *nemo scit, quantum nesciat*, cujus dicti velim ut recordentur avari iidem, ne diutius turgeant

suis

ſuis ingeniis, nec non ut diſcant cum reverentia colere priora fata diſpoſitionis divinæ: Ego vero ejus dicti heic tanto magis ſum memor, quanto propter genus ſtudiorum, ab hoc lubrico argumento, *de origine gentium ſingularum*, ſum remotior, & quod habeam ſcripturam ſacram, quæ aviditatem ingenii, ſi quæ eſt, dulcedine pariter ac multitudine rerum, ſatiat abunde: *conf. Tremellium in notis ad Gen. caput 10.*

*Libri Secundi Finis.*

---

# PARTIS GENERALIS
# LIBER TERTIUS.

## De Eccleſia Sveo-Gothica ſub periodo annorum 480, quæ eſt â tempore Erici 1. ad Ericum 11. reſpondens fere exacte periodo ſacræ, quæ eſt inter vocationem Abrahami ex Ur Chaldæorum, atq; inter mortem Moſis in deſerto.

QUi hiſtoriam ſacram per periodos pertexunt, ſolent ſæpius *periodum tertiam inchoare â vocatione Abrahamî ex Ur Chaldæorum*, quod Deus novis beneficiis tunc ejus domum auxit. pariter quia nos præcedenti libro ad idem fere tempus deduximus fata Eccleſiæ Sveo-Gothicæ, ac jam favore nominis, invenimus regno datum regem pium ac probum: ab hoc igitur tertium librum hiſtoriæ noſtræ, nunc non immerito exordimur.

## CAP. I.

*Probat eccleſiam Dei ſub Erico 1. in patria noſtra, non tantum exſtitiſſe, ſed & incrementa cepiſſe.*

Dictum

Dictum est superiori libro sub finem, tristem fuisse ecclesiæ faciem per Sveo-Gothiam nostram, lascivientibus sub Gethari ignavo filio, Gothis, & Svecis omnia alia, quam pietatis conservationem tunc molientibus, propter hostes Ruthenos, Livonos ac Curetes, *Paulin.* adeoq; tunc apud Gothos, corruptos fuisse bonos mores, & apud Svecos sævitia hostium, vel ablatos vel impeditos ad minimum, antistites sacros. Neq; tamen, quod nunc addendum est, sub hoc tali statu, prorsus heic evanuit Dei ecclesia.

I. *Servavit illam Spiritus Dei in suo verbo, per ejus meditationem ac conservationem.* Nunquam deficit, qui verbi Dei reminiscitur, quod id nos sustineat ac juvet per aquam & ignem, Esa. 43: 2. Psal. 119: 92. Nec desperare fas est de verbi incremento, ubi id servatur ac cum aliis communicatur. Ut semen terræ commissum suum fert fructum, sic non potest non fructum ferre prolatum Dei verbum, Matt. 13: nam sicut ros & pluvia non cadunt frustra super terram, sed fertilem eam reddunt; sic nec fustra revertitur prolatum & communicatum Dei verbum. *Obj. Nondum fuit super terram, aliquod Dei verbum scriptum.* ℟. Si minus Dei verbum tunc fuit scriptum, fuit tamen idem tunc viva voce prolatum, ac per traditionem, provisore Deo, sancte servatum. Ut itaq; idem manet in se semper unum & sanctum, &c. sive scribatur, sive non scribatur, sed saltem viva voce propagetur, ac usurpetur, sic nequicquam infertur id tunc non extitisse, quia non extitit scriptum. potuit idem tunc fuisse viva voce prolatum, sicut quoq, revera fuit; & tamen sub hac circumstantia, id æq; sanctum fuit, æq; divinum, æq; efficax &c. sicut sanctum, divinum & efficax &c, est, ubi scripto comprehensum recte consulitur, item premitur meditatione pia.

II. *Ser.*

II. *Servavit tunc temporis ecclesiam Dei, per Sveo-Gothiam nostram, idem Dei spiritus, in ipsis sanctorum & credentium reliquiis.* (1) Qui sancti superstites fuerunt in illa ingenti hominum multitudine per utrumq; regnum, quam primum respirare ceperunt ex variis malis, oppressionibus ac indignationibus, quas ante tulissent, nihil antiquius habuerunt, quam collapsam ecclesiam restituere, & diminutam eandem adjectione aliorum augere: facit quippe conversatio impiorum, ut vere pii ferveant spiritu, Psal. 119: 53. (2) Est quoq; *omne bonum communicativum sui*, ut vulgo dicere consvevimus: & fas est similiter sperare, etiam ex hoc principio tunc superstites pios in disseminandis sanctis consiliis Dei, fuisse adnisos; nam neq; invidet Spiritus bonus aliis salutaria, & qui eodem aguntur, socios ac commilitones semper quærunt. Quos ministros deinde adjuvat spiritus Dei, qui infirmitatibus nostris succurrit, Rom. 8: 26. qui efficax est in infirmis, 2. Cor. 12: 9. & qui solus dat incrementum, 1. Cor. 3: 6.

III. *Quid vero effecit tunc temporis Rex ipse, Ericus primus?* Duo singularia comendantur in hoc rege. *primum* quod regnum legibus justis beavit, & *deinde* quod deductis effrenibus in Cimbricas insulas, ad novas sedes quærendas, prudens idem quasi malis exoneravit. De priori extat carmen sapphicum, ex antiquissimis carminibus Gothicis erudite compositum.

*Primus in regnis Gothicis coronam regiam gessi, subiiq; regis munus, & mores colui sereno principe dignos. Horrui quicquid furor aut livido svasit, & nulli gravis aut molestus, sed probus vivens timui præesse, more tyranni. Legibus justis populos gubernans præfui. Nullus pavor innocentes terruit. Judex procul est iniqvus me*

 duce

*duce pulsus. Daniæ regnum caruit colonis, donec illius regionis agros Gothicas gentes habitare jussi, sed sine rege. Non erant pauci populi rebelles, quos metus legum vetuit morari Gothica in terra, vel habere sedes inter honestos. His ego pulsis procul in remotas Cimbricas terras, reliquis quietem præstiti firmam, &c.* Quam cantilenam repetit Paulin. hist. arct. libr. 2. pag. 11. Johannes Magni vero non tantum eam suo operi inscribit, sed & addit, *quod hic Ericus regnum tanta virtute & industria gubernavit, atq; in terras procul dissitas extendit, ut pleriq; nostri historici, illum non solum præcipuum, sed etiam primum Gothorum regem fuisse existiment, lib. 1. c. 8.* De *posteriori* vero, nimirum quod abundantem ac indomitam multitudinem vel emisit vel ejecit in colonias, ad novas sedes quærendas, & ne legum suarum promulgationi licentia corrupti, essent impedimento, meminerunt non tantum ArchiEpiscopi Gothi, *Paulinus & Johannes*, in locis modo nominatis, sed & sic infertur Ericus ipse loqui in vetusto Svecico Chronico: Jag war förste Konung i Göthaland reed/ tå bodde ingen i Skåne eller wetalaheed/ jag låt them först byggia och vptaga/ tn bör dem skatta Göthom alla dagar/ &c. p. m. 69. & seq.

Hic ergo Ericus I. sicut fuit illustris probitate morum, & pietate legum: sic sinceritatem religionis recte putatur fuisse sectatus. Crediderimq; ego quod tenorem religionis ad se delatum non tantum pie sustinuit, sed & quod eum, sicut opus fuit, prudenter per regnum intendit. tantam enim curam agens beatitudinis civilis, tantasq; vigilias illi impendens, an potuit cœlestis oblivisci? *Dicis: Ericus ille conatus est suos subditos reducere â vitiis ad virtutes civiles; nec legitur, quod religionis aut reformationis sacræ ullam egerit curam.* R. (1) Si illo studio

dio civili Rex Ericus minus restituit extinctam religionem: effecit tamen, ut sublatis vitiis, Sveo-Gothi religionis introductioni per novam prædicationem, essent opportuniores moraliter. (2) Si prorsus extincta tunc non fuit religio, quod speramus, sed tantum graviter prolapsa, his suis conatibus effecit Rex, ut minus impugnata flagitiis, subsisteret non tantum per gratiam Dei diutius, sed & de die in diem, promotore spiritu, feliciter augesceret. (3) Quanquam itaq; pietas ejus non deprædicetur in priscis monumentis, ceu *in carminibus, quæ idiomate Gothico ab antiquissimis temporibus edita, de ipso circumferuntur*, non tamen est illa neganda, *primum* quod non omnia antiqua sint in carmen relata, & *deinde* quod illius carminis auctor tantum intendit propter prudentiam civilem ac bellicam, Regem hunc celebrare. (4) Neq; impium aut â veritate alienum est, statuere Ericum hunc, ceu singularem ecclesiæ patronum ac promotorem, tunc temporis fuisse â Deo excitatum, ut quemadmodum per Abrahamũ, Semi posteritas tunc renovabatur in Asia: sic per hunc deberent nostri Japhetæi refici ac recreari in Europa. fuerunt ambo coætanei, & quamquam professione dissimiles; jungi tamen per bonitatem Dei, potuerunt in hoc tertio, ut sicut utraq; gens Semi & Japheti, una benedictione beabatur, Gen. 9: 27. sic nunc utraq; inveniret suum, illa Abrahamum, hæc Ericum, qui se submersam ac oppressam, sacris consiliis juvaret ac restauraret.

IV. Recte proinde faciunt historici nostri, dum etiam per hujus Erici Regis tempora, affirmant in Sveo-Gothia nostra, fuisse religionem veram. *Post tempora Erici 1. abrogato paulatim vero Dei cultu, &c. incolæ Sveciæ & Gothiæ pagana superstitione fascinati, in horrendam idololatriam sunt prolapsi &c.* ex Joh. Gothi lib. 1. cap. 8. seq. scribit D.D. Paulin. in hist. arct. lib. 2. cap. 7.

 CAP.

# CAP. II.

*Diluit duas objectiones, quæ moventur contra argumentum capitis primi.*

Tempore Erici I.mi nullam fuisse religionem veram per Sveo-Gothiam nostram, videntur duo argumenta probare: estq; eorum *alterum historicum*, *alterum chronologicum*, ut jam indicabimus.

I. *Constat tempore Abrahami evanuisse religionem sacram apud Semæos: habitabant quippe tunc iidem, utpote Terah pater Abrahami, & pater Nachoris &c, ultra flumen Euphratem, colebantq; Deos alienos, Josv.24: 2.* Hinc inferunt eruditi: *si Semitæ tunc temporis sic fuerunt prolapsi: sequitur tanto magis prolapsos fuisse Iaphetæos, qui præ Semitis, inferioribus utebantur vel patriarchis vel rectoribus.* Sed non desunt, qui ex charitate, per bonitatem Dei, audent sperare, non brevi temporis articulo, imo, ne quidem uno seculo, extinctam heic fuisse religionem veram. Et notandum, quod laxius nonnihil inferant iidem, dum ex Semitis explicant Japhetæos. Dicit scriptura Semitas fuisse lapsos; at non addit ex illorum lapsu, aut cum illorum lapsu, Japhetæos similiter fuisse lapsos. Si fuisset inter utrosq; talis nexus moralis, ut altero cadente, necessario caderet & alter, sic inferre liceret. At talem absolutam seriem nusquam monstrat scriptura; parum igitur tutum, ab unius populi casu, ceu invincibili argumento, alterius casum expiscari. Latet profecto nos cunctos, quæ fuit Dei longanimitas erga utrumq;, & quanta gratia cuiq; data. Forsitan sicut primogenitus fuit Japhet, sic præ Semo, dignabatur Deus ipsum majori gratia, non propter ipsam primogenituram, ullamve ejus dignitatem aut conditionem, sed quod apud hanc primogenituram, ex indebita gratia, liberrimaq;

volun-

voluntate, ſic voluit propitius ordinare. Noſtro igitur judicio videtur opinio prior non tantum *qua fundamentum* lubrica ac incerta, ſed & *qua caritatem Chriſtianam*, minus pia: unde (1) ſi negemus cum illis Semitis deſcriptis apud Joſvam, cap. 24: 2. lapſos fuiſſe noſtros Japhetæos, propter incertitudinem fundamenti, ſuſpicamur nos nihil nefas commiſiſſe. (2) Etſi agnoſcamus poſſe veram religionem cito inhiberi, ac quā praxin intermitti, memoriam tn. ejus non æq; cito poſſe obliterari, & putamus & ſperamus. Nos igitur ſicut ex fatis Semiticis non explicamus ſortem Japhetæorum; ſic ſperamus non tantum hoc Erico Rege, ſed & multis ſeculis poſt, fuiſſe per Sveciam, veram religionem; ut quoq; idem in ſequentibus conabimur probare.

II. Altera objectio, qua nonnulli evincere volunt ante fata Erici 1. hic declinaſſe religionem veram, eſt chronologica, uti modo innuimus, & ſic ſeſe habet: *juxta communem hiſtoricorum calculum ponitur hujus Ericai imperii initium circa annum â diluvio 357, & finis circa annum â diluvio 425. h.e. ille cœpit imperare circa vocationem Abrahami, & deſinit circa nuptias Iſaci & Rebeccæ: jam ſi evanuit per orbem vera religio, ante vocationem Abrahami, ut fert communis rumor; ſequitur non tantum Erico Rege illam nullam fuiſſe, ſed & excidiſſe eandem ante imperii ejus initium; quia id idem eſt cum vocatione Abrahami, quam anteverteiſſe vulgo creditur religionis deliquium.* Reſpondetur (1) agnoſcere nos circa chronologiam, nullam certam aut accuratam ſupputationem inveniri; ferri igitur nos eo, quorſum nos ducit communis calculus: imo, rogare, ne quis in hiſce antiquioribus, nos ullo certo ac Prætorio calculo velit onerare. (2) Argumentum vero ipſum videmus in ſeſe eſſe hypotheticum, & totum dependere ex hiſtorico argumento paulo ante allato. Jam vero adparet ibi eviciſſe nos non conſtare

 certis

certis documentis, ex lapſu quorundam Semæorum, poſſe aut debere inferri ſingulorũ lapſum idololatricum, nedum omnium hominum, præciſa ratione, ex qua familia, quove ſanguine iidem fuerunt oriundi: non igitur nunc affirmare audemus ante tempora vocati Abrahami, religionem veram ubiq; paſſam fuiſſe reliquium, maxime cum videamus hanc propoſitionem lubrico ac fragili principio inniti, imo, quod diſſimulandum non eſt, cum videamus illam ſcripturæ manifeſtis exemplis contrariari, ut jam ante indicavimus, p.78. Nobis ergo judicibus fas eſt credere verum Dei cultum fuiſſe non tantum ad tempora Erici, per *manus piorum traditum, ſummaq; ſollicitudine conſervatum*, uti ex Beroſo, ſcribit D. D. Paulin. hiſtor. Arct. lib. 2. cap. 7. ſed & talem & ſimili ratione conſervatum manſiſſe illum, hoc Erico Rege, prorſus ſicut nos ſuperiori capite, & ſcripſimus & monuimus.

# CAP. III.

*Narrat eccleſiam Sveo-Gothicam per 400. annos hac periodo fuiſſe obſcuram, quod totidem annis vacillabat ipſa reſpublica.*

Vidimus quæ qualisq; fuit eccleſia Dei per Sveo Gothiam, hac periodo tertia, ſub ejus 60. vel 70. primos annos: nunc addendum eſt, quæ qualisq; illa fuit ſub ejus 4. ſeculorum annos ſequentes.

Proſperam ac felicem non audemus hiſce ſeculis eam deprædicare, quod ipſa reſpublica civilis ſcribatur his iiſdem annis diſcordia turbata, & ſacra religio impia idolorum culturâ oppreſſa: *Poſt fata Erici 1. quæ in annum â diluvio 425. ferme inciderunt, domi pernicioſa diſcordia, impiaq; idolorum cultura, foris importuna hoſtilitate invaleſcentibus, Sveonum Gothorumq; reſpub. cœpit vacillare annos plus minus 400. ſcrib. Doct. Paulin. lib. 2. cap. 7. ex Ioh. Gothi libro 1. cap. 8. & ſeqq.* jam ſi internis

exte-

externisq; motibus sic agitabatur resp., quid mirum si quoq; ecclesia deliquium ferebat sub illis turbis? & nè ambigamus, rem ita tenuisse, addunt iidem hoc eodem tempore invaluisse idolorum culturam.

Nequaquam tamen dubitabis quin hisce iisdem seculis aliqua apud nòs extitit Dei ecclesia. At est hic diligenter *distingvendum inter vocationem Dei directam*, quæ fit per verbi Dei claram prædicationem aut lectionem: *& inter vocationem indirectam*, quæ fit dictamine notitiarum residuarum post lapsum, item obscuris de ecclesia Dei rumoribus, nec non miraculis divinis &c. Quid vero vocatio utraq; in præsenti negocio ferat, nos nunc paucis despiciemus.

## CAP. IV.

### *De vocatione indirecta.*

*Negari neutiquam debet, quod illius temporis Sveo-Gothi gaudebant vocatione indirecta*: Nam (1) *habuerunt notitias innatas*, quarum ductum potuissent diu sequi, antequam se duce destitui, possent vere incusare ac conqueri. Equidem scimus ab hac indirecta vocatione multos defecisse, nimirum omnes illos, qui inclinarunt ad beneplacita, non quæ ipsæ notitiæ dictarunt, sed quæ excogitarunt ipsi, notitiis iisdem vel malitia oppressis, vel per se, serie sua cessantibus, Rom. 1: sperare tamen fas est, aliquos fuisse, qui circa finem dictaminis notitiarum subsistentes, tantum abest ut beneplacitis à se effictis adquiescerent, ut contra dies noctesq: studerent, ac huc illucq; mearent, quo rectiora verioraq; consilia invenire possent. Hos tales si qui fuerint, videmus nequaquam fuisse conversos, nedū ad fastigium fidei, more nostro deductos; condemnaremus itaq; illos, si intra ecclesiæ pomœria vixissent: ast quia iidem vixerunt pagani, & tamen difficultatem salvationis, conditionem ab improbis parentibus

reli-

relictam, tentarunt residuis suis viribꝰ omnibꝰ superare, tantũ abest ut intempestivo judicio illos condemnemus, ut contra velimus quoq; eos, salvo τῷ ἐπέχειν, gratiæ divinæ commendare, *Hylseman. de auxil.* (2) *Quid dicendum de miraculis*, quæ hisce seculis contigerunt illustria. *Succenditur Sodoma*, Gen. 19. 24. *de effœta matre nascitur Isaac*, Gen. 21: 2. *Ioseph è captivo fit princeps Ægypti*: Gen. 41: 39. & *Moses relicta aula adglomerat se exosis coram mundo, rursumq; de tenui pastore, sociis ac commilitonibus despectis, longe supra aulam extollitur*, conf. Exod. 2: 11: cum Heb. 11: 24. seqq. Hæc talia fuerunt, quæ non tantum merebantur celebrari, sed & quæ debebant sua fama orbem replere, ac sine dubio, actu quoq; ipso statim repleverunt: potuerunt igitur etiam in Sveciam deferri, ac ad se nova audienda, ejus incolas invitare. (3) *Cessaverint quoq; hæc superiora miracula, ceu tenuiora, & in quæ tantum curiosi possent penetrare, ast non cessavit nec substitit tunc temporis nuncius de exitu Israelitarum ex Ægypto, referens plagas Ægypti, exsiccatum mare ac submersionem Regis cum toto exercitu.* Celebrabantur hæc profanis historiis mox apud varias gentes, non dubium igitur quin quoq; Sveo-Gothis statim innotuêre. Ac tametsi neq; hæc divisim, neq; conjunctim miracula omnia, quicquam aliud loquebantur, quam supremi Numinis singulare beneplacitum; lecta tamen ac hausta eadem sic animum percellebant, ut liberatus â præjudiciis, variisq; cogitationibus, inter alia nova, accipiendæ prædicationi de Christo, esset opportunior: atq; talis cum esset, sibiq; diffisus anhelaret ad bonitatẽ Dei, quin juvaretur summa & indebita gratia Dei, nulli dubitamus, conf. Josv. 2. & 6. caput. item Heb. 11: 31. Ex quo principio firmiter statuimus etiam Svecos nostros priscos miraculis istis fuisse adjutos. Sc. non credimꝰ eos beneficio eorum fuisse salvatos, vel miracula ipsa fasti-

fastigium fidei in Christum, tunc vel unquam attigisse: suspicamur tamen majores iisdem perculsos, sepositis præjudiciis fecisse viam attentioni prædicationis novæ, & postea Deum ipsum ex indebita gratia, vel angeli susurratione, vel Spiritus informatione Act. 10: 3. &c. supplevisse de Christo quæ deficiebant. *Adhuc repetimus*: tametsi illi nostri Sveo-Gothi hisce temporibus destituebantur *vocatione directa*, quæ est per claram Evangelii prædicationem, quod tamen nos non concedimus, quippe qui videmur nobis per certa documenta contrarium posse probare: nequaquam tamen dubitandum, quin posterioribus hisce modis, h. e. ut loquimur, per *vocationem indirectam*, multum juvarentur, eademq; adjuti, quin adprehenderentur ac aliqua ratione promoverentur á gratia Dei, donec in Christo miserenti ac justificanti Deo humiles possent advolvi.

# CAP. V.

*De vocationis indirectæ adplicatione ac fructu.*

Ut rem rectius assequaris, ecce subjicimus plura de vocationis indirectæ natura, exponentes eam juxta intentionem Dei, & pariter narrantes, quæ ejus â parte hominum, non tantum adplicatio; sed & possibilis adplicationis fructus.

*Supponimus hic primum, quod Deus nulli populo unquam subtrahat prædicationem ante collatam, nisi voluntaria ac evitabili contumacia, illa prius spernatur ac fastidiatur*; si derelinquetis jehovam, ille derelinquet vos, dicit Hazaria 2. Chron. 15: 2. probantq; hoc idem quotquot scripturæ dicta de ablatione verbi Dei usquam loquuntur. Vide de ablata vinea Matt. 21: 41. de ablato regno gratiæ Matt. 23: 33. de negata ulteriori vocatione, Matt. 22: 7. de erepta prædicatione, Act. 13: 46.

de moto candelabro, Apoc. 2: 5. & quæ sunt loca alia per totam scripturam sacram, in quibus singulis invenies Deum abstulisse suum verbum ejusq; prædicationem claram, *non propter Dominii sui vel absolutam rationem, vel independentem libertatem, sed unice propter suam justitiam*, postquam ille populus cœpit Dei verbum fastidire ac contumaciter Dei consilium adversus se aspernari, uti scribitur, Luc. 7: 30.

*Supponimus hic deinde, quod fiat talis verbi Dei rejectio ac neglectio*, vel *in genere* per impiam, sceleratam ac flagitiosam vitam, juxta illud Matt. 7: 6. *vel deniq; singulariter* quando populus aliquis id aut non admittit, juxta æquitatem naturalem, sicut fecerunt seditiosi contra Paulum, Act. 21: 28. seq. aut quando admissum idem mox incipit ridere, ac per contumaciam improbè aspernari, sicut fecerunt qui Christum audiverunt quidem, sed mox verbum ejus petulanter rejecerunt, quiq; propterea destituuntur prætextu, uti loquitur Salvator Joh. 15: 23.

## *Hinc consectaria Theologica:*

I. *Quando Deus ob nominatas causas populo alicui abstulit suum verbum*, jam non amplius tenetur idem illi restituere, (1) *propter rationem æquitatis*, quæ svadet, ut maneat ablatum, quod secundum justitiam punitivam recte fuit ablatum: & (2) *propter libertatem*, quæ nescit obligationem omnem in minimis, ac tanto magis ignorat eandem in tam pretiosis ac salutiferis, Rom. 11: 35. conf. Job 41: 2. Contra hoc consectarium moventur argumenta de *bonitate Dei, & intercessione Christi* ac ecclesiæ, sed ad illa respondebimus publice ex scriptura sacra per Dn. Stigzel: Arch E. ac Hylsemānum.

II. *Si Deus ex summa clementia, populo illi, qui verbum petulanter ante rejecit, id nonnunquam misericors restituat, id facit per se, no-*

*se, novo prorsus ac indebito beneficio*; *ac tum plerumq;* si idem ille populus studeat virtutibus honestis, sequaturq; notitiarum innatarum ductum, quousq; per naturam potuerit, Rom. 1: 18.

III. *Sin v. propter libertatem suam ac œconomiæ sapientiam, tali novo, prorsusq; indebito beneficio Deus noluerit eundem illum populum afficere: est tamen tantæ bonitatis, ut illi, sicut cuiq; alii populo pagano, offerat reditus ansam, per vocationem indirectam*, nimirum per famam de ecclesia sua, per considerationem hujus universi, per miracula, per beneficiorum temporalium effusam adfluentiam &c. hisce quippe modis utitur favens Deus, ac vult ut pagani per illos euntes, deducantur ad suam ecclesiam; hoc est: *vult ut ab inquisitione deveniant ad deprehensionem, ac ut â deprehensione deveniant ad inventionem*, quemadmodum hanc intentionem Dei explicat Apost. Act. 17: 27. *Vocationis igitur indirectæ adplicatio, spectata â parte Dei*, spirat creatoris bonitatem, & suo modo ordinatur ad salutaria media quærenda, per quæ possumus æternum salvari.

IV. *Spectata v. eadem vocatio indirecta â parte paganorũ, etsi rarius attingat finem beatum, quod plures vani fiant* in *suis ratiocinationibus, Rom. 1: 21. impossibilis tamen non est omnino statuenda.* Sc. potest rusticus paganus (1) inquirere de vero Deo, quem ex gubernatione creaturarum, ac devolutione mentis ad primum aliquod principium, ex dictamine naturæ, novit esse unum. (2) Potest idem ille rusticus per hanc inquisitionem pervenire ad famam de diversis sectis. (3) ab hac potest ille devolvi ad famam de vera ecclesia. (4) inde quoq; potest naturaliter pervenire ad inquisitionem dogmatum ecclesiasticorum in genere, quomodo Athenienses ex mero studio novitatis inquirebant de dogmatibus Paulinis, Act. 17: 21. (5) Dogmata vero sacra, qua rationem confusam, non possunt latere paganorum sacrificos, mercato-

 res,

res, advenas, â quibus proinde quilibet adultus laicus potest rescire, quo pergat ad audiendam doctrinam dogmatum sacrorum, quatenus eadem â suis antiquis notatur distincta. (6) Hanc autem differentiam quandocunq; & â quocunq; acceperit, sive Turca is fuerit, sive judæus, sive Christianus, sive Magus, imo sive angelus bonus is fuerit, sive malus; rusticus certe illius narrationi auscultando, inveniet subesse gratiam prævenientem, quæ in conversione vera, ac juxta vocationem directam salutari, primum salutiferum actum ponit, naturali repugnantia sublata: Innotescit quippe Christus, â quocunq; nuncietur, Phil. 1: 15. seqq. & ea est natura verbi divini, ut sive inter spinas, sive in petram cadat, dum modo intelligibiliter proponitur, admittiturq; ad animum, id semper pullulet, & quadantenus germinet, Marc. 4: 27. *Atq; sic juxta rationem omnibus simplicibus gentibus communem, h. e. per vocationem in directam, potuerunt Sveo-Gothi, si domi verbo Dei carebant sub nominatis confusis seculis, ad ecclesiam Dei pervenire &c si minus omnes, tot tamen, quot seriem ordinationis sobriis conatibus contigit pertexere, quotq; fortassis sufficiebant ad particularem ecclesiam constituendam.*

## CAP. VI.

*De vocatione directa per verbum Dei, qua invenimus Sveo-Gothos nostros etiam per hæcce confusa tempora, fuisse gavisos.*

Sed vix est opus ad vocationem indirectam confugere in horum annorum periodo. Sperabimus ex documentis non contemnendis nos probaturos, etiam hisce seculis gentem Sveo-Gothicam gavisam fuisse vocatione directa, quæ est ac contingit per verbi Dei claram prædicationem ac lectionem, Rom. 10: 14.

Neq;

Neq; tamen etiamnum prodimus testimonia, quæ probant seculis multis infra, per nostras oras fulsisse religionem veram. Sepositis ergo monumentis iisdem, quæ inferiorum sunt periodorum, videmur nobis inter alia, quæ ad præsentis periodi vocationem directam probandam adferuntur, non temere omnino posse sequentia proferre.

I. *Videmus inter Cananæos hisce seculis fuisse multos pios*, non igitur desperabimus apud japhetæos vixisse eorum similes h. e. religiosos: & nisi ita esset, jam benedictum vinceret maledictus, quod coram Deo ac hominibus putatur improbabile. *Dicis: defecit familia Semi josv. 24: 2. & tamen stetit familia Chami*, Gen. 20: 9. seqq. ℞ Non probatur certis documentis omnes Semitas defecisse, & qui sic vel loqvuntur, vel concionantur, assumunt de suis præjudiciis, quod non habetur in ulla certa historia profana, nedum sacra: Nam nuspiam legitur omnes Semitas defecisse; & locus Josv. 24: 2. particularis est, ostendens saltem quosdam è majoribus Abrahami sua ratione defecisse, ac cultum idololatricum commisisse, quod vi illius textus, nos faciles concedimus: Sed an licet ex istis certis individuis ad totam familiam argumentari? non sic solemus. Nos igitur sicut ex scripturis videmus multos Chamæos hisce seculis fuisse justos; sic credimus Semitarum quamplurimos ijsdem temporibus fuisse religiosos: ac ut videmus Semitarum non paucos jam cecidisse; sic nec dubitamus idem de multis Chameis affirmare; imo, adfirmat id ipsum S. sacra Gen. 19: & capitibus aliquot sequentibus.

II. *Semitarum non paucos in varias terras esse dispersos, ne nunc amplius in suis generationibus queant investigari, notum est ex Gen. 10: 26.* seqq. nec non ex ingenua confessione Tremellii ad eundem locum, num: 91. seq. haud tutum igitur

negare quosdam eorum pios japheteis nostris vixisse immixtos, ac cum illis ex antiqua institutione, Creatorem cœli & terræ, sanctè coluisse. Nobis, qui gratiam sub tempore gratiæ, extollimus ac deprædicamus vehementer, nulla est religio idem affirmare, quod credamus hisce quatvor seculis Deum suos cultores habuisse, non tantum ex familia Chami vocatos, uti ante vidimus: sed pariter multos electos ex familia Semi ac japheti, *ubicunq;* illi per orbem vabagantur, *aut qui & quot* sub gratia Dei dispersi palabantur &c. ita primum metimur hujus temporis Sveo-Gothos *ex ratione domestica ac interna.* Videamus nunc quid svadeant argumenta externa.

III. *Vixit hisce aliquot seculis uxor Noachi:* & quidem in Italia uti tenent eruditi: nam sicut maritus Noah in italia decessit, testibus Josepho ac Beroso: sic eredibile ibidem ultima fata conjugem ejus expectasse. Ea vero uti viam Domini probe novit, feliciter per Deum dicam, an pium maritum instituta, sic divinorum consiliorum pariter ac operum ubicunq; vixit, fuit celebris præco ac interpres. Speramus itaq; vocem ejus sanctam, etiam in Sveciam, per internuncios inde esse perlatam: nam sicut nunc frequens est commercium inter provinciam unam ac alteram, sic pariter negociorum variorum causa, de gente in gentem varii olim meabant. *Dicis: an docebit mulier, & num docuit relicta Noachi?* ℞. Ordinarie in ecclesia non docebit mulier 1. Tim. 2: 12. ast fert sæpe, imo imperat quandoq; ratio extraordinaria, quod non admittit consveta: juxta quam observationem nihil alienum â consono censet, qui sub simili ratione, & ex variis sanctarum fœminarum exemplis, existimat eas posse quandoq; præcones agere; nimirum ubi per Deum rite vocantur, ac necessariis donis

instru-

instruuntur, &c. Quod vero Sambethes, relicta Noachi, fuit divinorum consiliorum præco, id docent quotquot sibyllarum unam eam constituunt, ac 24 librorum auctorem nominant, vide Micræl. hist. Ecclef. quæst. 39. pag. m. 79. *Inst. Sibyllæ nunquam fuerunt: & quæ circumferuntur, sunt pia fraude Christianorum compositæ ac excogitatæ*, Calaub. Exer. 1. sect. 10. Becmannus Exerc. 14. contra Photin. ℞ Extitisse Sibyllas probamus ex patribus quam plurimis, Eusebio, Arnobio, Origene, Clemente Alexandrino &c. qui recensentur apud Micrælium, pag. 78. seq. & apud Ludov. Vivem in Aug. lib. 18 de C. D. cap 23. Eas autem ætatem Christianorum in N. T. antevertisse, probamus ex vetustissimis allegationibus, in quibus non possent nominari, nisi ante extetissent; *Sed de his alii alibi, ubi quoq; possunt despicere Saganè eædem fuerint, uti opinantur Wierus Medicus, Gædelmannus Ictus*, & Wagnerus Theol. Tubingensis, *an quædam prophetides & de reliquiis civitatis Dei, ad prædicandum verum Deum, & ad vaticinandum, de persona & regno Christi, de anti Christo, mundiq; fine &c* â Deo excitatæ, *uti putant patrum pleriq;* consule Montacutium, Obsopæum Bellarm. Baron. Hyper. & plures alios, qui de illis ex professo scripserunt. Idem judicium esto de Jobo, ejus amicis, ac piis aliis, qui hisce temporibus privati aut illustres vigebant in Europa, Asia, aut Africa.

IV. *Sicut gens Israël hisce seculis, benedictione divina crevit in Ægypto in immensum*, sic non potuit fama nominis aut gloriæ ejus subsistere ante, quam totum terrarum orbem suo præconio occupasset. *Duplicem ponimus famam*, alteram obscuram, & quæ incertis auctoribus manat, de re non usq; adeo certa; ac certam alteram, & quæ auctoribus quibusvis, attamen certis per dispositionem Dei, manat, quæq; narrat rem, uti est: Illam supra vidimus circa vocationem indire-

ctam:

ctam: de certiori nunc agemus, quippe quod videatur illa hujus loci esse, item memorare per gentem Israël hisce seculis doctrinam cœlestem ad nostros fuisse vulgatam. fuit Ægyptus h.t. memorabilis ob varia sua dona ac accidentia. inclaruit illa negociatione cum aliarum rerum, tum præcipue nundinis equorum; facilis igitur conjectura, quod ad equos emendos multi peregrini eam visitarunt. Deinde præbuit eadem pabulum ac panem circumjacentibus quibusvis nationibus tempore Josephi, haud mirum igitur, si quoq; plures exteri eam hisce temporibus intrarunt, ac cum pane seculari, cœlestem, per gratiam Dei, felices exportarunt. Per emptores itaq; qui vel equorum causa, vel frumenti, Ægyptum intrarunt, putamus planum esse certiorem famam de ecclesia Dei, in exteros esse vulgatam, & pariter decantatam eandem â politicis, qui ad regionis dicam an Pharaonum gloriam visendam, illuc hisce temporibus curiosi descenderunt.

V. *Fuit quoq; non infrequens commercium per hæcce secula inter Asiaticos ac Europæos, præsertim illos, quorum sedes tenent Galli moderni.* sicut itaq; hi potuerunt sedes cum sedibus commutare; sic nihil fuit utrisq; facilius, quam cum sedibus religionem sacram secum ferre. Potuit itaq; etiam hac occasione tam manifesti præconii, doctrina vera ad nos deferri, si heic illa ante non fuit, nec frequens sonuit.

VI. *Sed quid opus de introducenda religione vera heic multum fari?* Introductam eandem vidimus supra: ejectam vero non audivimus nec vidimus adhuc usquam. Sicut itaq; nec ipsi invenimus per regna nostra hisce seculis, justas rejectionis omnimodæ causas, nec tales aperiant nobis auctores ac scriptores ecclesiastici alii; â nobis procul abesto, eas primum comminisci, ac ex iisdem commentis mox meminisse

heic

heic religionis deliquium fuisse. *Dicunt quidem ArchiEpiscopi Paulinus & Johannes rem post fata Erici inclinasse*; at non definiunt inclinationis tempus. Ergo sicut defectionem in secula multum recentiora nos possumus reducere, sic in annos â morte Erici primos, eandem referre nequaquam audemus. Quin & ipse *Paulinus* h.l. conqueritur de scriptorum inopia ac defectu in gente nostra: id autem non fecisset, si meliora desperasset de gente sua: Quia ergo conqueritur, hinc nobis suspicio non tantum religionem veram heic h t. ipsius judicio fuisse ac floruisse, sed & fuisse remp. ipsam semper in salvo, quamquam fortassis de ejus clavo, nonnunquam aliqui inter se vel verbis vel deniq; armis dimicarent: Quod talis tumultus, talisq́, seditio in rep. electitia, præsertim primis post electionem annis, facili negocio per male Contentos ut ajunt, potuit excitari.

Ex quibus omnibus arbitramur constare duo: (1) *Inventam non difficulter fuisse hisce seculis religionem veram â Sveo-Gothis nostris*, si heic illa ante non fuit aut mansit, idq́; non tantum per vocationis indirectæ varios modos, sed & per vocationem prædicationis certæ ac salutiferæ, â quocunq; illa fuisset providente Deo, instituta. (2) *Mansisse heic religionem veram per nominata supra secula, semper incorruptam*, quod non tantum nulli evanescentiam ejus loquantur; sed contra quod permanentiam ubiq; loquantur ac inferant authores itidem ac rationes meliores, ut infra patebit.

## CAP. VII.

*Solvit contra superiora allatum argumentum ex scriptura sacra, de circumcisionis carentia apud nostros Sveo-Gothos.*

Dei vox est ad Abrahamum, semenq; ejus: *hoc est fœdus meum inter me & vos, & semen tuum post te, quod servabitis, ut*

*circumcidatur vobis omnis mas. circumcidetis igitur omnem carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos. Natus autem dies octo vobis circumcidetur omnis mas, per ætates vestras, natus domi & emptus pecunia, de quibuscunq; alienigenis, qui non erit ex semine tuo. Omnino circumciditor natus domi tuæ & emptus pecunia tuâ. sic erit fœdus meum in carne vestra in fœdus perpetuum. Præputiatus autem mas, qui non circumciderit carnem præputii sui, utiq; exscindetur homo ille è populis suis: nam irritum fecit fœdus meum &c.* ex Gen. 17. vers. 10. seqq. vertit Tremellius. Hinc inferunt eruditorum quamplurimi, *non potuisse apud Sveo Gothos nostros fuisse ullam religionem veram, post tempora Abrahami, quod iidem carebant circumcisione sacramento initiationis.* Et recte sic inferunt iidem quamdiu putant eradicatam fuisse omnem animam, quæ ex eo tempore usque ad adventum Christi, non fuit quâ sui præputium, mandato divino circumcisa. Ac sine dubio fuit *Ioh. Gothus* hoc eodem argumento circumventus, dum ultra tempora Erici non ausus fuit religionem veram apud Sveo-Gothos nostros extendere: Quid enim aliud de ipso suspicabor? Svecus ac patriæ amantissimus, non primus saltem, sed & eo tempore solus, sic voluit scribere, idq; sine auctoribus ac certis documentis, quantum hactenus vidi. Conjectura profecto est vel certa, vel admodum probabilis, eum vulgi errore circa obligationem circumcisionis, fuisse lapsum, ac mox aliis (si sic senserunt) viris Clarissimis, sed festinatione ac negociorum multitudine præpeditis, suo stylo imposuisse. Nos ergo pace Johannis Gothi, item salva autoritate pariter ac dignitate, amplissimorum Præsulum illorum, qui aliter sentiunt, quosq; nos ut modo diximus â Johanne Gotho putamus circumventos, ad propositum argumentum sequenti modo respondemus. (1) Circum-

cumcisionem tantum pertinuisse ad Abrahamum ejusq; familiam, spectatam in liberis ac nepotibus, nec non in mancipiis pretio emptis, uti planum est ex Gen. 17. (2) Cœteros autem, qui vivebant extra familiam aut politiam judaicam, eandem non ita obligasse, uti constat ex Jethrone, socero Mosis, qui pius ac religiosus fuit, nec tamen legitur circumcisus, Exod. 18: 10. seqq. (3) Imo, etiam illis, qui ad Judaismum accedebant, novimus Deum liberum olim permisisse, utrum circumcisionem suscipere vellent, nec ne, interprete Baldvino super Gal. 2: vers. 16. pag. m. 792. seq. (4) Frustra itaq; ob defectum circumcisionis, ab antiquis nostris Sveo-Gothis removetur vera religio, cum constet tunc temporis pluribus in locis fuisse veram religionem, & antequam instituebatur circumcisio, & cum illa in gente Israël, maxime floreret. (5) Quomodo itaq; multis seculis post pius fuit Cornelius, Act. 10: tametsi inter judæos vivens, neq; circumcisionem suscepisset, neq; statuta Mosaica alia: Sic credimus in Sveo Gothia nostra, h. t. vixisse multos religiosos Dei cultores, ut ut iidem more Abrahamitico non essent circumcisi. *Inst. Jethro non tantum ipse putatur circumcisus, sed & dicitur tulisse circumcisionem & alia vera religionis dogmata, ad nationes Æthiopum Arabumq;, circa rubrum mare, Horn. hist. Eccles. pag. 14. nec non Rabbini teste Munstero.* Respondemus vero hac ratione insigniter peti principium, & enunciari de Jethrone, quæ non leguntur in scripturis: item male ominari, ac si extra gentem Israël nulla esset vera ecclesia, nulla vera dogmata sacra. Nos agnoscimus multa singularia contigisse genti Israël, uti testantur David, Psal. 147: 20. & Paulus Rom. 3: 1. seq. sic autem eadem illi contigisse, ut similibus, juxta rationem genericam, sibiq; juxta œconomiam Dei sufficientibus ad salutem,

cererent singuli alii, id ex informatione scripturæ videre non possumus, ideo nec affirmare audemus. *Habeant ergo Abrahamitæ circumcisionem sibi imperatam pro signo & pro fœdere, item fruantur eadem h. tempore, ut sacramento initiationis*: per quæ omnia, illi non tantum ab aliis gentibus fuerunt separati, sed & præ iisdem beati, uti docent Paulus & David: *An autem propterea dicemus aut credemus cæteros Semæos, Japhetæos ac Chamæos omni salvationis via rejectos, item omni salvationis modo destitutos?* Dura est hæc illatio, & parum quoq; Christiana. Si una tantum fuisset via salvationis â Deo posita, sic liceret argumentari, ubi nostri Japhetæi, nec non Semæi aliorum aut Chamæi, eandem non fuissent ingressi. At nunc est illa duplex, altera absolute necessaria per verbum, & altera secundum quid necessaria per sacramenta &c. Si minus ergo majores nostri hac tum gaudebant, gaudebant certe altera ac priori, quæ est per verbum legis ac Evangelii necessaria absolute: &c.

# HYPOMNEMATA

## Ad Libr. Tertium.

### I.

A *Condito mundo ad initium præcedentis periodi sunt exacte duo millia annorum, judice Gerhardo Mercatore*, qui Chronologiam suam accommodavit ad dictum domus Eliæ, putantis sex millia annorum fore ætatem mundi, ac postea destructionem iminere sc. duo millia posuit inanis, duo millia legis, & duo millia Christi &c. *Hæc* inquit Mercator *exacte respondere inveniuntur. Ævum inane exquisite terminatur ad vocationem Abrahæ ex ur Chaldeorum. Secundum in morte Christi. Tertium quousq; supplendum sit novit solus cœlestis pater*, qui id juxta peccata nostra, beneplaciti abbreviatione sapiens moderatur, conf. Horn. hist. pag. 7. seq.

II.

II. *Dum Ericus noster dicitur coætaneus vel Saruchi, qui fuit Abrahami Atavus, uti scribitur in Chron. Svecico pag. 70. vel deniq; ipsius Abrahami, uti nos scripsimus ex historicis recentioribus, non est in argumento ipso aut circa Chronologiam aliqua pugna:* nam vixit Saruch 60 fere annos cum Abrahamo; perinde igitur sive Abrahami, sive ipsius Saruchi coætaneum constitueris nostrum Ericum.

III. *Post fata Erici, distractis popularium animis* habuit sub hac periodo, *Gothia* reges sequentes, quiq; hoc ordine â nostris historicis recensentur: *Uddo, Alo, Othinus, Carolus 1. Bierno 1. Getharus II. & Siggo II.* Ast quinam iisdem temporibus, *Sveciam* gubernarunt, silentibus auctoribus, nobis minus pronum est dicere.

---

# PARTIS GENERALIS
# LIBER QUARTUS

## De Ecclesia Sveo-Gothica, â tempore Erici 2:di ad Carolum 2:dum. periodus annorum 1035, ac fere exacte respondens periodo sacræ, quæ ponitur inter mortem Mosis, ac inter 65 annum, post destructionem regni judaici in Zedechia.

EVicimus superiori libro etiam seculis obscuris aut confusis post Ericum nostrum in patria fuisse aliquos summi Numinis veros sectatores. Adnitemur idem hoc quoq; libro præstare. Futurosq; nos in hoc argumento confidimus nunc tantó feliciores, quanto hujus periodi secula præ superioris periodi seculis ac temporibus, sunt fulgentiora, item do-

ctorum uberiora. Deus faveat conatibus! Quia vero hanc periodum pro arbitrio nostro posuimus longiorem, juvabit eam in 5q; articulos secare: ita namq; rectius videre possumus, quid circa ecclesiam tulit seculum fere quodvis*.

# CAP. I.

*De Ecclesia Sveo-Gothica sub articulo primo, qui est annorum 140.*

Sublatis tandem vel mutuis dissidiis, quibus amplissima Sveciæ Gothiæq; regna hactenus fere ab obitu Magogi, fuerant agitata, vel quod hic idem est, evanescente tandem opinione inter Politicos ac Statuspræsules ut ajunt, hæc duo regna posse divisim commode amplius gubernari, est Ericus eo nomine Secundus, Anno â diluvio 836. communibus utriusq; populi suffragiis, in Sveo-Gothiæ Monarcham electus. Et regnum quoq; ille feliciter æq; ac prudenter multos annos rexit.

Tandem vel quod tæderet ipsum quietis, vel quod abundans multitudine, judicaret utile, eductis multis millibus, patriam levare immorigeris, & simul iisdem vindictam sumere de vicinis hostibus, Ulmerugis, Curetibus, Livonibus &c., qui ante se imperatorem, in Scandiam ac maxime in Sveciam, tantum non quotidianas incursiones fecissent, postquam regnum tradidit Humulpho, filiorum natu maximo, ipse validissima classe instructus, visis Gothlandia ac Ulmerugia, in Pomeraniam adpulit, breviq; tempore præter Megapolin, Borussiam ac Poloniam, Majoris Wandaliæ partem potiorem sibi subjecit. Neq; infelicius domi iisdem annis imperavit filius Humulphus, studio quidem patri dissimilis, ast gloria imperii illo haudquaquam inferior: nam sicut subigendis gentibus pater foris inclaruit: sic conciliandis jungendisq; popularium animis domi invigilavit filius. Sub

ipſo igitur ac ſub filio ejus in hiſtoriis non nominato, fuit res Svecana domi per 100 annos felix ac fulgens. *hæc acta ſunt Joſva, Othoniele, Ehud, Debora ac Baracho judicibus apud iſraëlitas.*

Sed accedamus ad ſtatum Eccleſiæ:

Per hujus articuli annos omnes, religionem ſacram ad majores noſtros vulgare potuerunt

I. Iſraëlitici populi bella dicam an vindiciæ, de variis hoſtibus ſumptæ. Trucidarunt illi ductu auſpicioq; divino, quoſcunq; habuerunt obvios: ac quia tanti evaſerunt non ſuis viribus, ſed Dei robore ſuffulti, quod agnovit quoq; Bileamus, Num. 24. non potuerunt igitur non celebrari per orbem, ac tanto magis ubiq; ſuſpici Deus verus, qui illos hoc modo extulit ac promovit.

II. Potuerunt religionem veram ad majores noſtros vulgare varia miracula, quibus hæc ætas florebat. Retardavit Sol curſum ſuum miraculo inuſitato, Joſv.10: ac ut ſcirent gentes cujus populi gratia id contingebat, ſubſtitit paulo ante Jordanes Joſv. 3: 13. nimirum ſicut aqua fluxum rapidũ ſuſpendit propter Iſraëlitas, ſic propter eoſdem curſum in cœlo velociſſimum retraxit ſol fulgens: illi igitur iterum propter miracula Dei, memorabiles per orbem, ac tanto magis commendabilis Deus ipſe, qui ſtupendis illis miraculis, & maximus in ſe adparuit, & propenſiſſimus erga ſui nominis cultores fuit. *Dicis: non potuit miraculorum fama aut rumor cito ad nos manare, diſſitos tam procul.* Reſpondeo hanc eſſe rationem rumorum de operibus aut geſtis humanis, quod non uſq; adeo cito circumferantur, ac nonnunquam quoq; retardentur: Sed v. aliter ſeſe habet fama vera de miraculis Dei, benigneq; geſtis aliis erga ejus eccleſiam: hæc objective aut materialiter ut ajunt, eſt divini verbi pars; non poteſt igitur conſiſtere, quin crevi orbem perambulet, *quod in totam terram prodeat*

*deat delineatio operum ejus, & simul in extremitatem orbis habitabilis sermones eorum*, Psal. 19: 5. & quod *ipso mittente sermonem suum, verbum ejus excurrat celerrime*, Psal. 147: 15. Quod dictum ac observatum volumus circa miracula omnia, cujuscunq; ætatis illa fuerint, ne opus sit idem vel prioribus subjicere, vel annectere futuris; nedum sæpius sæpiusq; hic vel illic ingeminare ac frequentare.

III. *Tametsi trucidabatur magna vis Palestinorum per ac propter Israelitas, quorum avis majoribusq; eorum terra fuit data*, *Gen. 17: 8. pepercit tamen fortuna perplurimis, ac præsertim eis; quos metus subduxit, relictisq; laribus jussit abire ad exteros.* Hi disjecti aut aliquot Hebræis captivis comitati, palabantur per orbem, aut iverunt soli. *Non est verosimile eos caruisse captivis* Hebræis, quod nunquam sors sic collidat gentem cum gente, ut non aliqui inter collisos misceantur. Jam si captivos habuerunt Palestini, quid aliud iidem fuerunt, quam veri Dei præcones? recte credere possumus hos tanto flagrantiores fuisse suis præconiis, quanto ipsi majoribus premebantur molestiis, inter gentes dispersi, ac ab arca Domini remoti, conf. Psal. 120: 5. seqq. *Deinde dicatur quoq; antequam exirent domos ac patriam suam, eos nullos captivos invenisse de gente Hebræa*, quibus possent uti, vel in sarcinis ferendis, vel in proseminandis miraculis; annon ipsi dispersi Palestini Israelitarum Deum noverunt? cum doloribus suis eum noverunt, totiesq; prædicarunt, quoties afflictionum suarum apud alios meminerunt; quod nunquam non contingebat, quamdiu earum memoria cottidie cruciabantur. Per eos igitur tunc temporis passim vulgari potuit vera religio. *Scire tu jam desideras, an quoq; in Sveo-Gothiam iidem penetrarunt?* R/. (1) Dicuntur iidem Palestini in varias terras exivisse: unde credibile etiam in Sveciam eos

am eos

am eos venisse, nuncios magnitudinis divinæ. (2) Sicut constat eos magna multitudine venisse in Africam, paulisperq; respirasse ex fuga ad urbem Tingit, ubi columnam, monumentum fugæ suæ posuerunt, *teste Procopio in rebus Wandalicis* sic constat pariter eos ibi non consedisse: Solverint igitur inde bene multi, adpulerintq; post diluvium, novi coloni in Americam, uti conjiciunt eruditorum non pauci: ego plures crediderim in Europam, ac fortassis continua navigatione in Sveciam nostram delatos, quam quibus contigit, superatis vastissimis Oceani fluctibus, intrare Americam. (3) Sicut itaq; seculo sexto post natum Christum, multi Christiani persecutione Diocletiana exagitati, transmiserunt sinum Indicum, ac ad Chinenses pervenerunt, *judice Kirkero circa expositionem monumenti Syro-Sinici sub hujus seculi annum 1524, ibi reperti:* sic putaverim horum palestinorum multos, vel solos, vel comitibus aliquot Hebræis captivis, superato freto Gaditano, in Europam venisse, famaq; ac concione Numinis Israëlitici, h. e. Dei potentissimi, ac ergo suos cultores benignissimi, etiam Sveciam nostram implevisse.

IV. Et quid putabimus de posteris Abrahami, quos suscepit *vel ex Ketura*, quam duxit post obitum Saræ, *vel ex ancilla Agar.* Ex Ketura habuit ille filios qui Trogloditicam regionem, ac partem Arabiæ felicis occuparunt, oppressis Chamitis, qui ibi ante habitarunt. Josephus libr. 1: cap. 23. recenset ac nominat sequentes Keturæ filios: *Zimram, Jaksan, Medan, Midian, Isbak, Suab*; ac â secundo genito Jaksan ponit *Seba, & Medan*, patrem Assurim, Letusim, Leumim. Item â quartogenito Midian *Epha, Epher, Henoch, Abida, Eldab*, duosq; primos Epha nimirum ac Epher constituit ille auctores gentium per Arabiam felicem ac Lybiam

Hos vero ſingulos an putabimus gentiles vixiſſe? magis convenit caritati Chriſtianæ ſuſpicari eorum multos fuiſſe pios ac religioſos, quod de bono auctore Abrahamo oriundi, potuerunt religionem veram ſic in poſteros ſuos transmittere, ſicut eandem habuerunt ipſi, ab Abrahamo ſibi imperatam.

V. Similiter habuit Abrahamus per Iſmaëlem filium Agar, duodecim nepotes teſte Joſepho lib. 1: cap. 21. ac per illorum 8. poſtremos, conſtat occupatam eſſe terram ab Euphrate uſq; ad rubrum mare. Secundum autem eorum *Kedar* teſtatur Suidas conſediſſe circa Babylonem cum ſuis poſteris: & primum *Nabojoth* non tantum Nabotheæ regioni feciſſe nomen, ſed & illam gentem in ſuis poſteris condidiſſe, quæ capitis ſupplicio punivit ingratitudinem erga parentes ac præceptores. Jam an quoq; horum ſingulos putabimus impios extreme vixiſſe, aut gentiles fuiſſe? Ego potius dixerim in horum aliquibus fuiſſe veram pietatem, ac fortaſſis pleroſq; Nabotheos vixiſſe religioſos: potuit igitur etiam per hoſce vera religio ad noſtros deferri.

VI. Et videre poſſum⁹ non omnes ab Iſraëlitis diſjectos caruiſſe religione vera: multos eorum percepiſſe eandem ex advenientibus Iſraëlitis, & nonnullos quoq; eandem noviſſe per majorum inſtitutionem. Sicut itaq; intelligimus eorum non paucos, nimirum ejectos ab advenientibus Iſraëlitis, ad haſce Europæas oras veniſſe, ſic colligere audemus & poſſumus, per eoſdem apud noſtros majores, veram religionem vel ſonuiſſe, vel incrementum induiſſe.

VII. Neq; convenit mala ominari de Eſau & omnibus ejus poſteris. Durum quidem ipſum erga fratrem ſuum Jacobum inducit ſcriptura, item ſuarum rerum imprudentem, Gen. 25. ſeqq. at nuſpiam addit eum in impietate conſenuiſſe

nuisse, nedum exortes á vera religione, procreasse liberos. Sed inspice scripturam: (1) odio magno persequitur Esau fratrem Jacobum ob interceptam primogenituram, Gen. 27: at postquam fervidi irarum æstus subsederunt, divina dispositione repressi; is nonmodo benigne excepit ac demisit fratrem ex Mesopotamia redeuntem, Gen. 33: sed & eundem coluit ad exteros distentis suis tabernaculis, Gen. 36. (2) Fuerunt Esavo tres conjuges, utpote *Juditha* filia Beri, *Basma* filia Elon, ambæ ex Hethæis, & *Mehala* filia Ismaêlis, Gen. 28. Ipsæ vero sicut non omnino impiæ fuerunt, sic colligere fas, nec prorsus impios filios eas sustulisse de suo marito: imo, ex Mahala per nepotem Zera, de Raguele procreatum, constat natum esse Jobab regem II.dum Idumæorum, quem Cedrenus putat fuisse ipsum Jobum, conf. Bernhard. â Breintenbach. & de judita constat itidem susceptum esse Elipham Jobi amicum. Hos vero singulos an itidē damnabimꝰ impietatis,& an eorum posteros insimulabimus atheismi? Jobus Mahalæ abnepos se facile ipsum liberat â suspicione tali, tam sua patientia, quam sub patientia, piis sanisq́; discursibus: quin & religiosus invenitur fuisse Eliphas juditæ filius, jobi amicus, de quo in libro jobi. Tu igitur horum utrumq́; eorumq́; liberos omnes si condemnaveris, quod non sperabo, ego certe meliori spei imminens, dicam credamq́; non modo verisimile adparere eos eorumq́;multos justitia ac pietate fuisse illustres, sed & suam religionem ad nos per internuncios vulgasse, aut si iidem tantum comites fuerunt adpellentium Palestinorum ad nostros, per illos ipsos omnino vel sparsam, vel certe auctam apud nostros, fuisse religionem veram. *atq́; ita hactenus rationibus non contemnendis, ostendimus sub hoc articulo, vulgari potuisse ad nostros, religionem sacram, si heic illa ante*

*non fuit. Quod autem tunc temporis vera religio heic fuit, & quoq; multis seculis post, id Deo volente, rationibus pariter ac auctoribus certis, mox ac suis certis locis, indicabimus infra.*

# CAP. II.

*De Ecclesia Sveo-Gothica sub articulo hujus periodi, secundo.*

*Humelus* inde Humulphi nepos ad aviti regni sceptra admodum puer evectus, Cymbricarum insularum incolis non tantum auxilio fuit contra Saxones: sed & iisdem postea filium Danum præposuit, cum admonitione: *ut domi tranquille agerent, & nonnisi foris sacrificarent* h.e. extra Upsaliam Sveciæ metropolim, vetuit illos cultum Dei solemnem ponere, & considerata Danicæ telluris angustia, nisi lacessiti essent ante summa injuria, non voluit, ut cuiquam bellum inferrent. Nec Danum tantum suum primogenitum ille sic extulit per Cymbriam, sed & secundogenitum Angulum ornavit Anglia, & tertiogenitum Norum Norvegia: sic memorant nonnulli historici, etsi contrarium teneant alii. *Humelum postea in Sveciæ regno insecutus est filius Gothilas*, qui Gothos transmarinos Amali consangvinei sui rogatu, juvit contra rebellantes Megapolenses, Curetes ac Esthones, quiq; domi tentavit componere controversiam de Danici regni successione inter suos posteros, & ex Gyrita Siggonis Sveciæ regis nepte â Dano susceptos liberos ac nepotes. Sed frustra fuit in hac controversia componenda, & maluerunt Sveci annos non paucos potius agere absq; rege, quam vel eundem ex Dania petere, vel alio creato Danos offendere: & sic aliquot annorum interregnum: *Paulin.* Hæc acta sunt per 154 annos, judicibus Israëliticis, *Gideone Abimelecho, Thola, Jairo, Jeptha, Ebzane, Elone, ac Samsone*, de quibus in libro judicum.

Secundus articul⁹ huj⁹ periodi habet pro Sveo Gothica religio-

ne,

ne, argumenta superioris articuli argumentis non admodum inferiora, si non paria vel superiora.

I. *Ex mirabili protectione Israëlis potuerunt* vicinæ gentes abunde colligere, Deum Israëlis supra quosvis quarumcunq; aliarum gentium deos, esse magnificandum. Id Israëlitæ ipsi abunde intelligebant Psal. 136. idemq; iidem ad alios frequenter vulgabant, Ps. 138: 1, seqq. Crediderim ergo non ante substitisse hanc famam quam etiam ad avos nostros dulcis pervenit. Atq; hac periodo sicut Gideon exigua manu vincit Midianitas, regulosq; eorum Seba & Salmuna trucidat, judic. 7: sicut jeptha Ammonitas fundit judic. 8. & sicut Simson superat Herculem quemvis viribus ac ausibus, jud. 14. seqq. sic speraverim disponente domino, distincte omnia ad nos esse perlata, quod præ humanis velocius circumferantur divina.

II. *Potest sperari seculum tam memorabile* honoribus civilibus, per Dei gratiam non prorsus caruisse gaudiis spiritualibus: Humelum ornavit Majestas Sveo-Gothica, filiosq; ejus nobilitarunt Anglia & Dania; jam quemadmodum novimus frequens commercium exercuisse Anglos cum judæis maritimis; sic dubitare non convenit, qvin quoq; eorum sacra didicissent ac domum detulissent. Sicut itaq; è Svecia tunc temporis illi acceperunt regem, sic putare convenit ejus adventum eos carissimis quibusvis redemisse; imo, occasione illius mutationis civilis, veram veræ religionis doctrinam ad nostros detulisse; si heic illa ante non fuit. Videtur equidem hoc argumentum commune esse, ad pluraq; tempora posse adplicari: hoc loco tamen id ego potissimum urgeo, quod videam salva historia civili supra adposita, si unquam, certe hoc tempore inter Sveciam Angliamq; fuisse familiare ac amicum commercium, ejusq; beneficio audere nos sperare, in patriam illatas esse merces, non modo caducas cor-

pusq; reficientes, sed & spirituales ac quæ animam animumq; vere & sustentant & exhilarant, Joh. 6.

III. *Neq; prorsus improbabile est, ad judæos eorumq; vicinos, nostros Sveo-Gothos h. t. venisse, vel mari, vel terra*; cum constet eos tunc temporis fuisse ita foris potentes, sicut multitudine domi laborabant. Quis Norvegorum primus superavit fretum Gaditanum, habet Sturlsonius: At non est similiter legere quis Svecorum primus mare mediterraneum intravit. Quamdiu itaq; non definitur ab aliquo Historico certum tempus visæ illius terræ â nostris, licet conjectare eorum aliquos tunc navibus ad illas oras adpulisse, quod nunc frequentes illuc commeent navigentq; plures.

IV. *Et sit quoq; neq; nostratium quemquam, neq; aliquem Anglum illuc ad Asiæ litora, h. tempore navigasse*; an ideo putabimus commercio cum judæis, vicinisq; populis aliis, exclusos fuisse nostros majores? *Napthali fruetur rebus optatis ad saturitatem, & refertus erit benedictionibus Domini, mare & meridiem possidebit*, ait Moses Deut. 33: Scilicet occupavit hæc tribus regnum jabini & Galilæam superiorem, monti Libano & agro Damasceno contiguam; ac tametsi bello & incursionibus, â vicinis Syris sæpe tentabatur: sicut cerva tamen è laqueis venatoris semper evasit libera, juxta vaticinium Jacobi, Gen. 49. Oppressis vero hostibus suis ductu Barachi, quem Deus ac sydera adjuverunt in delendo jabini regno jud. 5. & 6. hæc tribus sic cœpit excolere navigationem, ut fere non esset locus, quorsum illa suas proras non direxit. Quia itaq; Sveo Gothia inter opulentissimas Europæ terras jure censetur, recte suspicari ac credere audemus, quod etiam ad ejus oras navigia, commerciaq; sua vertit quæstus judaicus.

V. *Imo, quod inter Humelum nostrum Israëlitasq; fuerat commer-*

*mercium, ac per id religionis judaicæ aliqua ad nos delata notitia, videre possumus ex constitutione ejus ad filium Danum.* Vetuit Humelus ne filius in aliqua parte Daniæ delubra constitueret, sed apud Upsaliam Sveciæ metropolim, Dei cultum venerabundus prosequeretur. Cur hic Upsaliam præ locis aliis nominavit, res magis est in aprico, quam ut opus sit divinare: at cur cultum Dei non voluit fieri passim ac in locis plurimis? & cur ut ante, non licuit nunc ubiq; sacrificare? Inter Bethel & ai sacrificavit quondam Abraham, Gen. 12: 5. & Jacob statuit ad Sechem altare Deo forti Israëlis, Gen. 23: 20. pariter ubi placuit, primis seculis sacrificarunt Sveo-Gothi, nec passi sunt se ad certa loca adstringi, etsi plerumq; de facto, ibi cœderent hostias, ubi cum regibus hilares ac religiosi degebant; At postquam Israelis sacra solemnia Deus ad certum locum alligavit, Deut. 16. 2. visum quoq; fuit Humelo nostro, ex comercio quo fruebatur cum Israelitis, utile sacra solemnia ad unum locũ restringere: Ergo sicut Israelitæ Jerusolymam optabant, Psal. 122: 4. sic Upsaliam Humelus statim nominabat, quod ea meliorem urbem aliam ille nec optaret nec speraret.

# CAP. III.

*Solvit nonnulla dubia, quæ moveri possunt adversus hujus articuli nostram expositionem.*

*Primum objici credam, omnia alia suo animo potius versasse Humelum, dum sacrorum cura negocioq; ornavit suam Metropolim, quam ut se ad formam judaicæ religionis accommodaret.* Fatemur quod sic potuit Humelus præcipere ob varias rationes politicas, ac præprimis ob duas sequentes, nimirum ut urbi primariæ ex advenientibus negociaretur lucrum, nec non ut hoc itinere extorqueret confessionem â nepotibus se â

Svecis

Svecis esse oriundos, ac eis propterea debere cultum, & obedientiam &c. Fortassis quod multis annis post fecit apud Israëlitas jerobeam, institutis ad sacra solemnia Dan & Bethel, nimirum ut suos populos averteret â judæis: id nunc metuit Humelus, ac ne contingeret, sua constitutione voluit prudens avertere. Sic inquam ob rationes politicas etsi dici potest suæ Upsaliæ servasse Humelum religionis rationem solemnem: dubitari tamen non debet, quin hac sua constitutione ille voluit se accommodare ad legem divinam quæ præcepit genti Israëliticæ celebrare cultum Dei solemnem, in uno ac certo loco. Non quidem fuit Humelus noster judæus, adeoq; liber ab istius legis obligatione; quam tamen multos annos audivisset, voluit in hoc exprimere potissimum, quod videbat illam in eadem servare cultui suam majestatem. Rejecerit ergo *circumcisionem*, *& multarum carnium abstinentiam* quæq; alia judicio ejus vel primo intuitu adparebant adversa, vel postea rectius exculto ac informato videbantur libera: hanc tamen ceremoniam de certi loci electione præ omnibus aliis voluit amplecti, quod videbat eam uti dictum, servare religioni suam Majestatem. Certe vulgata Sacrorum claritas per multa loca, sensim vitio nostro diminuitur, ac nisi eo justiore ac severiore disciplina politica contineantur auditores, tandem quoq; abrogatur, uti in nostris capellis ipsi deprehendimus. Quo avus aut pater religioso animo sæpius ante ivit, eo nunc post minas ac preces vix semel in anno venit filius; sed domi otiatur diebus sacris, &c. Sc. quia verbum Dei, ceremoniasq; sacras habet ante portam suam, jam id fastidit ceu superfluum, curamq; ejus ceu quotidianam temere negligit, idem nequaquam facturus si ut pater aut avus, majori labore, majoriq; sudore ejus dignitatem adiret. Huic igitur periculo ne cultum divinum

vinum apud posteros suos per Daniam exponeret Humelus, tali lege constituit eum circumscribere ac circumvallare.

*Secundo objici potest vetuisse Humelum delubra erigi per Daniam; ne templum Idololatricum quod Upsaliæ fuit institutum, per eadem obfuscaretur, neve ejus dignitati ea officerent; uti scribunt auctores plerią, & credunt ferme omnes. Joh. Goth. Mess.* Heic ego sciens volensq; auctores ac duces desero: an autem similiter desero ipsam veritatem, prudentis lectoris judicio relinquo judicandum, â cujus pariter humanitate revocari rogo, si me deflexisse intellexerit. Pace ac bona venia eorum, qui aliter sentiunt, sequendi modo circa hanc objectionem, mentem meam explicabo.

(1) Sicut constat Sveo-Gothos ad hæc usq; tempora, sacra fecisse recte: sic certo affirmari non potest, in templo ne aliquo, an sub dio? & ita an in lucis, vel in aperta planicie, eadem sua sacra illi peregerunt. Conjici potest sub dio more majorum suorum, peregrinantium ad Sveo-Gothicam terram, eos primum defunctos fuisse suis sacris, postea tamen injuria tempestatum compulsos, confugisse ad lucos, ut arborum crassioribus ramis pariter ac foliis, se tuerentur â quavis ventorum ac procellarum injuria. Et constat profecto antiquissimos quosvis ante in lucis fuisse operatos sacra, quam eadem ducebant sub tecta, sicut id ipsũ quoq; ex auctoribus vetustissimis, probat Claris. Scheff. Professor Upsaliensis: imo, hac occasione ceperunt improbi pariter ac gentiles dicere Deos suos ἐνδενδρεῖς, meo judicio nequaquam quod in arboribus habitabant, sed quod inter arbores, eos vani homines colebant, ut quoq; rem hanc narrat Claris. Seldenus de Diis Syris. Tertio est quoq; probabile hac arte majores nostros edoctos temporibus post, traxisse religionem suam sub tecta, quod ibi quam in lucis

P feli-

feliciores ac tranquillores essent in eadem procuranda, ut bene hac ratione credere audeamus, tempore Humeli per Sveo-Gothiam nostram sacris destinatas fuisse certas ædes. *Quando tamen & quibus regibus* hæc ratio circa sacrorum loca, est variata, dicere ego non audeo, nec fortassis dicet quisquam alius.

(2) Id vero constat monumentis certissimis templum Upsaliense, quod venerabatur quondam fere tota Europa, quodq; idolorum nundinis in eam illustrem dignitatem adscendit, ut omnium animos veneratione, oculos vero perstringeret admiratione, tempore Humeli non extitisse, si alioquin is Humelus est ejus antiquitatis ac ætatis, cujus antiquitatis cujusq; ætatis rex vulgo â nostris historicis fuisse creditur ac scribitur. Fuit templum id extructum ad formam templi Salomonæi apud Israelitas, sicut id ipsum non tantum auctores docent, sed & ostendunt icones, tam veteres, quam recentiores, quæ ejus structuram repræsentant, & quod quoq; nos infra in parte speciali si Deus volet, labore Schefferiano ostendemus. Jam si ad formam templi Salomonæi hoc Upsaliense templum fuit extructum, sicut omnino ad ejus modum id fuit extructum, hinc consectaria: 1. *Non fuisse id tempore Humeli* 2. *sub ejus molitionem ac structuram fuisse commercium inter nos ac Asiaticos.* 3. *ipsum vero totum fabricatum fuisse in honorem Dei altissimi, nec ullo modo dici debere aut statui, propter idola id fuisse extructum, nedum propter illa tria, Thore, Oden & Frigga*, quorum tamen nominibus nunc ut profanum traducitur, quorumq; abominatione fœdatum amplius â reformatoribus non potuit ferri, quando ante 9 secula est destructum ac solo æquatum.

CAP.

# CAP. IV.

*Illustrat ac probat consectaria, quæ sub finem præcedentis capitis ponebantur magna.*

*Primum tamen consectarium*, quod negavit inclytum quondam templum Ubsaliense, heic fuisse tempore Humeli, *non usq; adeo magnum est*; & insuper ab intentione mea non parum alienum, quippe cum potius pertineat ad historiam civilem, quam ad ecclesiasticam: non possum tamen non indicare idem ita vere rem negare, si Humelus judicio ac stylo historicorum vere præponatur quoad tempus, Salomoni. (1) Non convenit putare ad formam templi idololatrici in Europa, novi templi formam per Asiam vel scripsisse Deum, vel expressisse Salomonem; & templorum author rectius statuitur Deus quam Diabolus: Quia ergo alterum fuit alteri simile, hinc sequitur prius extructum fuisse Salomonæum, utpote auctore Deo inchoatum, quam hoc nostrum, quod fuit opinione vulgi, instinctu diaboli ceptum & in cultum idolorum fabricatum. (2) Deinde ponatur in honorem altissimi nostrum Ubsaliense fuisse conditum, sicut nos speramus & credimus, nec adhuc convenit dicere idem inchoatum ab hominibus, antevertere illud, quod fuit expresso mandato divino cœptum ac absolutum: rectius creditur homo didicisse â Deo, quam inverso ordine, fas est cogitare Deum, formam struendi templi sumsisse ab hominibus. Salomonæum igitur fuit prius, ac per consequens non extitit nostrum Upsaliense tempore Humeli, in cujuscunq; gloriam id vel dicatur vel fingatur conditum: maxime si & quamdiu verum est, quod scribunt uno calamo historici fere pleriq;, nimirum Humelum vixisse ante Salomonem.

*Secundum consectarium* de commercio inter nostros majores

ac Israëlitas, *sequitur sua sponte ex superiorû explicatione.* Formam Salomonæam divinitus imperatam, expresserunt nostri: id autem quo auctore fecerunt? *& Deone auctore, an diabolo, vel deniq; auctore aliquo homine, eam formam expresserunt?* Dei instinctu velim dicere majores nostros opus fuisse exorsos; mandato vero ejus expresso dicere non ausim, quod talis gloria non contigit alij genti, quam Israëli, Psal. 147. Diaboli vero instinctu dicere nolim, quod is nihil potestatis habuit in hoc templo, cum illud strueretur, uti modo ostendetur, ædesq; sacras in honorem Dei ille nec velit, nec præscribat. Sequitur ergo auctoribus hominibus concitatis pio Dei zelo, veræq; religionis amore, id fuisse & inchoatum & absolutum. Illi autem nostri unde formam templi Salomonæi didicissent vis scire? alterutrum omnino verum est, aut huc commeasse Asiaticos, aut illuc ivisse nostros, aut deniq; frequentibus commerciis utrumq; populum se invicem salutasse. Quodcunq; horum ponitur, manet certum omnino, non tantum quod est in consectario, scilicet Asiam junctam fuisse Europæ nostræ, commerciis rerum variarum, sed & per eadem commercia, huc illatam religionem veram, si heic illa ante non fuit, sicut quoq; nos modo scripsimus.

*Sequitur consectarium tertium, quod ponit templum Upsaliense fuisse conditum in honorem Dei altissimi, nec statim dicatum idolis, nedum tribus illis vulgo per Europam celebratis, Thorero, Odeno, & Friggæ.* Scio equidem multos credere hoc tempore non tantum idololatricum cultum Upsaliæ tenuisse, sed & floruisse illum, qui Odeno autore regnum, imo, totum boream misere postea inundavit. At me judice, falluntur illi omnes confusione Chronologiæ: & multo antiquius mihi videtur templum Upsaliense, quam in Svecia vel unquam adparuit Odenus. Constat auctoribus Sturlsonio ac Konunga sagun

metu

metu imperii Romāi, Odenū Asgardia sua urbe in Asia, relicta, ad nostros majores divertisse: sicut itaq; Romani qui demum anno mundi 3220. sunt exorti, tempore non dicā Humeli, sed ne quidem Salomonis, imo, nec seculis post multis, adhuc extiterunt, non potuerunt nominis magnitudine aliquem vel terrere, vel patria ejicere, sic non potuit Odenus ab eis ejectus, in illa secula reduci, quibus etiam longe post Salomonem, Ubsalense templū certo vel credatur vel fingatur extructum. Asiæ imminuerunt Romani graves demū seculo ante natum Christum. Exeat tunc patria sua Odenus, ac ad nos veniat, an v. mox illi in honorem ædificatum nostrum templum? Innumeris auctoribus legimus longe ante duo vel tria secula, ante natum Christum, fuisse ac floruisse templum Upsaliense; non potuit igitur ipsum in honorem Odeni ædificari longe post, cum multis seculis ante ejus adventum, jam tum esset ædificatum. *Hic vero â contradicentibus aut extenuanda sunt testimonia Sturlsönii & K. Saguns / aut concedendum in honorem Odeni non fuisse ædificatum majorum nostrorum templū, sed tantum in idem postea illatam fuisse Odeni effigiem &c.* Prius hactenus non ausi sunt multi: adeo in hoc argumento extollitur fides Sturlsonii, ne in dubium heic facile vocetur â quoquam: Et si illa ante talis tantaq; in hoc argumento fuit, nunc profecto tanto erit sanctior, quanto graviorem adstipulatorem invenit in aliquot seculorum vetere Konunga Sagun auctore. Posterius est quod tentatur ac eluditur â multis; nec tamen incedunt iidem eadem via. *Concedunt aliqui Odenum sero huc venisse*, & templum Thorero dicatum sq; seculis ante Odeni adventum, factum tamen postea, ut æq; is inse-reretur sacris templi, sicut eadem ante constituit Thorerus. *Alii dicunt plures fuisse Odenos*, ac in templo Upsalensi non tam fuisse illum, qui perculsus â Romanis huc accessit,

quam quendam alium, qui extitit longe ante eum; nam constat ex Saxone, duos vel tres fuisse Odenos. Sic diversis viis incedunt auctores, nec placet huic, quod placuit illi. Nos apud primos acceptamus, quod fatentur Asiaticum Odenum templo nostro longe fuisse posteriorem; Et si talis is fuit, an tunc in ejus honorem potuit templum condi? an honorem & templum quoddam Augustum invenit is antequam unquam extitit, imo, multis seculis antequam extitit? non convenit ita opinari. Nec certius affirmatur, in honorem idoli Thoreri, id ante fuisse extructum. *Primo* quod rarius & non nisi â paucis, separentur Thorerus ac Odenus, adeoq; quod sicut sequioris ætatis agnoscitur Odenus, sic putare ac credere possumus illum Thorerum pariter inferioris ætatis fuisse, quam fuit structura templi. *Deinde* ponatur Thorerus ſq; secula antevertisse Odenum, jam *primum* certo definitur tempus structi templi, de quo tamen hactenus variarunt auctores. In tempora Abrahami ejus structuram referunt *Joh. Gothus*, & *Messenius*: imo quoq; *Olaus Magnus*, dum ad Ninum eandem extendit, qui fuit Abrahamo non σύγχρονος modo, sed & superior: at quod idem fuit recentius arguunt *alii*, non solum ex antiqua superstitione, quæ voluit primis vel auspiciis vel rudimentis, colere Deos sub dio, videatur stella, Wormius & Petr. Claudii: sed & quod demum tempore Frei, vel Dii vel regis, ejus fiat mentio, conf. Scheffer Ubsal. pag. 24. seqq. Si igitur dicetur templum extructum in honorem Thoreri, mox pugnabit hujus tempus definitum cum indefinita ratione structi templi. Quin & fatentur omnes templum antiquius fuisse, quam quod convenire potest cum quinq; seculari ætate Thoreri, retro numerata â nato Christo nostro salvatore, prout volunt recentiores. Et porro dubitaverit quis, si in anteriorem ætatem referatur Thore-

rus

rus, an pro idolo ſit habendus? Ego equidem quid ſentiam, habeo in promptu. Diſtingv. hic eſt inter vocem idoli acceptam terminative oppoſitione prima; & inter eandem acceptam oppoſitione ſecunda. Deſcribitur Thorerus auctor bonorum omnium apud antiquos, nomineq; ipſo indicat audentem ac potentem, â thoras, ac poſſe omnia ſub tonitruis, in promovendis pluviis aut ſegetibus, Scheffer. pag. 51. imo, etiamnum in borealibus provinciis dum fragoribus ac tonitruis Deus quatit cœlum, dicunt ſimpliciores Thoren bullrar/ h. e. Thorerus ſtrepit. hinc ſuſpicio non prorſus temeraria exoritur præſertim apud ſimplices, annon per Thorerum exiſtentem ſolum ac longe ante tempora Odini, item potenter in cœlis ac terris dominantem, boni auctorem &c. intellexerunt veteres altiſſimum Deum cœli & terræ creatorem. Heic ergo potius tacuerim, quam quicquam temere in hiſtoriis tam antiquis conſtituerim. Non me hoc loco permovet, quod poſtea cum Odeno, Thorerus ille ſit habitus ac cultus pro idolo. Sicut omni ætate Sathan loco ſacramenti, cum ſuis veneficis, jam utitur divinis nominibus, jam nominibus ſuis, jam quandoq; mixtis nominibus divinis ac ſuis, uti videre eſt apud Gödelmannum l. 1. c. 8. ſic potuit ille poſtea per ſuperſtitioſos ſua arte, Thorero vero h. e. imagini omnipotentis Dei (ſi quis ita cum ſimplicioribus dixerit) jungere falſum Odenum, h. e. imaginem infirmi hominis, ſed ſolertis præſtigiatoris. Sub quo caſu dicendum commiſſam fuiſſe utrobiq; idololatriam, ſed ibi pontificiam, hic paganam, ibi ſymbolo ſigni occupatos ſuperſtitioſos, at hic vero idolo fruſtratos paganos: utrobiq; fuiſſe imaginem, ſed ibi imaginem potentis ac fortis Domini, hic vero imaginem vani ac inepti præſtigiatoris, &c. Sed ita absq; præjudicio aliorum, & ſub cenſurâ bonorum, in antiquis exercitatorum.

Hæc

Hæc igitur ita transeant, & nos videre possumus templum Ubsaliense neq; in honorem Thoreri explicati pro idolo, fuisse extructum, neq; fuisse idem conditum in honorem Odeni, cum fata ejus aliquot seculis anteverterit.

Reliquos ergo quod concernit, dicentes plures fuisse Odenos, videndum est quibus principiis sic pluraliter iidem loquantur. *Saxo in Haraldo* Hyldetand/ pag. m. 146. memorat quendam huic regi coætaneum vixisse, ac celebrem in bello, opis seu dandæ, seu subtrahendæ gratia, versiformi corporis habitu adparuisse &c. Hic v. *primum* dubium occurrit, annon similitudo nominis Saxoni imposuerit: Profecto non singuli dæmones, qui dicuntur Teuflar, Deus nos clementer tueatur! nec unaquæq; Ceres Dea: Ceres vel Zeresh dicebatur Hamani conjunx, Ester 6:13. eam tamen nunquam legimus pro Dea fuisse cultam. Sint similiter duo aut tres Odeni, an ideo quilibet eorum pro Deo habendus? Secundo testatur quoq; heic claris verbis Sturlsonius Odenum nostrum metu Romanorum exagitatum huc venisse, delatosq; honores accepisse. Is autem sicut multis seculis post venit, sic templi structuram sibi dedicari nunquam vidit.

Quin & Messenius ex Joh. Gotho videtur pro iisdem facere: nam sub primis regibus Gothorum, Othino jungit ille Friggũ vel Friggam, sic suspense scribit, quemadmodum quoq; lis est inter eruditos, non tantum quis vel quæ fuerit ille aut illa Frigg, sed & quo genere potissimum efferatur? ast hic Othinus Gothus ut incidit in tempora obscura, sic fuit infirmior quam ut posset apud illam antiquitatem, divinitatis opinionem sibi conciliare. Et contra, si conciliasset, jam ipsam ætatem splendore sui nominis illustrasset, profecto tempus novo numine ornatum, inclarescit magis,

quam

quam ut obſcuritatis damnetur. Deinde ſi Odinus Gothus eſſet ille memorabilis, jam non tantum Gothicæ regnum illuſtraſſet, ſed & apud Gothos rectiſſime habitaſſet. Id autem cum non videamus factum, hinc non temere omnino exiſtimamus alterum ab altero fuiſſe diverſum. Sicut eodem jure aſpernamur Odenum Saxonis in vita Haraldi nominatum, quod is tanquam Deus ac ſtruendæ aciei doctor, à partibus ſtetit Danorũ, non Gothorum; Sicut igitur duos videmus Thoreros, ſic tres omnino invenimus Odenos, & inter falſa numina antiquorum noſtrorum nos non niſi poſtremum ex auctoritate Stuerlſonii, tuto reputamus. Is a, ſicut multis ſeculis poſt huc venit, ſic templi ſtructuram ſibi dedicari nunquam vidit. Relinquitur ergo ex ſuperioribus omnibus, ſtructuram templi Upſalienſis longe antevertiſſe fata celebrium per Europam, trium falſorum numinum, Thoreri, Odeni, Friggæq;, ac quia præter eadem nec domi, nec foris damnemur aliorum: illis igitur circa hæc tempora remotis ceu nondum exiſtentibus, affirmam⁹ poſſe nos absq; periculo, imo debere, aſſerere in honorem Dei altiſſimi fuiſſe quondam extructum noſtrum templum, quamquam poſtea declinante etiam per Aſiam, religione vera, idem ante nominatis tribus idolis fuit fœdatum.

Profecto pulchre convenit de noſtro templo affirmare quod de ſuo olim affirmarunt Judæi. Una quippe fuit utriusq; ſtructura, uti poſtea dicemus, & fere æqualis utriusq; ſplendor. Utrumq; ceptum fere eodem tempore, ac tantum non eodem utrumq; paſſum abominationem. Nimirum voluit tali analogia Deus optimus Aſiam ac Europam jungere, quia earum incolas in Noachi poſteris, ante conſtituit vel ſocios vel æquales, Gen. 9: Hæcq; apud nos ſic ſunt immota, ut iiſdem pro manifeſtis documentis au-

Q deamus

deamus uti, non tantum ad finem intentionemq́; structi templi innuendam, sed & ad probandum religionem veram extitisse per Sveo-Gothiam nostram usq́; ad tempus, quo templum ipsum est juxta formam Salomonæam domi instauratum. Sed de his plura infra; Et hoc loco suffecerit refutasse per constitutionem nostri Humeli ad suum filium Danum, inferri posse tunc extitisse templum Upsaliense, ac suis tribus idolis jam tum per ~~orbem~~ eminuisse clarum: quod totum jam nunc nos solidis rationibus negamus.

## CAP. V.

*Profert articulum tertium in hac periodo, ac docet quæ sub eo, esse potuit aut fuit Ecclesia Sveo-Gothica.*

Inde juxta vota populi partitis regnis, reges fuerunt *Sigthunius Svecus*, *&* *Scarinus Gothus*, qui contra Gramum Danum, Schioldi filium, decertantes, (quod ille pro opinione illius temporis volens inclarescere, Groam Svecam virginem speciosissimam in Daniam abduxisset, sibiq; matrimonio junxisset) ambo ut ajunt sunt interfecti, Svecus clava aurea in bello, & Gothus per duellum. Tum sequebantur reges, *Sibdagerus*, *Asmundus & Uffo*, omnes ab Hadingo Grami filio, vel justis præliis occisi, vel artibus malis, quibus ille ab ineunte ætate ut fert rumor, assveverat, dolose circumventi, *Saxo*, *Paulin.* Tanti stetit tunc temporis Svecis, vindicare unius virginis raptum, quanti paulo ante decennium ab eodem tempore, fuerunt Græcis vindiciæ Helenæ. Mox tamen sicut Græci vindicias suas terminarunt excidio Trojæ, sic plagis pluribus ex eo, Danos mulctarunt Sveci. *Tempus hujus iracundiæ, fuit fere annorum 105, incidens in dies judicum, Eli ac Samuelis; nec non regum, Saulis Davidis, ac Salomonis*, apud Israëlitas.

TERTIUS HIC ARTICULUS complectitur annos 105 & pro Sveo-Gothorũ vera religione dat argumenta plurima,

I. *Fuit Eli hoc tempore clarus propter arcam Domini, & sacra divina alia, quorum curam ceu primarius antistes, sedulo agebat.* Non potuit itaq; non inter gentes deprædicari, & verosimile videtur, sermonibus eum jactatum non tantum apud vicinos, sed & procul dissitos, ac consequenter apud nostros Sveo-Gothos: cum ut fit, cuncti libenter audiamus nova, & in religionem religionisq; officiarios semper solicite inquirat animus religione tactus.

II. *Samuel vero potuit per gentes celebrari, non tantum eodem nomine, quo Eli, sed & justitiæ ac devotionis laude insigni debuit ille commendari.* Crediq; potest tanti viri famam etiam in nostram Sveo-Gothiam fuisse diffusam (1) quod spiritus ipsi datus, major fuit, quam ut paucis provinciis terminaretur: h.e. ille habuit majora dona sanctificantia ac ministrantia, quam quæ ordinatione divina â vicinis ac circumjacentibus gentibus debuerunt aut potuerunt capi. (2) Nescimꝰ ubi desiit audiri inusitatum Dei auxilium, sub ipso, datum Israëlitis, in profligandis Philistæis. Cum posita utrinq; essent castra Philistæorum ac Hebræorum, & uterq; populus agmina explicasset, tot ac tanta è cœlo tonitrua extiterunt adversus illos, ut metu examinati in fuga quærerent salutem, 1. Sam. 7: Profecto tale tantumq; miraculum ante Sveciam replevit sui fama, quam manare per ora cordaq; hominum desineret.

III. *At David ubi fuit exclusus?* (1) Vertit eum exilium in Europam pariter ac in Africam: conqueritur namq; ipse & de Mesech & de Kedaretis, Psal. 120: 5. Kedaretæ fuerunt oriundi â Kedare Ismaëlis filio Gen. 25. ac habitarunt per Arabiam Petræam: Mesech vero omnium doctorum

judicio significat Schytas ad paludem Mæotim habitantes, dictos nunc Moschos á fluvio, qui Tartariam separat â Russia, ac hodie toti genti facit nomen, *Horn.* Sicut itaq; expressis verbis David conqueritur de Kedar & Mesech, sic putandum tenendumq; non tantum eum in exilio vagatum fuisse ad Arabes, sed & per Thraciam delatum venisse in Schytiam, ubi Sveo-Gothorum nostrorum cognati ac liberi tunc agebant, cum rege Erico patria egressi, uti testantur nostri historici. Per hos igitur informatos â Davide ac postea domum reversos, potuit vera religio rursus vel vulgari vel restaurari. (2) Si consideretur David in suo regno, quantus ibi fuit princeps? Attila Hunnorum Rex adpellavit se terrorem mundi, sed frustra, uti notum est ex ejus historia: victus etenim est ab O-Gothis externis. Davidem vero hunc nostrum Tu rectius dixeris terrorem mundi. nam quocunq; ille tulit sua arma, ibi hostes sunt concisi. Sicut itaq; is omnibus fuit terrori, sic ab omnibus meruit celebrari, vereq; toties per orbem, famam suam vulgavit, quoties illos qui ipsum alii post alios gravissimis bellis impetebant, singulos vel trucidabat vel fugabat. Neq; sic meruit ille celebrari per suam fortitudinem, quin nominaretur quoq; ejus pietas ac devotio, ut hac ratione cum fama personæ, audeamus credere religionis famam inclaruisse. (3) Quin & fœdus paciscebatur David cum variis peregrinis, 2. Sam. 8. 1. Pet. 18. ne nunc dicam quod homagium præstabat Regi Moabitarũ, 1. Reg. 22. quod conjuge Macha utebatur peregrina, 2. Sam. 3. 1. Par 3. quod liberos suos abduci ab Amalekitis videbat, 1. Sam. 30. & quod Abigail sororem suam Jethero Ismaëlitæ elocabat, 2. Reg. 2. Per quæ omnia potuit ad nostros majores vulgari vera religio, & sine dubio actu quoq; ipso est vulgata, si non primo

mo auctore, certe secundo, tertio aut quarto, nunciata.

IV. *Salomon vero quantus?* tantus fuit is, ut si hic articulus plures non haberet, in eo tamen uno inveniret sufficienter, unde religionis veræ introductionem ad nostros Sveo-Gothos, recte doceret. (1) Fuit is mortalium omnium post lapsum sapientissimus. (2) Et Regum quoq; omnium opulentissimus. Quibus duobus titulis sic eminuit, ut non tantum â vulgaris sortis hominibus commendaretur, sed inusitato exemplo suspiceretur quoq; â procul dissitis Regibus ac Reginis. (3) Junxit ille affinitatem cum variis gentibus, tantoq; nominabatur per orbem frequentius apud plures, quanto ad hanc rem solertius se pluribus immiscuisset: fas namq; est credere etiam per affines eorumq; socios ac amicos, ejus famam volasse per orbem. (4) Emisit ille naves ad Ophir h. e. in orientalem Indiam, ad quærendum aurum, argentum &c. Illæ vero uti potuerunt ventis agitatæ, circa promontorium Africæ (suppono eas Africæ litora legisse) deferri in aliquam Europæ vel insulam vel provinciam, sic inde ad nos bene potuit vulgari religionis eorum exercitium. (5) Et fortassis sicut misit naves ad Ophir, collecturas aurum &c. sic misit alias in Sveciam exportaturas cuprum ac ferrum, quibus pariter opus habebat non tantum in structura templi, sed & in condendis reparandisq; suis urbibus. Fateor quod hoc idem non loquatur codex Sacer, sed an ideo negandum? Neq; Julius Cæsar Germaniam describens ullius civitatis mentionē facit teste Hēr. Bynting & tamē intelligim9 non paucas etiam celebres tunc extitisse: simili jure suspicari possumus huc missas Salomonis naves, tametsi earum non meminerit scriptura, ne nunc dicam, quomodo â testimoniis divinis æq; ac humanis tantum licet ut ajunt, affirmative inferre. (6) Posuit quoq; templum illi immortalem fa-

 mam.

mam. Nusquam vero potuit ille digne decantari, nisi simul celebraretur summus Deus, cujus beneficio ille erat ita sapiens, ita dives, cujusq; gloriam longinquis suis navigationibus pariter ac templo ipso, anxius quærebat. (7) Et cur ipsum Deus auxit tam effusa bonorum adfluentia? an ut tantum celebraretur apud posteros? locus ipse ubi ejus gloria splenduit, fuit super meditullio terræ habitabilis: inde conjicere fas est quod illa tunc sic defluebat celeri cursu per orbem; sicut per se deorsum pergunt corpora gravia, per declivia jacta: sed hoc leve est. meliora cœtera.

# CAP. VI.

*Explicat articulum quartum in hac periodo, docetq; quæ sub eo Ecclesia Sveo-Gothica vel fuit, vel certe esse potuit.*

Deponitur interim odium inter Svecos Danosq; aut certe vel differtur vel dissimulatur; eaq; coram mundo amicitia jungitur inter ipsos Reges *Hundinum Svecum*, & *Hadingum Danum*, quæ amore haudquaquam virili, utrumq; vita privavit. Scilicet Svecus potu melleo se in gratiam Dani suffocavit, & Danus ut amicum sequeretur per suspensionem sursum avolavit: *Duravit hæc amicitia, Regibus apud Judæos Rehabeamo, Assa & Abia.*

QVARTUS HIC ARTICULUS non est annorum usq; adeo multorum, & absolvitur amicitia inter Svecum Danumq; quam tu rectius muliebrem dixeris, quam virilem, aut si modestius agere velis, quam tantum ridiculam conjeceris, si non riseris. Neq: hoc tempore defuerunt argumenta, quibus religio judaica vulgaretur ad gentes.

I: *Vixit hoc tempore Rehabeamus*, qui imprudentia sua commeruit, ut ab ipso abalienarentur decem tribus. Quantum

itaq;

itaq; paulo ante extollebatur pater Salomon per sapientiam suam, opes ac potentiam; tanto nunc filius per suam imprudentiam, tenuitatem ac diminutum regnum, ceu miser ac infelix traducebatur. Unde cum fama hujus, vulgari potuit vera religio, quod absq; mentione religionis, fata reip. Hebrææ digne jactari aut considerari non possent.

II. *Assa deinde an fuit per orbem obscurus?* Ubi hostis Serachi strages innotuit per terrarum orbem, ibi deprædicabatur Assa, Dei sui insigni tutela memorabilis. Crediderimq; ego famam hujus miraculi non tantum excurrisse per orbem, sed & ubiq; religionem veram sevisse, cum sine religionis rumore, veriq; Dei Israëlis admiratione, neq; hoc miraculum, neq; ejus simile ullum aliud, usquam posset vere deprædicari. Jaceat ergo Abia idololatra in obscuro: at Rehabeami & Assæ ea fuerunt fata, quamvis prorsus diversa, ut sui famam etiam in Sveciam ac cum fama religionem veram diffundere possent.

## CAP. VII.

*Exponit articulum quintum in hac periodo, docetq; qua sub eo, Ecclesia Sveo-Gothica vel fuit, vel certe esse potuit.*

Tum seqvuntur *Regnerus* Hadingi filia nobilitatus, ac inter Tanaim & Norvegiam ducens *Hothebrotus*, nec non ob Racconem canem memorabilis *Attilus I.* Quibus si tu porro adjeceris *Hotherum I.* virum eruditissimum, & *Rodericum ac Attilum secundum, cum Veromundo ac Bothvildo avaro*, jam huic nostro articulo, respondenti apud Israëlitas temporibus *Josephati, Jorami, Ochesiæ, Ataliæ, Joasi, Amasiæ, Usiæ, Jothani, Ahasiæ, Ezechiæ, Manassis, Amonis, Josiæ, Joachasii, Jojachimi, Jëchoniæ ac Zedechiæ*, finem injeceris commodum. paucisq; regibus enumeratis absolvis periodum 1035 annorum, quæ

est inter *Ericum secundum ac Carolum secundum*, aut si mavis supputationem sacram, inter Mortem Mosis ac 65. annum post destructionem regni judaici in Zedechia.

QVINTUS HIC NOSTER ARTICULUS complectitur Monarchiam Sveo-Gothicam Danis Norvegisq; jam auctam jam diminutam, ac respondet periodo ultimorum Regum in juda; æq; in se confusus, sicut turbatus fuit is, qui apud Judæos omnia miscuit, tandemq; gentis imperio finem fecit, rege eorum ac populo abductis. Foret longum hic ire in ordinem per omnes Reges judæos, ac ex singulis producere argumenta, quæ videntur fidem facere, veræ religionis famam insonuisse per orbem, ac consequenter per nostram Sveo-Gothiam. Breviter tantum.

I. *Consideramus reges ipsos, eorum fata ac gesta.* Josaphat inclaruit pietate, dum non tantum ipse devotus vixit, sed & per institutam visitationem, restituit prolapsum Dei cultum, 2. Paral. 17. seq. Ezechias templum Dei renovavit, multaq; alia bona per terram Judæ instituit, 2. Paral. 29. Manasses diversus fuit suis fatis, conf. 2. Paral. 21. cum 2. Paral. 33. Josias vixit velut novus David 2. Par. 34. seq. Jechonias sponte migravit Babylonem 2. Reg. 24: 12. His talibusq; aliis suis vel fatis, vel factis, sic spero enumeratos Reges celebratos fuisse per orbem, ut non esset alicubi gens, ad quam non illi rumoribus ambularent. Impii vero reges Joram, 2. Reg. 3. Ochasias 2. Reg. 8. (addatur regina Athalia, 2. Reg. 11.) Joas 2. Reg. 12. Amazias 2. Paral. 24. Uzias 2. Paral. 26. Amon 2. Reg. 21. Joakas 2. Reg. 23. Jojakim Jer. 26: 23. & Zedechias 2. Reg. 25: 7. tametsi non meruissent ut circumferrentur; credo tamen passim eos esse fama circumlatos, nominatosq; cum religionis sacræ aliqua commemoratione, nam non infrequens est apud Deum, etiam

malis

malis uti in deprædicanda sua majestate ac gloria, sicut docent exempla in Bileamo, Num. 24. & Diabolo ipso Matt. 8: conf. Phil. 1. 15. seq.

II. *Consideramus clades publicas, quibus Deus sub hoc articulo, gentem suam affecit*; Illæ vero tales tantæq; fuerunt, ut intra terminos Palestinæ nequaquam laterent. Triennium & sex menses non pluit tempore Eliæ, unde summa fames 1. Reg. 17. Samaria capta & 10. tribus abductæ per Salmanasserem Assyrium, 2. Paral. 20. demumq; in Sedechia destructum totum regnum Judaicum per Nebucodonozarem Babylonium &c. Hæ clades publicæ annon nunciatæ sunt per varias terras? at nusquam vulgari potuerunt, nisi simul jactarentur gentis sacra: cum rumore igitur earum non hallucinamur, si conjicimus Israëlis religionem veram fuisse vulgatam.

III. *Inspicimus clades quorundam privatas, quæ idem docebunt, quod invenimus modo in publicis.* Ahasias, Joram ac Athalia indignis modis tolluntur. Uzias plectitur lepra, 2. Par. 26. Manasse abducitur captivus 1. Reg. 21. Amon interficitur â servis 2. Reg. 21: 19. Joachas abducitur in Ægyptum 2. Reg. 23: 30. Jojackim Babylonem, 2. Paral. 38: 6. qvorsum & Jechonias sponte decedit 2. Reg. 24. & quo abducitur captus ac exoculatus Zedechias 2. Reg 25. Hæc fata tulere recensitæ personæ: ipsæ vero uti illustres fuêre, sic fatorum suorum fama varias terras intrarunt, & nobis judicibus, quo sui famam vulgarunt, eo religionis veræ descriptionem intulerunt.

IV. *Observamus quæ habuit hic articulus miracula.* Sareptanæ filius resuscitatur â mortuis, 1. Reg. 17. Elias vivus transfertur ad cœlos, ibid. Uzias á lepra sanatur miraculose, 2. Paral. 26: 1. Josias precibus reducit solis umbram,

Esa. 38: 8. &c. Hæc miracula singula loquebantur potentiam Dei, non potuerunt igitur, imo, nec debuerunt, ante subsistere, quam varias, si non omnes terras sui fama complevissent. Et nos spes certa manet, quod non tantum in Sveo-Gothiam nostram manarunt, sed & quod audientium animos ibi cura veræ legionis recte sollicitarunt. *Et tantum de hujus periodi articulo ultimo, sufficerit nobis in hac brevitate, strictim posuisse.*

# CAP. VIII.

*Subjicit nonnulla, quæ recolenda sunt sub hujus periodi articulis singulis.*

I. Sicut Ismaëlitæ, Esavitæ, & qui alii piorum patriarcharum filii fuerunt, palabantur per orbem dispersi, ante adventum Israëlitarum in terram Canan: sic mox ex quo illam terram ingressi sunt Israëlitæ, etiam illorum multi palari similiter cœperunt. (1) Disjecti sunt iidem per varias suas servitutes, vide illas in libro Judicum descriptas â c. 3. ad 17. & per has disjecti sunt pleriq; inviti. Abduxit quippe furor bellicus quos voluit, nec magis pepercit primogenitis quam aliis. (2) Abiverunt quoq; multi spõte ad nationes exteras, non tantum propter mercaturam, sed & quod finibus eorum avidis animis imminebant. De Napthali nundinis ac navigationibus scripsimus supra pag. 114. Nunc addimus quomodo similiter Zebulon & Isaschar debuerunt quæstus causa, ad gentes excurrere. Zebulon accepit loca maritima, & sic otium perosus, vacavit negociationibus, prorsus sicut pater ante in sua benedictione fuit locutus, inquiens: *Zebulon ad portum maris habitabit, & ad stationem navium, pertingens usq; ad Sidonem,* Gen. 49. Moses vero Zebuloni jungit Isaschar, dum ait: *latare Zëbulon in exitu tuo, & Isas-*

*& Issaschar in tabernaculis tuis. populos vocabunt in montem, & ibi sacrificabunt sacrificia justitiæ, nam adfluentiam maris sugent, & thesauros absconditos in arena, Deut. 33.* h. e. mercibus marinis & metallis debebant abundare, quæ acciperent non tam aliunde exportata, quam quæ exportarent ipsi ex locis montanis, edoctis à se sacrificia justitiæ, &c. Quomodo vero finibus vicinorum judæi imminuerunt, videre possumus ex Rubenitis, qui tempore Sauli occiderunt 100000. Ismaëlitarum, & regionem eorum occuparunt, 1. Paral. 5. Per Ismaëlitas itaq;, Esavitas ac Cananæos dispersos, sicut vera religio potuit vulgari, sic per hosce mercatores Zebulonitas omnino propagari debuit Notanter vero additur quod debuit illa propagari inter montanos: Nos igitur qui super scopulos montesq; habitamus, ii sumus, ad quos Zebulonitæ illi recte creduntur pervenisse, quosq; jure divino iidem putantur instituisse. Ac sine dubio est quoq; idea templi Salomonæi per hos in Sveciam perlata, si non populares nostri ex Asia eandem ipsi sint mutuati, quod potius crediderim.

II. Tametsi singuli articuli suis factis ac miraculis sint illustrati: possunt tamen imo debent semper posteriores sic priorum fatis celebrari, sicut ornantur suis propriis. Erunt nimirum priorum articulorum miracula ac fata, quæ illustrabunt in hoc argumento, & suos articulos, & seqventes singulos. Quæcunq; itaq; illustria facta sunt in gente Israël, aut edita miracula alia, ante Davidem regem, ea pertinent sic ad sequentium Regum tempora, sicut illustrabant annos, quibus ipsa ante contigerunt.

III. Est tota periodus ducenda per seriem sanctorum prophetarum, qui plurimi ac clarissimi in illa vixerunt. Atq; hoc dum feceris, invenies non tantum quod potuit vera

religio per eos vulgari ad exteros, ſed & quod vulgari ac propagari debuit. Nam tametſi prophetæ degebant in gente judaica, & eam cumprimis ceu â Deo dati miniſtri, quærebant â peccatis retrahere, nonnunquam tamen iidem aut ad gentes exibant, aut alias in patria conſtituti, eas ſic alloquebantur, ut certo certius adpareat, eos mandato divino pariter illas conſtituiſſe Deo lucrari. (1) Utuntur enunciatis univerſalibus, h. e. ad omnes ubiq; gentes dirigunt ſuas conciones exhortatorias. (2) Nominant nonnunquam certas gentes ſuis nominibus: aut ſi id non fecerint, freqventius tamen exteras gentes ac maris inſulas alloqvuntur &c. ſicut hæc & horum ſimilia alia pluribus poſſunt ex eorum vaticiniis ac concionibus probari.

Ex quibus omnibus, nobis eſt prona ac certa illatio, quod ſicut illi juſſu Dei concionantes, vocarunt omnes gentes; ſic fuit ex vera Dei intentione, omnium gentium venire; & ſicut illi inſulas maris ſunt allocuti, ſic fuit inſularium reſpondere, h. e. vocem Dei veri audire. Spes igitur nos tenet certa, etſi vocatorum quam plurimi in Svecia non minus, quam apud gentes alias, ſupina negligentia eorum vocationem adſpernabantur, fuiſſe tamen aliqvos, qvi eandem acceperunt animis, quiq; Dei nova benignitate vocati, relictis mundi tenebris ac ſuis erroribus, venerunt ſupplices ad Deum æternum. Nimirum ſicut Ninevitæ tempore Jonæ, audita una concione, egerunt pœnitentiam in ſacco ac cinere; quod non feciſſent, niſi ante religionem veram didiciſſent: ſic putare convenit, & Sveo-Gothos ad concionem ſacram reſipuiſſe, nec dogmatum ſacrorum ratione unquã penitꝰ caruiſſe. Ad eos igitur eorumq; ſimiles alios, ſed extra terram Paleſtinam viventes, referimus exhortationem Davidis, *celebrate Jehovam, quoniam bonus eſt,*

*nus est, quoniam in seculum benignitas ejus. Prædicent redempti Jehovæ, quos redemit ab angustia, quos ex regionibus congregavit ab oriente & ab occidente, ab aquilone & à mari &c. Ps. 107: 1. seqq.* Et porro inferimus, si potuit David invenire religiosos per 4. ventorum regiones, dispersos suo tempore: qvanto erit facilius eosdem invenire seculis seqventibus, qvibus plures Doctores mortalibus sunt dati religione ac miraculis tantum non ubiq; conspicui. Fide igitur tam divina, quam humana credimus hâc periodo per Sveo-Gothiam nostram fuisse pios ac religiosos.

Numerum autem eorum nequaquam expresserimus. Fuerunt proh dolor iidem opportuni idolis aliorum, vel *Astarti* idolo Sodomæorum, vel *Camo* idolo Moabitarum, *Molacho* seu *Melchomo* idolo Ammonitarum &c. si propria idola non habuerunt, h. e. quæ ipsi per suggestionem diaboli excogitassent, ac Deificassent: & in hæc per corruptam suam naturam propensis quoq; animis inclinarunt: dubitari itaq; vel negari nequaquam debet, quin hac eadem periodo multi nostratium extiterunt idololatræ. Sicut totus Israël in deserto Mose absente, sub ipsis Dei stupendis operibus ac præceptis prolabebatur in idololatriam vituli, Exod. 32. & sicut tribus Dan arca in Silo existente, colebat quoddam idolum, ad quod temerario ausu dicam an casu misera confugit, Jud. 18. Sic haud mirum gentem Sveo-Gothicam, vel nunciata idola accepisse, vel deniq; nova excogitasse, cum similibus ut Israël, neq; ducibus uteretur, neq; operibus percelleretur. Animus religione tactus sæpe occupat prava, dum meliora non habet: addit quoq; bonis pro diviniore, ut oppinatur, sua cura, qvandoq; ea, quæ eadem bona sic turbant, ut nescias utrum minus noceat, apertis malis fuisse implicitum, an hisce modis corrupisse bona. Neq; tn. despe-

ramus qvin etiam illis temporibus, Dei bonitas in nostris aliqvot religiosos vel servavit, vel tulit. Sicut hodie in medio Tartarismo inveniuntur multa millia Christianorum, teste quotidiana fama: & sicut sub initium hujus seculi 18. millia exemplarium bibliorum sacrorum transmissa Constantinopolin, ubi sedes est imperatoris Turcarum, non sufficiebant Christianis ac lingvam Germanicam loqventibus, sparsis per Turcicas provincias, tantus est in eis ubiq; Christiarum numerus, sic credimus & speramus prioribus temporibus infinita aut certe multa millia piorum vixisse per nostram Sveo-Gothiam, quocunq; titulo iidem terras nostras incoluerunt, h.e. sive advenæ fuerunt, sive inquilini, sive deniq; indigenæ.

## CAP. IX.

*Diluit duas objectiones, quæ moveri possunt adversus ea, quæ diximus de adventu Judæorum.*

I. Dicat aliquis, *non excurrisse unquam Judæos ad exteros, quod jubebantur domi subsistere, ac suis tribubus singuli adhærere, matrimoniis æternis, vide versionem Vulgatam, Num. 37: v. 7.* Secundum veritatem Hebraicam non prohibetur in genere fœminis, quin nubant quibuscunq; voluerint de genere Israëlitico, sed tantum prohibetur illis, quæ carentes fratribus, hæreditatē habebant in tribu, ne extra tribum suā nuberent. Similiter non prohibetur absolute viros ducere uxores de aliis tribubus, Quod dicitur in versione vulgata: *omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione sua,* non est in Hebræo; sed ibi dicitur: *non revertetur hæreditas filiorum Israël de tribu in tribum, sed unusquisq; in hæreditatem patrum suorum adhæreat.* Similiter ubi in versione vulgata dicitur: *ne sibi misceantur tribus, sed ita maneant,* non est in hebræo: Sed ibi dicitur sic;

*ne rever-*

*ne revertatur hæreditas unius tribus ad aliam tribum.* Et ratio hujus legis testatur si opus est, pro veritate hebraica; quæ quidem ratio finalis est, ut divisio futura in hæreditatibus, inter tribus remaneret perpetua, & ne quid quod de terra huic tribui fuit datum, unquam transiret in tribum aliam. Quia igitur secundum legem veterem fœminæ non succedebant in hæreditatem paternam, nisi illæ tantum quæ fratribus masculis carebant, uti legitur Num. 27. utiq; de his tantum fuit lex lata, ne commiscerentur alicui de alia tribu: ne per talem commixtionem hæreditas unius tribus transiret in aliam, quod erat contra ordinationem divinam. Cœteræ v. fæminæ, quæ fratres habebant, ac per consequens non succedebant in hæreditates paternas, non prohibebantur per istam legem, qvin contraherent cum aliis quarumcunq; tribuũ, quia per tales nuptias non seqvebatur confusio sortiũ, quam Deus ista lege voluit prohibere: conf. Paulum de S. Maria quondam Episc. Burgensem ac Cancellarium Regis Castellæ. Sicut itaq; fœminæ carentes hæreditate transiverunt in tribus alias, sic pariter transiverunt in tribus alias itidem viri, postquam portione sua sponte vel accepto pretio, se abdicarunt. Imo, ubi rejectus Deus cum officio suo civili, laxius cœpit cum eis agere, & illi contra ejus benignitatem tentare audacius, relictis hæreditatibus non tantum transiverunt ad alias tribus, sed & ad exteros sæpe diverterunt, maxime cum spes majoris lucri eos alio invitaret vel traheret: Quo titulo relicta Palæstina, suspicamur eorum non paucos nostras oras fuisse ingressos, nec spe sua unquam delusos.

II. *Putabit aliquis non excurrisse huc Judæos unquam propter sua sacra, quæ ter quolibet anno fuerunt Hierusolymis instituenda: profecto qui Judæus propter quæstum excurrit ad nostros majores, is singulis festis majoribus, non potuit Jerusolymis adparere.* ℟. (1) Agnoscimus

scimus tria fuisse festa majora apud Judæos, nimirum Pascha, Pentecosten ac Scenopegiam, â mensibus suis dicta festa Nisan, Sivan, & Thesri; agnoscimus præterea, ad hæcce festa omnes ex omnibus partibus Judææ Jerusolymam sacrorum causa confluxisse, nec ulli licuisse abesse præter ægrotos vide Hieron. super Zach. 1: 1. Neq; tamen dubitamus qvin multi abiverint ad exteros, suoq; itinere impediti abfuerint â nominatis tribus summis festis, aut deniq; qvin alii cœtibus Judaicis prorsus valedixerint. Hos peccasse videmus in legem Dei civilem: Sed sine dubio conniventior erga ipsos fuit Deus, quam ut reatu prævaricationis eos propter bonitatem suam stricte oneraret. Credi potest eum indulgentius cum ipsis egisse, vel quod ceu rejectus judex, amplius nollet apud ipsos & in ipsis, suam legem civilem exasperare, vel deniq; quod ipsis uteretur ceu ministris, in vulganda sua religione sacra per varias gentes. (2) Neq; est opus, ut hosce digressos â gente sua excusemus instar patriarcharum sub erroribus, ceu sub aliquibus nævis. Dicere possumus eos exeundo insigniter peccasse, suiq; erroris pœnam vel luisse vel precibus avertisse. At nihilominus sub tali suo errore potuerunt iidem apud nostros cōmodi sacrorum præcones esse, ac Deum Israëlis anunciare. Differunt namq; multum dona sanctificantia â donis ministrantibus: & possunt recte docere etiam qui ipsi sunt improbi ac mali, annunciatur enim Christus per diversos: nonnulli per invidiam eum prædicant, & alii per bonum affectum, Phil. 1: 15. *Inst. Qui vixerunt apud gentes, debebant nonnunquam coram gentilibus judicibus adparere: At hoc fuit contra eorum legem, uti videtur quoq; Apost. docere, 1. Corr. 6: 1.* R. (1) Injustos nominat Apostolus dicto loco; tales vero fuerunt tam Judæorum multi in suis Judiciis, quam gentiles extra gentem Israël. Sicut itaq; vi hujus dicti debu-

erunt

erunt abstinere â judicio gentilium, sic debuerunt itidem abstinere á Judicio malorum Judæorum: & contra, sicut salvo hoc dicto, potuerunt adparere coram judicibus Judæis improbis, sic potuerunt adparere jure eodem, coram judicibus gentilibus. (2) Sed nulla fuit lex divina, quæ vetuit Judæum stare coram judice gentili: fuit tantummodo veterum Hebr. quædam disciplina, quæ id docuit, quæq; vetuit judæum coram idiota adparere, uti docet Moses Gerundensis conf. Rabbi Salomon in præteritis Drusii l. 6. super 1. Cor. 6. (3) Quamquam itaq; ordinarie debebant judicia ponere coram judicibus Sanhedrin, viris eruditis ac piis: adparuerunt tamen nonnunquam coram idiotis ac improbis. Ac hosce digressos, propter absentiam â judicio Sanhedrin, facile excusavit eorum in longinqua loca susceptum iter, si ipsi excusationem aliquam voluerunt, & non potius præfractis animis eandem neglexerunt, quæstu copioso inescati.

# CAP. X.

*Notat Theologiam nostrorum Sveo-Gothorum, qui sub hac periodo, domi religiosi vixerunt.*

Supra pag. 21. & seq. dedimus dogmata nostrorum antediluvianorum, eaq; repetivimus pag. 66, adjicientes ex informatione Sacri codicis, qualia illa fuerunt ac esse debuerũt, apud primos nostros Sveo-Gothos: Nunc addimus, eadem illa fuisse etiam in hujus periodi nostris Sveo Gothis: adeo ut sicut hi illis primis vicini degebant, sic iisdem cum illis, utebantur fidei dogmatibus; imo, sicut lex ceremonialis apud primos postdiluvianos fuit explicatior, quam apud antediluvianos, sic quo hi Sveo-Gothi temporibus novissimis magis adpropinquarũt, eo circumstantiis ac forte quoq; præceptis auctiorem habuerunt iidem legem ceremonialem.

*Habuerunt igitur hi Sveo-Gothi eadem credenda, eademq; agenda*; quæ habuerunt eorum pii majores, & apud utrosq; semper primas tulit gratia Dei, meritumq; Christi; hi tamen posteriores juxta benignitatem dispensantis Domini, clarius viderunt fidei suæ objecta, quam primi, & insuper usum eorum pluribus quoq; exemplis noverunt ac didicerunt.

Verosimile deniq; videtur *non paucos eorũ postea fuisse circumcisos*, cum constet ex documentis ante allatis, freqventi commercio nostros ac Asiaticos fuisse junctos. Neq; tamen persvadere mihi possum eos unquam circumcisionem recepisse pro sacramento: sufficit cogitare, illos eandem usurpasse pro quadã ceremonia ac signo. Sicut cõversatio cum Christianis mercatoribus aut captivis, non tantum quorundam Turcarum animos mitigavit, virtutibusq; aliquot imbuit: sed & varia Christianismi rudera intulit postliminio in eorum religionem, vide illa apud Ricautum Anglum in descriptione regni Ottomannici lib. 2. â cap. 12. ad cap. 26. inclusive. Sic est probabile nostros Sveo-Gothos ab adventantibus Asiaticis aliqua nova accepisse, quæ antiquæ suæ fidei postea adjunxerunt. Atq; cum huic tali negocio inserviret circumcisio; qvin igitur eam aliqui eorum acceperint, nulli dubitamus. Esto idem judicium *de jejuniis*, *de certis festis*, *de precationibus &c.* quæ moderni Turcæ itidem sunt mutuati â Christianis. scilicet inferimus: si gens Turcarũ tam sæva ac barbara, potuit mitescere ac mansvescere ex tenui Christianorum tolerantia: quanto facilius fuit nostris olim Sveo-Gothis, hominibus probis ac piis, ex adpellentibus religiosis & sibi amicis excerpere ea, quæ videbant suæ fidei servire, eamq; in exterioribus pariter ac rationibus interioribus, non parum munire.

CAP.

# CAP. XI.

*Inquirit in hujus periodi pontifices per nostram Sveo-Gothiam.*

Est difficile novisse, quinam hoc millenario fuerunt per Sveo-Gothiam, pontifices ac sacrorum antistites: videmur tamen nobis posse intelligere, *cujus dignitatis fuerunt illi, qui tunc heic sacrorum curam egerunt, ac fortassis quoq; eorum quorundam familias invenire*, si minus nobis detegantur singulorum nomina, vel rationes personales aliæ. Esto ergo hoc postremum nobis incognitum: at duo priora venamur ratiocinatione seqventi:

Primum omnium hic videndum ac animadvertendum est, quid circa pontificum rationem voluerunt ac sanciverunt tam S. Dei homines, quam gentes quæq; saniores. Sacerdotibus summum honorem tribuit *Moses Deut. 17.* dum ex mandato divino in ambiguis ac alii judici inexplicabilibus momentis, constituit eos judices, sancitq; ut ex decreto judicis civilis moriatur homo ille, qui contra eos superbierit, nolens accipere eorum sententiam. Eadem docet *Deus ipse in colloquio cum Samuele, 1. Reg. 8.* Non te inquit, abjecerunt, sed me, ne regnem super eos; ostendens regnum sacerdotis tantum non esse regnum Dei. *David Psal. 132. ait*: ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum: sicut ungventum in capite quod descendit in barbam Aron, quod descendit in oram vestimenti ejus &c. Ubi (1) ostendit unde derivetur bona & jucunda illa fraternitas, nimirum ex obedientia Deo, ejusq; sacrorum ministris præstita. Designabant Aronis vestes orbem terrarum, interpretibus viris doctis: Sicut igitur ungventum descendit ab ipso in ejus vestes; sic descendunt bona quæq; in omnes terræ partes, dum Christi ministris datur sua obe-

dientia. (2) Deinde ficut ros Hermon, defcendit in montem Sion, ubi erat domus regia collocata, fic ipfi Reges refrigerantur ac fœcundantur â rore Hermonis, montis fe excelfioris, ubi ceu pii ac Chriftiani principes, ordinationibus divinis obtemperant. (3) Memorabile eft, quod David in monte Sionis elegit fibi fedem, templum vero facerdotumq; ædes conftituit ille in monte Moria, ficut civitatem fundavit in Acra. Voluit quippe ut hæc tria juga Sionis, Moriæ & Acræ, inter fe cohærerent, ficut fingula originem duxerunt ex monte Hermon: imo, ficut jugum Moriæ, fedes templi, medium erat inter Sion ac Acram, eadem juga conjungens; fic conjungit facerdotium Dei religiofos principes ac fubditos pios: eft enim id fumma bonorum omnium, quæ in hominibus unquam confiftunt, ubi fcribit Ignatius in epiftola ad Smyrnenfes. Et quid aliud denotabat olim pontificis Summi vel tunica talaris, poderis dicta, vel in capite cyderis feu tiara? Fuit poderis linea, coloris hyacinthini, ac habens tintinabula ac malo granata &c. uti habetur in Exodo. Cum fit linea, inquit Jofephus, terram fignificat: hyacynthus cœlum refert, & mala punica fulgetra denotarunt, ficut tonitrua per tintinabulorum ftrepitum indigitabantur. S. Hieronymus ait: 4. colores referuntur ad 4. elementa ex quibus univerfa fubfiftunt. Byffus terræ deputatur, quia ex terra gignitur: hyacynthus aëri, propter coloris fimilitudinem: Coccus igni & ætheri. Duos fmaragdos feu onychos ponunt alii typos folis ac lunæ: fed propius ad veritatem videntur accedere, qui per illos putant defignari duo hemifphæria: Smaragdi enim afpectus cœli eft fimilis: unde factum eft, ut gemma utraq; fex nominibus fculperetur, ficut divifo fignifero circulo, utrumq; hæmifphærium fex figna complectitur. Ac per hæc omnia cognofcitur interprete Philone, non

tantum â Summo pontifice portari duodecim Israëlis tribus, sed & â sacerdotibus Dei eorumq; divinis ac æternis legibus sustentari orbes cœlestes. Cyderis vero vel tiara instar dimidiatæ sphæræ, fuit rotunda, mundum referens, uti scribit Hieronymus. Non hic prorsus improbari meretur Philonis glossa, qui ex triplici fascia, triplici corona caliculis aureis insignita, nec non ex lamina aurea, in qua fuit scriptum ineffabile Dei nomen, concludit summum sacerdotem in suo ministerio constitutum, non privatis modo hominibus fuisse eminentiorem, sed & regibus ac principibus cunctis. Id tn. nos magis acceptam?, quod habet Hieronymus, dum ait: pontifex Dei creaturarum omnium typum portans in suis vestimentis, indicat cuncta indigere gratia ac misericordia Dei, ut cum ille sacrificaret, expiaretur universorum conditio, h. e. voce & habitu precaretur non tantum pro liberis, parentibus ac propinquis, sed & pro omni creatura: &c. confer Clementem Alexand. stromatum lib. 5. ubi ait: divina providentia desuper ex iis, quæ sunt principalia, tanquam ex capite pervadit ad omnes, sicut quoq; ungventum descendit in barbam & vestes Aronis &c. Ex quibus omnibus, ecu ex jure divino, jam expresse indicato, jam figuris notato, adparet in magna authoritate olim fuisse sacrorum divinorum antistites: nimirum debebant prisci illi timere Deum ex toto corde, & ejus ministros vere honorare, sicut jubet Syrach c. 7: vers. 31.

*Quæ de honorandis sacerdotibus docet Deus, ea docent quoq; gentes civiliores ac sapientiores quæq;.* Plato in Memnone, Euthydemo, ac Alcibiade primo, totus est, ut ostendat ab amicitia Dei, nobis conciliata per veram religionem, sanctæq; potestatis observationem, omnia nostra bona dependere. Dialogo 10. de rep. scribit postulo, ut exponatis, quam merce-

dem justitia referat â diis & hominibus, ut & palmam ab opinione & manifesta existimatione reportet, qua cultores suos ipsa quoq; decoret &c. Deorum amico omnino, quoad fieri potest, â Diis optima tribuuntur, nisi quid mali ex priori delicto, & necessitate quadam, imminet; &c. & â Diis nunquam negligitur, quicunq; justus evadere, virtutisq; officiis â Deo similis fieri conabitur &c. Ac cum religio cunctis virtutibus imperet, easq; moderetur inserviendo amori & cognitioni Dei, Plato virtutes passim extollens, non potest non Dei ministros extollere; imo, in dialogo de regno per Socratem, revera eos pluribus extollit: Apud Ægyptios inquit, non licet regem absq; sacerdotio imperare; quin imo, si ex alio genere quispiam vi regnum usurpet, cogitur post regni assumptionem sacris initiari, ut Rex deniq; sit ac sacerdos. Præterea in pluribus Græcorum civitatibus reperies, præcipua sacra â summis magistratibus institui: nam persvasio est recens creato regi patriam solemniaq; sacra maxima, aliorum omnium esse attributa. Similiter in dialogo 12 de legibus decernit in optima rep. omnium supremam potestatem præcipuosq; honores esse penes ipsum summum sacerdotem &c. atq; *hactenus Plato* ex naturali sua ac adquisita sapientia locutus est fere consona veritati & eloqviis divinis quoad hanc thesin.

*Aristoteles vero passim urget in optima republ.* Sacerdotio primas esse dandas: sic docet Polit. lib. 3. ubi describens quartam regni speciem, ait per eam constitutos reges, & belli imperium habuisse, & rei divinæ cultum exercuisse, nisi talia essent sacrificia, quæ sacerdotium solum requirerent. Addit quidem veteres Reges antiquis temporibus tantum civitates, gentes ac nationes gubernasse, Ast subjicit postea factum partim regibus admittentibus, partim multitudine de-

trectante

trectante, ut in aliquibus civitatibus pariter ceremoniarum erga Deos essent iidem ministri: quod illustrat exemplo Spartanorum, qui regum potestatem conjungebant cum sacerdatio summo. Similia docet Polit. lib. 7. c. 8. & 9. ubi inter sex civitatis partes, ceu primam ac primariam ponit partem sacerdotum. Rursus c. 10. ibid. dat ille sacerdotibus quartam partem fructuum omnium, ad cultum divinum tuendum, præterquam quod urgeat criminum pœnas divinis usibus consecrari, q. hac via expiandis malis, illæ essent convenientissimæ.

*Cum platone ac Aristotele consentiunt principes Medici.* Hyppocrates in principio sui operis adhibet formulam quandam juramenti, qua non solum protestatur se medicinam professurum ex virtutis præscripto, sed & testatur Deos deasq; se jus jurandum integre servaturum: quod talia professo contingat vita & arte feliciter frui. In libro de arte agnoscit morbos evenire ob peccata admissa in verum Deum, unde svadet eadem expiare, precibus ad eum fusis, Similia docet in libro de morbo sacro, ubi post multa huic argumento conducentia, ait inter alia, Deum sceleratissima & maxima nostra peccata purgare, ac liberationem nostram ipsum existere. Hyppocratem juvat Galenus in lib. 2. de diebus decretoriis, ubi docet rationibus ac exemplis variis, temporalium felicitatem malis converti in maximam infelicitatem, & contra, bonis infelicitatem verti in solidam felicitatem: item virtuosis ac cumprimis religiosis primas semper esse dandas. Et hactenus vidimus quid de dignitate sacerdotum senserint Græci Philosophi ac Medici.

*Ægyptiorum sapientes adstipulantur illis*: Vide Mercurium Trismegistum dialogo 9. in libro qui dicitur Clavis, nec non in Asclepio, ubi docet præstantiores agere curam mino-

rum,

rum, h. e. Deum agere curam hominum, & homines brutorum animalium: item universi regimen pendere ab unius natura, ac penetrare ad unam mentem, jungentem Deos hominesq;, inter quos est communicatio. Alias quod in Ægypto non licuit cuiquam regiam potestatem nancisci, qui non simul foret summus sacerdos, jam ante retulimus ex Platone; & testantur Diodorus, Strabo ac Clemens Alexandrinus. Hic ait: non committebant mysteria, neq; rerum divinarum cognitionem deferebant ad profanos, sed ad eos solos, qui erant ad regnum perventuri, atq; ex sacerdotibus iis, qui judicati fuerant probatissimi educatione, doctrina & genere. Refert quoq; Ægyptiorum solemnes pompas ac sacros adparatus, dum procedebant in publicum. Ait prodire prophetam præeuntibus Cantore ac scriba, tum proferri hydriam, & ita recitari libros 10 sacerdotales. Diodorus addit Reges traduxisse vitam ex sacerdotum præscripto, ac ne quid mali unquam committerent, ante faciem suam semper habuisse sacerdotum filios: Regionis reditum item divisum fuisse in tres partes, quarum prima dabatur sacerdotibus secunda regibus, & tertia militibus.

*Chaldæi ac Babylonii eadem docuerunt, de dignitate sacerdotum, quæ docuerunt Ægyptii*, unde Diodorus: quem locum in rep. habent sacerdotes Ægyptii, eum habent domi Chaldæi, deputati ad cultum Deorum. conf. Arnobium, qui Magorum primarium nominat Hostanem, quem dicit laude ac devotione fuisse insignem. Summa, apud omnes barbaros hoc erat in more positum, ut qui futurus erat rex, summus quoq; esset sacerdos: nam sic in universum de quibuslibet populis loquitur Clemens stromatum lib. 7. & ait etiamnum id servari præsertim apud barbaros doctos, ut genus sacerdotale provehant ad regnum. Alias quod successor & hæres regni

regni debuit educari ac inſtitui ab uno Magorum, in cultu Deorum ac inſtitutis regiis, id docet Plato in Alcibiade primo: quod quoq; exemplo Cyri illuſtrat Xenophon l. 8. unde inter inſignia regia apud hoſce populos fuerunt ut conſtat, non tantum ſceptrum, ſed & ſacra tyara, conf. Strabon lib. 15. & Virgil lib. 7.

*Quomodo autem Romani voluerunt ſacerdotum poteſtatem ſanctam ac venerabilem*, id docet Cicero Orat. de Aruſp. Quomodo a. Romulus conditor ejus reip. â Deorum cultu auſpicatus eſt omnia, id docet ac exemplis probat Dionyſius Halycarnaſſæus, qui poſt multa de Romulo ac Numa, porro ait fuiſſe olim fetiales quos prolixe deſcribit, qua fidem ac officium. tum addit pontificum collegium neq; populo, neq; ſenatui fuiſſe ſubjectum, ipſum vero habuiſſe cujuslibet puniendi jus, ubi deliquiſſet in cauſa religionis: hoc inſcio aut inconſulto, neq; comitia fuiſſe coacta, neq; initos magiſtratus, nedum bella ſuſcepta &c. conf. Liv. Quæ omnia variis exemplis poſſent illuſtrari, ſi opus eſſet, & brevitas noſtra eadem ferret.

*Cum Romanis conſentiunt gentes aliæ*, religionem ejusq; præfectos ubiq; extollentes. De Æthiopibus narrat Strabo & Diodorus. De Gallis Cæſar, & de aliis alii. Pomponius juris conſultus ponit jurisgentium præceptum primum, religionem erga Deum. Ulpianus ait jus publicum conſiſtere in ſacris, ſacerdotibus ac magiſtratibus. Ex quibus omnibus videre poſſumus ſacerdotes ſemper fuiſſe in magna dignitate conſtitutos, ac eminuiſſe præ reliquis quandoq; primos, quandoq; â regibus aut principibus, ſecundos; conf. de hoc argumento Thomam Bozium Eugubinum de ruinis gentium lib. 2. cap. 1. ſeqq. ac prioribus adde Turcas, qui itidem honorant ſacerdotes ac legisperitos ſuos: ſic enim ad illos ſcribit imperator: Ihr/ die ihr der

Ruhm der Richter und Klugen leute/ tieffe Schätze der Wolredenheit undt Vortreflichkeit seyt/ euer Weißheit undt fähigkeit Werde vermert etc. vide Ricautum Anglum in descriptione Regni Ottomannici pag. m. 340. Ex hisce superioribus anxie conquisitis, ac prolixe satis recensitis, *elicimus sequentia consectaria.*

*I. Sicut populus Israël jure divino, & Ægyptii, Chaldæi, Persæ, Æthiopes Medi, Græci, Romani, Turcæ & quis non alius populus juxta Clementem Alexandrinum, ex instituto naturali ac piis majorum legibus, honorarunt dignitate ac gradu suorum sacrorum antistites: sic manifestum est, priscos nostros Sveo Gothos sub hoc millenario, suos sacerdotes primarios præsertim, itidem honoribus ac muneribus coluisse, vide Strab. jorn.*

*II. Sicut inter gentes omnes, illi admittebantur ad pontificatum, qui natalium splendore non minus ac virtutibus aliis præ cæteris, fulgebant: sic satis constat in Sveo-Gothis nostris hoctempore factos Sacerdotes ac pontifices non nisi illustrissimos, & fama, ac integritate vitæ clarissimos.* Legere est reges nonnunquam fuisse operatos sacra: Ego tamen maluerim asserere in nostris hæc duo officia sæpius olim fuisse ita subjectis distincta, sicut sunt in se diversa, ac jam in N. T. prorsus separata. Filios regum putaverim huic dignitati sæpius imminuisse, & ab illis non modo sceptra occupata, sed & tyaras gestatas. Fuit antiquis temporibus honos imperii tantum non vulgaris, quod plures ejus onus reputarent, quam respicerent ad Majestatem. vulgaris tamen sortis homines cum capitibus suarum tribuum ac familiarum, aspernabantur sæpius honores: Fuit igitur illustrium personarum alibi spretos honores acceptare, maxime cum talibus oneribus illos subjicerent sui natales. Quin nec facile ipsi generosi passi sunt eosdem honores sibi â natura q. destinatos, alio averti: Assi-

mis

milamur libenter Deo, & insuper totis viribus per naturam conamur exprimere præclara fata majorum nostrorum. Hi igitur regii juvenes ac inter capita familiarum illustres alii, sicut in honoribꝰ sacris videbant suos majores; sic eorum vestigia sequi ac sub tyara vivere, non recusabant: imo, erat eorum animus ad hæc audenda ac amplectenda eo concitatior, quo ipsi fuerunt generosiores. Ex pileatis i. e. generosis, *eis & reges & sacerdotes ordinabantur*, scribit jorn. c. 5. p.m. 19. ne nunc dicam, quomodo iidem per curam sacrorum ceu per quotidianam familiaritatem, voluerunt Deo jungi.

*III. Sicut itaq; præter familias regias* quas legere possumus q. per compendium in Amphitheatro Messenii, quasq; nuper per cujusdam arboris Shema oculis nostris videndas subjecit ingeniosus quidam noster studiosus J.Gr. *illustres cumprimis tūc fuerunt Amali, Balti, &c. sic credi potest sacerdotes factos viros spectatæ virtutis ac pietatis, quos hæ nominatæ familiæ aut quæ illustriores aliæ, una cum familiis regiis, unquam invenire ac dare possent.* Imo, quod Gethæ aut nostri Gothi conjunxerunt quandoq; potestatem regiam & pontificiam, ac consequenter quod non nisi summæ dignitatis viris pontificiam contulerunt, videre possumus ex jornande collato cum Strabone. Jornandes c. 5. dicit in secundo i.e. regionibꝰ Daciæ &c. eos habuisse Samolxem virum illum eruditissimum, regem: At hunc eundem constituit Strabo lib. 7. *sacerdotem ejus Dei, qui præcipue colebatur*, h. e. ut interpretor, Dei summi ac æterni, quem simplici ac prisco cultu devoti adhuc venerabantur &c. Similiter erat Comosius illis rex & pontifex, jorn. c. 11. Fuit igitur olim apud nostros, regia potestas cum sacerdotali aliqn. conjuncta, & qui sangvine, virtute ac aliis dotibus maxime excellebat, is more apud alias gentes recepto, primariis quoq; functionibus imminebat. Et tan-

tum est quod de hujus periodi nostris sacerdotibus non tantum per conjecturam ac per ratiocinationem, dicere potui, sed & quod ex certis exemplis scribere debui,

# CAP. XII.

*Producit potiora argumenta, quibus probamus tota hac periodo, in patria fuisse religionem veram.*

Hactenus locis plerisq; tantum ostendimus religionis veræ possibilitatem per nostram patriam sub hac periodo, æq; ac sub aliquot superioribus; nunc quasi per ἀνακεφαλαίωσιν, depromimus ea, quæ actualem ejus existentiam docebunt: fortassis tamen non omnia exhibemus; attamen omnia addimus in hoc argumento, quæ hactenus nos vel vidimus, vel excogitare potuimus, per quæq; ipsi sic sumus victi, ut iis non adsentiri, judicaremus nefas minusq; religiosum.

*Nostrorum argumentorum primum est, quod nulli ex antiquis auctoribus excepto Beroso, qui fictitius est, scribant religionem evanuisse per patriam nostrã hac aut ulla periodo superiori.* Dum desinit vera religio, aut alias in religione contingit aliqua insignis mutatio, certe non solent auctores esse muti. Fateor istos nostros majores scriptoribus caruisse; imo, nec ex ambitione eos voluisse, Messen. respons: ad Petr. parvum c. 3. pleraq; tamen sua memorabilia aut cautibus iidem inscripserunt cum molestia; aut cantionibus doctis, in symposiis memorarunt per hilaritatem, conf. Crantz lib. 1: c. 11. & Saxonem in præfat. pag. 2. Nihil ergo cum addidissent in istis antiquissimis suis monumentis, de religionis mutatione aut corruptione, inde nobis spes, *eam illis temporibus semper integram viguisse*: tum quæcunq; de ejus evanescentia postea adjecerunt alij, non tam arcessi ex solidis principiis, quam ex eorum præjudiciis, conf. supra pag. nostram 101. & seq. *Dicis difficile fuisse omnia vel sa-*

*xis*

*xis inscribere, vel cantilenis exprimere* Respondeo difficultatem circa religionis curam, non fuisse molestiorem ea, quam vincebant in exarandis aut cantandis civilibus: & æq; benè sacra sua antiquitus cecinissent ac exculpsissent, sicut civilia gesta tunc exculpserunt ac cecinerunt. Quia ergo de illis nihil tetigerunt, inde conjicimus nec in illis tum quicquam mutatum aut vitiatum. Nimirum sicut nostrorum multi in suis epitaphiis nunc sunt effusi in venandis titulis officiorum ac prædiorum, neglecta ratione religionis in hac evangelii claritate, omnia quod evangelio constet sua perennis lux ac veritas: sic conjicimus pariter illos sub religionis veræ sancto tenore, tantum civilium fuisse recordatos.

*Alterum monumentum sententiæ nostræ de actuali veræ religionis existentia in hæc usq; tempora, dat clarissimis verbis Johannes Magni lib. 3: c. 16.* dum ait: *eo modo sapientissimi Pythagoræ discipulus Salmoxes* (rectius Samolxes uti ex Græcis auctoribus constat) *divinos honores assecutus, occasionem intolerabilis erroris circa verum veri Dei cultum ad suos posteros transmisit.* Ubi historico nostro alia mens, quam quæ fuit supra lib. 1. c. 8. dum scripsit, *annis fere quadringentis post diluvium, ad impium idolorum cultum Gothos excurrisse.* Nimirum titubavit ille lib. 1. ut conjicio, propter carentiam circumcisionis apud nostros: at libro tertio & loco paulo ante allegato, sequitur probatæ fidei auctores, uti nunc ostendam. Sicut itaq; is nunc aliter scribit rectius informatus, sic pariter scripsissent alii aliter, si eosdem auctores toti consuluissent, aut resipiscentem Johannem Gothum h. l. integrividissent. Samolxis ceu celebris viri ac legislatoris apud Schytas, meminit Diogenes Laërtius. Jornandes cap. 5.[10] iterum ac sæpius allegato, nominat eum regem, item Philosophicæ eruditionis peritissimum, juxta fidem plerorumq; historicorum annalium. An-

te Samolxen habuerunt Schytæ Zeutam, virum eruditum, sicut post Samolxen, & circa tempora vel julii vel Augusti, iidem usi sunt Dicenæo viro docto ac prudenti: quos tres in loco allegato nominat jornandes, sed ordine confuso, fortassis deceptus quodam Strabonis loco, ubi Samolxes certa ratione postponitur Dicenæo, quo tamen alias uti constat, fuit aliqvot seculis vetustior, & sic tempore prior, *Scheffer.* Hic Samolxes fuit Pythagoræ discipulus testibus historicis. Herodotus antiquiorem facit eum, sed directe contra testimonium Strabonis. Vixit igitur quingentis octoginta circiter annis ante natum Christum; ac uti vir fuit in Pythagoricis exercitatissimus, sic religionis veræ simplicitatem ante traditam, non fastidit modo, sed & immutavit ac fœdavit. *Quid igitur fecit? ais.* Sicut Dicenæus instituit nova numina quæ jussit coli in certis sacellis, novosq; sacerdotes creavit: *Elegit ex eis tunc nobilissimis prudentiores viros, quos Theologiam instruens numina quædam & sacella venerari svasit, fecitq; sacerdotes*, verba sunt jornandis cap. II. Sic deposuit Samolxes consvetudinem colendi Dei per sacrificia, quod in Philosophia Pythagorica institutus non putavit Deum unquam sangvine recte coli aut placari. De hoc ejus facinore ac sacrilegio, sic loquitur Strabo Geograph. lib. 7. *per manus tradita ab animantibus abstinendi consvetudo Pythagorica NB. à Samolxi instituta permansit, dum Cæsar adornabat expeditionem in Byrebistam, qui Gethis præfuit.* Samolxes ergo fuit qui prim⁹ veteribus sacris abrogatis juxta Strabonem, (Dicenæus novos sacerdotes pariter ac numina instituit juxta Jornandem) seculo sexto ante natum Christum, religionem sacram corrupit ac vitiavit: felix dignitate civili, sed multo felicior, si nunquam istam Pythag. philosophiam didicisset &c. Vere proinde nos tantis auctoribus subnixi, in superioribus passim ostendimus monui-

musq;

musq; religionis veræ tenorem lineâ continua apud nostros etiamnum esse ducendum, vide supr. pag. 101. 112. &c. Et tu recte vides quæ hactenus nos ceu possibilia in superioribus passim tradidimus, fide tantorum tamq; veterum auctorum, actu ipso extitisse.

*Objicit alicubi vir magnus sibi videri non primum à Samolxe deceptos nostros majores, sed â zeuta, quem Getha habuerunt Samolxi priorem, & à quo instituti sunt in omni genere sapientiæ, teste jornande. Addit ergo se ëxistimare eum fuisse illum ipsum, quem sub nominê Theut, Theot, Thor &c. Ægyptii venerebantur pro Mercurio, quemq; sub nomine Beli h. e. Teutæ vel zeutæ &c. Assyrii & ipsi invocabant, & vicinis suis imperabant. Nimirum putat zeutam nostrum ab Ægypto divinitatis suæ opinionem transtulisse in Assyriam, ac mox inde quòq; eam per Thraciam, promovisse in Scythiam, matrem sangvinis nostri &c. vid pag. 132. seq.* Respondeo vero agnoscere me permutabiles esse literas Z. & Θ. in variis lingvis; tum sæpe syllabas, una litera addita, dempta aut mutata, multum variari: item per vicinos religionem aut superstitionem sæpe propagari. &c. Quibus rationibus possibilia video, quæ conjicit idem Vir Clariss. At nihilo minus adplicationis hujus seriem ac vim rogo certo auctore aut sufficienti indicio alio, probari. Jornandes dicto c. 5. ait: *Regem habuisse noscuntur &c Zamolxen, quem miræ philosophicæ erudititionis fuisse testantur pleriq; annalium scriptores. Nam & zeutam prius habuerunt eruditum,* &c. Hic zeutæ meminit jordanus, quem ab eruditione commendat, at non addit eum majoribus nostris sua eruditione imposuisse, sicut nec eruditionem ejus tantam deprædicat, quanta in Samolxi mira, debebat esse, antequam illos posset fascinare. Quanquam itaq; zeutæ nomen (Gothi fratres Joh. & Olaus perperam scribunt zentas) formare possumus

ſumus ex Theut, Theot, Thor, Turras &c. facta licentia per Grammaticos, miſcendi audendiq; in linguis omnia; dubitari tamen poteſt, an noſter zeutes de quo jornandes, unquam fuit Ægytiorum Theot &c, vel Aſſyriorum Belus &c item an hic noſter fuit illius antiquitatis, ut unquam illos videret, qvorum nunc nominibus veſtitur; tum ſi malus fuit, ac tantæ antiquitatis, an tot terras nominis fama obierit, cultuq; ſui replerit &c, Profecto non ſic loquitur quisquam idoneus auctor vetus, & ipſe V. Cl. qui nunc ſic conjicit, iterum atq; ſæpius in eadem ſua pagina, teſtatur id eſſe tantum ſuam conjecturam. Concludo igitur etiam bona ejus venia, quem ante habui præceptorem optimum, at nunc utor fautore ac amico honoratiſſimo, gratis dici, quæ nullo auctore aut certo monumento alio roborantur, pariterq; temere accipi, quæ antiquiſſima noſtra fundamenta, de gentis origine, evertunt, & quæ bonis auctoribus utpote jornandi, Straboni &c contraveniunt, ne nunc addam quod eadem inſuper divinæ bonitatis ſpem, nec non caritatem Chriſtianam, quæ ſub tempore gratiæ bona quæq; præſertim apud populares, ſperat, non parum ni fallor, diminuunt: Et ſic fuit ſecundum noſtrum argumentum:

*Sequitur fundamentum tertium noſtræ theſeos de actuali exiſtentia veræ religionis in Sveo-Gothia noſtra per omnia ſuperiora ſecula, ex quo poſt diluvium illa cæpit rurſus inhabitari.* Dat id Humeli conſtitutio ad ſuum filium Danum, præcipiens non alibi, quam Ubſaliæ ſacra eſſe facienda. Fatemur eludi poſſe hoc argumentum interpretationibus aliqvot civilibus, ut quoq; ſupra pag. 115. ſcripſimus. Aſt quin externæ & alienæ ſint illæ omnes, qvotqvot unqvam excogitantur, non ſinit nos dubitare ſuperioris fundamenti vis ac pondus. Videmus teſtibus fide dignis auctoribus, in hæc uſq; tempora,

domi

domi viguisse religionem veram, unde intelligimus ac quasi ex justo principio deducimus, dignitatem ac sanctitatem religionis veræ Humelum sua constitutione vel unice, vel certe præcipuè, indigitasse conservasseq;.

*Quartum argumentum in hac eadem thesi largitur templi forma ac figura.* Fuit priscis Septentrionalibus mos ita formare sacras ædes, ut in una parte esset fanum seu delubrum ipsum, in alia ante ipsam, quadrata quædam area: quod Clariss. Scheffer U. a. pag. 28. ōstendit ex Arngrimo jonæ Islando lib. 1: cap. 4. Crymog. nec non in communi ex Varrone apud Servium ad Poëtæ quartum. Neq; aliter fuit templum Israelitarum quondam paratum. Erat ibi sacrarium, quod tabernaculum adpellabant, rerum sacrarum commune quasi receptaculum: Id duplex fuit, interius ac Anterius &c. vide Exodum cap. 5. seqq. ac Epistolam S. Pauli ad Hæbræos cap. 9. Ante illud vero spacio ingenti ac figura quadrata, patebat vestibulum seu atrium, Exod. 27: 9. & 38: 9. neq; dubium, quin ista ratio ædificandorum templorum sit inde translata ad alios, ait ibid. in U. A. *Scheffer.* Ut itaq; (1) gentes aliæ istam rationem in moliendis suis templis, observarunt fideliter; ut interpretor ne violarent morem, ad se per bonos delatum: sic putandum est priscos nostros Sveo-Gothos eam retinendo, pariter communem consvetudinem servasse. (2) Sicut templum eorum fuit ante conditum, quam prava religione ipsi essent inebriati, sic credendum est eos ultra sortem paganorum aliquid aliud intendisse. Ego putabo eos non tam antiqum morem in structura ipsa sollicite observasse, quam ad divinam fabricam collimando, religionis suæ veræ cursum innuisse, constrinxisse, ac promovisse. *Hic dicis omnia misceri, nec quicquam distincte intelligi. Confundi tabernaculum Domini cum*

*templo Salomonæo. Inde non tantum ex sola area tenui indicio, templorum similitudinem duci, sed & frustra ex eadem, quæ præcipue fuit tabernaculi, templi structuram post fata Salomonis retrahi sup. pag. 119. item nunc fundamento tertio ac quarto justo confidentius eam referri ad tempora antiquorum Sveo Gothorum sacra, cum possit ad gentilismum reduci, imo cum illuc eandem reducant exempla modo allata.* Varia hic prætenduntur, & plura sunt, quæ sic nobis vitio vertuntur. Distincte igitur ad singula volumus respondere. *Primum* ut video argui possumus, quod confundamus tabernaculum cum templo Salomonis. Sciendum v. est quod uti in multis discreparunt hæ duæ structuræ; sic convenerunt in aliis pluribus. Differentiam earum non est quod nunc notemus; suffecerit illustriorem convenientiam paucis indigitasse, quod illa sit hujus nostri instituti, ac indicata ab intentato crimine nos liberet abunde. (1) Fuit utraq; structura speciali mandato divino inchoata. De tabernaculo vide mandatum divinum, Exod. 25: 9. & 27: 8. De templo autem vide 2. Sam. 7. (2) Fuit structura utraq; splendida ac magnifica, uti docent loca eadem. (3) Sicut in tabernaculo Deus voluit habitare, Exod. 25: 8. sic voluit quoq; habitare in templo, 1. Reg. 6: 13. (4) Sicut tabernaculum habuit suum atrium, Exod. 27: 9. & 38: 9. sic habuit templum non tantum porticum, 1. Reg. 6: 3. sed & suum atrium; imo, duo atria, 2. Chron. 4: 9. & quæ convenientiæ dabantur aliæ. Fuit igitur alterum alteri simile; imo, prius fuit posterioris typus, & posterius prioris antitypus. jam si quid occurrat, quod utriq; est simile, profecto rectius idem tertium refertur ad templum, quam ad tabernaculum, quod in antitypo quam in typo, rei natura sit expressior.

Simile vero illud hoc loco mox constituitur templi Area

&quæ-

& quæritur, *tabernaculum nè an templum, ejus typus?* R. Area templi Upsaliensis potest reduci tam ad tabernaculum, quam ad templum, nec errat qui eandem refert ad tabernaculum uti adparet ex Exod. 27. & 38. Nobis tamen visum fuit eandem referre ad ipsum templum, non tantum quod ei æq; ac tabernaculo, fuit sua Area, imo, duplex, 2. Chron. 4 sed cumprimis quod non audeamus sperare Japhetæis ante fuisse templum, quam Semitis, & nè cuiquam sit ansa cavillandi templum Salomonæum magis ex figura templi nostri, quam ex suo typo, (tabernaculo) fuisse extructum. Et hæ quoq; sunt rationes, cur *tertio* post fata Salomonis, retrahimus templi nostri structuram: quibus prioribus addes deniq; hanc sequentem: quod sicut constat ex populo Israelitico struendorum templorum talem rationem manasse ad exteros, Scheff. p. 28. sic putare convenit non ante didicisse nostros eandem, quam sæpius cœperunt cum Asiaticis jungi commerciis rerum aut novorum civium: Ac quia talia contigerunt frequentius post Salomonem, inde quoq; est, quod fructum conjunctionis talis, ceu structuram nostri templi, spectatam in area seu atrio, in splendore, & magnificis ornamentis aliis, nos non nisi post dies Salomonis tuti explicamus. Cur autem *Quarto* hic apud posteros Salomonis subsistimus, & non potius descendimus ad tempora pagana, quæ itidem ex allatis exemplis videntur nominatæ similitudinis, in suis templis fuisse capacia, res est quæ ex superioribus potest intelligi. Scilicet retrahimus nos multum tempora pagana contra illos, qui eadem nescio quibus principiis moti, multùm extendunt. Sicut itaq; illi suis principiis ducti templi nostri structuram referunt ad crassum paganismum; sic nos commoti nostris fundamentis, eandem referimus ad secula religionis veræ. Esto ergo inter nos

ac illos circa statum temporis, aliqua discrepantia; at convenimus in hisce duobus: nimirum 1. *ante ultima secula veteris testamenti ædificatum fuisse nostrum templum. & 2. quando id ædificatum est, tum auctores ejus ad formam templi Asiatici respexisse, tam circa sui templi ornatum, quam formam ac figuram externam, tantum non totam.* & hoc est, quod intentato crimini quarto potest esse satis.

*Quintum argumentũ pro actuali veræ religionis existentia apud nostros Sveo Gothos, qui hac periodo vixerunt pollicetur pietas virtusq; gentis.* Possemus heic multa in laudem gentis nostræ proferre, pluribusq; eam commendare: sed ne popularibus videamur faventiores, quod jornandi quidam objiciunt; ergo loquantur illam alii nobis silentibus, aut utamur nos voce calamoq; aliorum. Strabo lib. 7. concedit quosdam Scytharum prorsus fuisse barbaros ac inhumanos, dictos eosdem Sauromatas &c. at extremos h. e. Sveo Gothos ait vixisse moribus justis. Exscribam locum ex vers. Henrici Carelii, in Resp. Messenii ad Petr. parv. Dhe Schyter lefwa effter rättfärdige seder / och några aff dhem äro/ som märemiölck til spijs bruka (fortassis sic olim & in certo solo) doch öfwergå alla andra menniskior medh rätfärdigt lefwerne/ om hwilka Poeterna nogsampt skrifwa och besynnerligen Homerus om Lactiphagis Abiis, det är/ om dhe menniskior/ som lefwa wid hård kost/ och äro lykwäl dhe rätferdigaste på Jorden etc. Similia habet Bodinus in methodo histor. Dum scribit, interprete eodem: Hwad är vnder/at alle scribenter dhe Scyters oskyldigheet så högeligen berömma/ och söderlänningarnas lefwerne och seder så grufweligen lasta? Ac mox: Claudius Ptolomæus berättar tabula septima, att ändoch ingen lagh hafwer warit dhet Scythiska Folcket före skrifwen/ (ita absq; lege scripta vivebant

bant primi Sveo Gothi ante Ericum primum, vide supr. p.85:) Doch lijkwäl hafwa dhe godwilligen älskat och dyrckat rättfärdigheeten: omnia ex Messen. Resp. ad Petr. parv. cap. 4. His adde *quod non tantum bellicæ artis gloria, sed sapientiæ etiam studiis, aliis nationibus Gothi antecelluerint, & quod corpore ac animo Romanis fuerint grandiores, barbaris pene omnibus sapientiores, Græcisq; pene consimiles: &c.* item *quod post præclara studia, majorumq; instituta, ac eximiam omnium disciplinarum ac scientiarum cognitionem, habuerint opinionem, imo certam persvasionem, de immortalitate animorum, & ab omni ævo ingenitam ac quodammodo peculiarem ac propriam* &c. uti partim Dionis, partim Jornandis, partim suis verbis, scribit in dedicatione sua sub nova editione Jornandis, Clariss. Bon. Wulcanius. Ex his ne nunc plura testimonia adcumulem, adparet eos non tantum ingeniosos fuisse, secus quam alii, (ex malitia aut vanitate nunc non interpretor) nonnunquam scribūt: sed & quod sub perpetuo q. armorum strepitu, virtutibꝰ intellectualibus pariter ac moralibus, multum excelluerint, conf. Jornandem c. 11. qui p. m 36. & seq. singula per inductionem variarum disciplinarum demonstrat. imo, *fuerunt Thracum fortissimi ac justissimi* teste Herodot libr. 4. Si ergo virtuosi fuerunt, felices fuerunt: imo, quia felices fuerunt, virtuosi fuisse recte reputantur, quod sine virtutibus earumq; moderatrice, vera religione, nulla detur felicitas vera, solida ac perfecta, sicut id ipsum pluribus ante ostenderunt *Salvianus libris de providentia Dei & Gildas de excidio Britanniæ*, referentes causam ruinarum, quibus imperium occidentale concidit, in hæreses & peccata populorum ac principum, adversantia sapientiæ ac amicitiæ Dei, *conf. Thomam Bozium Eugubinum libris 8 de ruinis gentium & regnorum, adversus impios politicos.* Quorum pleraq;, utpote omnia, quæ ex scripturis sacris,

ſobria ratione, ac manifeſtis omnium ſeculorum exemplis tam divinis, quam civilibus, certo ac vere ſunt petita, nos facimus noſtra, ac nunc vi eorundem concludimus, ideo amicitiam Dei per veræ religionis uſum, ſpectari anterioribus ſeculis heic fuiſſe, quod incolæ terræ noſtræ Sveo-Gothicæ iisdem illis ſeculis, legantur ac memorentur per ſapientiam ae prudentiam, fuiſſe felices: Eſt enim multitudo ſapientum regni ſanitas. & qui muneribus fungitur rationi conſentaneis, hanc excolit, eſtq; optime affectus, eum probabile eſt eſſe Deo cariſſimum &c, ſcribit Ariſtot. Ethic. lib. 10; c. 9. *A ſilentio itaq; auctorum veterum de irrepente aliqua idololatria, â clariſſimorum Veterum Auctorum Strabonis, jornandis &c manifeſtis teſtimoniis de veræ religionis continuatione ad hæc usq; tempora: item a conſtitutione Humeli, nec non ex ſimilitudine inter templum noſtrum ac Salomonæum, ac quod variis virtutibus priſci illi noſtri majores excelluerint, ceu ex ſolidis, certis ac firmis principiis, concludimus hac periodo tota per noſtram patriam fuiſſe religionem veram* conf. ſup. pag. 137. argumentum ſacrum.

# HYPOMNEMATA.

## Ad libr. Quartum.

I.

H*Ic rogantur hiſtorici patriæ, ut juſtis probisq; teſtimoniis juxta ac documentis, velint gentis noſtræ antiquitatem docere; quod multi peregrinam originem comminiſcentes, eam non parum extenuent.* â Schyte filio Herculis aut Araxæ, originem nominis noſtri arceſſit Herodotus. Dreſſerus â Gott. i. e. Deo, ac ſi â Germanis eſſemus oriundi. Petrus paruus Danus ſcribit nos â Svetzeris i. e. Helvetiis, ſatos. Ne nunc dicam quomodo alii vel circa tempora Imperii Perſici, vel deniq; non niſi paulo ante natum Chriſtum, opinentur nos eſſe ortos.

His

His modis extenuant varii gentis nostræ gloriam, spectatam in primis suis auctoribus ac conditoribus. Diligenter ergo contra hos tales est antiquitas nostra tuenda, ut genti ac nomini constet sua auctoritas ac gloria. Docetur vero hæc nominis nostri antiquitas modis variis. (1) *Dicimur Schytæ nomine antiquissimo*; Illi vero sicut habitarunt diversis frontibus in septentrionem, sic orientales dicti sunt Getæ, & occidentales Gothi. Coivêre tamen hæc duo nomina postea in unum, & id nomen nostrum, ex quo auctis coloniis nostri cœperunt per orbem victores vagari, sociisq; Gethis, veteribus suis cognatis, Asiam remotioresq; provincias alias sibi subjicere. Sumus igitur populus antiquissimus, quia sumus veri Scythæ. (2) *Docetur antiquitas gentis nostræ testimoniis auctorum quam plurimorum, veterum aq; ac recentiorum.* Collegit auctores istos Grotius in proleg. ad Proc. recensetq; non paucos Bazius in hist. Eccles. l.1.c.1. qui ibi possunt videri ac consuli. Johannem Gothum, Messenium, Paulinum &c. nunc non nomino, tametsi & illi multorum auctorum testimoniis idem argumentum recte fulciant. Prioribus tantum ipse addo vetus Chronicon Norinbergæ in folio impressum Anno Chr. 1495. ubi fol. 282. b. sic legitur. *Svecia cincta undiq; mari plures continet insulas, in quibus est Scandania apud veteres late memorabilis. hinc quoq; populorum innumerabilis multitudo egressa, omnem olim Europam armorum turbine ac procella involvit. Nam Gothos qui Hunos bello vicere, Pannoniam, Misiam, Macedoniam & omnem Illyridem occupavere, Germaniam, Italiam & Galliam vastavere, & demum in Hispania consedere, hinc fuit origo.* Conf. notas in Trebellium Pollionem, Isaci Causaboni p. m. 206. & Claudii Salmasii p. m. 280. seq. (3) *Commendat gentis nostræ antiquitatem harmonia inter veterem West Gothorum legem, & legem Hispanorum.* Quod docu-

documentum innuit nobiliss. Stiernhielmius in præfat. ad legem West-Gothicam, quodq; pluribus claris exemplis propositis, persequitur ac videndum oculis nostris subjicit noster Nobiliss. Dan. Gyldenstolpe post præfat. ad Konunga Sagun. (4) *Venatur Bazius antiquitatem ex lingua Runica, considerata in sua simplicitate, perfectione ac affinitate cum lingua hebræa*, qua scripturam literarum vocalium æq; ac consonantium, nec non qua multarum vocum usum ac sonum; &c. Ex quibus omnibus recte concludo: *quod nulla hodie gens sit, quæ certiora habeat, altioraq; sua antiquitatis documenta, quam natio Gothorum*, uti vere scribit Bertius lib. 2. Germ. c. 16.

II. *Ad hanc periodum refero structuram templi Upsaliensis*; quod olim clarissimum fuit, ac splendore suo omnium animos perstrinxit. Adamus Bremensis dicit id *totum ex auro fuisse paratum.* Joh. Magnus scribit: *usq; adeo magnifico adparatu fuit constructum, ut nihil in ejus parjetibus laquearibus aut columnis, nisi auro splendidum adpareret; tectum præterea totum auro fulgebat, à quo aurea catena dependens, totum templum domusq; fastigia cinxisse memoratur. Quo factum erat, ut templum in planitie situm admirando sui fulgore venerandam religionis majestatem accessuris præberet, &c.* Hoc templum magnificum video Johannem Gothum cum Messenio, referre ad tempora Abrahæ, sicut Olaus Gothus illud refert ad secula Nini: sed quo fundamento illi sic idem referant non invenio, nec video. Ergo cum videam ex ejus descriptione, item ex delineatione, impressa Romæ in ædibus S. Brigittæ Anno Christi 1554. *id convenire cum templo Salomoneo, non tantum forma*, quoad amplam illam ac quadratam aream, *sed & specie*, quatenus erat inauratum, auro tectum, ac insuper h. e. ex abundanti, quatenus super meniana domusq; fastigia habebat magni ponderis rutilantem torqvem aureum;

tantum

tantum abest, ut ad tempora Abrahamitica ejusdem structuram referam, ut nec eandem audeam referre ad tempora Davidis, cum intuitu ad tabernaculum, uti vult Scheffer. Sed propter rationes ante allatas, unice velim eandem post tempora Salomonis retrahere, ne reducta eadem structura in anteriora tempora, turbet harmoniam inter tabernaculum ac templum, neve Magistro Deo in struendo templo, credatur schema aut figuram ullam exhibuisse, &c.

*Quo vero auctore idem sit cœptum ac conditum si quæsiveris*; nihil certi respondere scio, cum ante historiam Frei regis, nemo veterum ejus uspiam recordetur. *Scheff.* Videtur tn. non temere omnino statui posse, id conditum esse aut ab Hothebroto imperatore summo ac solo inter Tanaim & Norvegiam, aut ab Hothero Rege eruditissimo, quod ut huic non defuit notitia struendi ejus, sic nec defuerunt illi opes, ad istud consummandum: & fortassis sicut ex devictis gentibus opes struendi templi corrasit David, sic opes continuando huic operi augusto, ex devictis gentibus congessit Hothebrotus: ac deniq; sicut Sapiens ac pacificus Salomon templum ipsum posuit in Asia; sic templum in Europa posuit Sapientia, eloquentia ac pace inclitus Hotherus. Sed quicquid sit de ejus fundatore, nam certiora tradere non habeo: id video, quanquam gentilitium istud vocetur, nunc memoreturq; suis idolis quondam fœdatum, quod nequaquam statim in cultum idololatricum fuit fabricatum, nedum hospitium destinatum, memorabilibus apud majores nostros tribus idolis. Scio multos aliter sentire, & deridet quoq; Saxo templi Upsaliensis institutionem, ceu factam in memoriam eorum, qui miranda præstigiarum machinatione, obtentis simplicium animis, divinitatis fastigium sibi arrogarunt, ac quoq; impetrarunt: Non pœ-

nitet tamen me ante ac nuper dictorum, nimirum in honorem Dei altissimi id primitus fuisse erectum. Adposui rationes supra pag. 120. seqq. & earum princeps est, quod non ante ultima veteris testamenti secula, defecit per patriam nostram, religio vera, sicut id probatum dedi paulo ante c. 12. Salvis igitur rationibus ante adpositis, manet certum, in honorem omnipotentis Dei id fuisse locatum ac consummatum, sicut jam sæpius scripsi, & ante me etsi circa rationem temporis discrepans, bene monuit Amplissi: Bazius, quando in præfat. suæ histor. pag. 3. scripsit: *Hic cultus Upsaliæ institutus licet degeneravit successu temporis in idololatriam paganicam: tamen probari potest contra præconceptam opinionem Saxonis Grammatici fuisse eum cultum prima institutione ad gloriam veri Dei, non idolorum, directum*; &c. prorsus sicut ego & sentio, & statuo.

III. Ad paginam complendam addi possunt sequentia (1) de ortu Nimrodi scripsi supra pag. 79: errorem vero qui ibi irrepsit ex theatro Henningii, rogo corrigi ex Gen. 10. (2) Quæ de Thorero scripsi pag. 123. ea augeri volo ex Bazij lib. 1. c. 2. (3) Est defectus pag. 119. de classe, quæ inquiret in tempus conditi templi, qui â quovis disciplinas intelligente facile potest suppleri. Hæc & leviora alia, quæ irrepserunt, quæq; emendare non potui ipse, præpeditus festinatione operis, cui plurimi avidis animis inhiant quodq; abiturientes summopere urgent responsuri studiosi, bonitati ac scientiæ lectoris commendo. Et sic

*Libri Quarti Finis.*

# PARTIS GENERALIS LIBER QUINTUS

## De Ecclesia Sveo-Gothica à tempore Caroli II:di ad Lidorum vel Lindormum: ubi periodus occurrit annorum 207, respondens periodo civili, qua duravit Monarchia Persica.

POtuissem periodum terminare in spoliatione templi Upsaliensis, facta per regem Grimmerum, jure quo plerumq; alii circa desolationem templi Hierusolymitani, periodum sacram secant, sed hoc pacto fuisset hæc nostra periodus brevior, extendi igitur illam ad rationem monarchiæ Persicæ, ut tamen cum recepta aliqua periodo, hæc nostra aliquatenus conveniret.

## CAP. I.

*De Ecclesia Sveo-Gothica sub hujus periodi seculo priore.*

Priore hoc seculo fuerunt per Sveciam reges: *Carolus secundus*, *Grimmerus* & *Tordo primus*. Carolus vocabatur pater patriæ, ob præclara justitiæ merita in remp. ac cumprimis ob beneficia in singulos nobiles ac honoratiores plebeios. virtuti quippe is posuit pretium & literis præmium. Grymmerus fuit Caroli filius, sed qua justitiam ac liberalitatem filius degener, ac præsertim cum templum Upsaliense spoliaret impie. Tordo autem primus, fuit qui paternæ improbitatis memoriam modestia primum lenivit, ac mox felicitate navali contra Saxones & Curetes utcunq; abolevit. His regibus in patriam nostram Sveo-Gothiam, *religionem veram propagare potuerunt:*

I. Fata Cyri: is namq; fuit, qui hoc tempore maxime inclaruit. Ergo ficut habuit sub sua potestate judæos â Babyloniis ante devictos, sic sine mentione eorum non potuit deprædicari: imo, quia mansvetudine fulsit in eosdem victos, quam declaravit facta libertate reditus in patriam, ac copia restaurandi templi, 2. Paral. 36: 2. Esth. 1. 2. ita hac virtute nitens cum sacra religione cumprimis est per gentes commendatus. Deinde fuit Cyro bellum cum Massa-Gethis h. e. nostris Gothis externis. id autem gerere non potuit, quo minus vel suos augeret aliquot Gothis, vel hisce immisceret suos Quia itaq; habuit in suo exercitu non paucos judæos; hinc conjectura quod iidem vel captivi vel transfugæ non modo Gothis præsentibus h. e. nostris externis, sese adjunxerint, sed & quod per eos, sint eorum aliqui consangvineis ac cognatis eorum in Svecia relictis, transmissi veræ religionis novi præcones.

II. *Potuerunt tunc temporis religionem veram ad majores nostros propagare varia variorum itinera, commercia*, item *miracula, multaq; jam edita prophetarum scripta, &c.* prout passim docuimus in superioribus. Suntq; hæc singula talia, quæ religionem veram recte potuerunt propagare: quin v. illa universa ac isto seculo conjuncta, eandem ad nostros majores actu ipso vulgaverint, non nos dubitamus, qui istorum singulorum, vel universorum rationem æstimamus nec segniter nec leviter.

## CAP. II.

*De Ecclesia Sveo-Gothica sub hujus periodi seculo altero.*

Hoc posteriori seculo fuerunt reges per patriam nostram, *Gotharus tertius, Adolphus, Algothus ac Ericus tertius*, omnes clari boniq; nominis Reges, Gotharus quippe virtutibus suis id obti-

nuit, ut æq; ac Carolus secundus, in hac periodo diceretur pater patriæ, sicut porro vicit Frothonem fortem Danum. Excepit Getharum Adolphus qui itidem bonitate ac justitia sua promeruit ut in hac periodo, tertius pater patriæ salutaretur. Alias virtute sua is devicit Danos sociosq; Saxones, & & postea Danis devictis diu in suis posteris imperavit. De Algotho vero & Erico tertio constat qvomodo itidem & illi prudentia ac benevolentia fuerunt celebres, vide histor.

Ecclesiam Dei quod concernit, sciendum quod illa his talibus, tantisq; regibus, omnino potuit plantari; forte propagari debuit. Ergo sicut Cyri fata pollicebantur nobis religionis veræ introductionem superiori seculo, sic eandem stipulantur hoc seculo Darius Hystaspis, ac filius Xerxes vel Ahasverus. Darius Hystaspis confirmavit restaurationem templi Jerusolymitani, quam precibus ac summo studio urserunt prophetæ Haggæus & Zacharias. Non dubium igitur, qvin excrescens opus magnitudine ac splendore, etiam ad exteros sit perlatum rumoribus justis. ac pariter certum, quod ad ejus famam arrexerint aures, qvotqvot Deum Israëlis unqvam recte noverunt. Xerxes vero fuit vel Ahasverus, qui Wasti repudiata duxit Estheram, & sic mortis laqveo eripuit paulo ante condemnatos Judæos, Esth. 1: 6. Hujus famam ego haudqvaqvam dubitabo manasse celebrem per orbem, & pariter mihi planum, cum nominis fama circumlatam religionem veram. Adde tu porro argumenta illa, qvæ sæpius ante indigitavi, *de miraculis, prophetarum vaticiniis, commerciis* &c. & pariter desines dubitare. Scilicet vides sub hoc rege Judæos Asiaticis cunctis factos formidabiles, fortuna eorum per novam reginam conversa, Esth. 8: 17. & 9: 3. imo, vides potentia eorum non paucos sic consternatos, ut cogitarent sic demum viam salutis sibi relictam, si Judæis una sacrorum cura

felices jungerentur, Est 9: 27. Sicut ergo huc illucq; commeantes Judæi potuerunt religionem veram prosеminare in varias terras, sic creditur eadem nunc tanto felicius prosеminata, qvanto adjunctis Persis facti sunt plures, qui illam serendo divulgare possent. *Atq; hactenus tantum docta religionis veræ possibilitas apud nostros majores, sub hac periodo qui olim vixerũt.*

# CAP. III.

*Probat religionis veræ actualem tunc temporis existentiam, apud nostros Sveo-Gothos.*

Veram religionem hac periodo revera extitisse per patriam nostram, arguunt varia.

*Primum documentum inter eadem, nos ponimus regum ipsorum probitatem, pietatem ac integritatem.* Quod Scholæ bonorum sit felicius quoad temporalia, quam Scholæ malorum, & quod bona temporalia pendeant â virtutibus, maxime verò â religione earum duce, sunt non pauca quæ docent. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, dicit Deus ipse Exod. 20: Jobus c. 27. dicit impiorum filios futuros in gladio, & nepotes carituros pane. conf. Davidem Psal. 17: 13. 34: 17. 71: 13 91: 8. 112: nec non Sap. 11. Suntq; hæc tam certa, ut in hanc thesin consentiant gentes omnes suis vel exemplis, vel statutis, sed videamus an Deus eventis hanc thesin unquam probet? tantum non semper illam dispositione sua Deus confirmat. Dum malus admittit aliquod crimen, punitur ille statim intimo quodam occulti doloris supplicio, & nisi errato occurratur commoda medela, punitur tandẽ quoq; ipsa universitas, quatenus discordiis agitatur, vulnusq; rodens in corpus suum serpere sentit: unde corporis mors h. e. regni aut gentis exterminatio. Similiter si bonus aliquis in eadem corrupta gente vexetur, non patitur

tur Deus eum inultum. non enim solummodo mali pugnant inter se, mutuisq; bellis ac seditionibus sese dilaniant: sed & nisi per bonos corrigantur aut sustenteantur, Gen. 18. Deus inusitato modo plectit jam singulos, jam universos: Semper v. eripit ille ex omni ærumma bonos & innocentes Psal. 37: 25.

Necatus est quondam Abel, at laudibus æternis ille etiamnũ effertur. Cain v. perpetuo timore est percussus, & tandem non ipse modo occisus, sed & in diluvio tota ejus posteritas exterminata. Noæ imprecatio prosequitur adhuc pœnis posteritatem Chami: & contra juvat etiamnum ejus benedictio posteros Semi ac Japheti. Sed ad Abrahamum accedamus, in quo ceu illustrissimo documento, videre possumus, cum momentis religionis ordinatore Deo, momenta bonorũ temporalium esse aucta. (1) Struxit ille Deo duo altaria, Gen. 12. & Deus terrã istam statim dedit ipsi ac semini ejus, quemadmodum per Pharaonem Ægyptium, eum statim reddita conjuge, porro locupletavit. (2) Fecit Abraham singulare sacrificium, Gen. 15. & Deus statim promissionem ei ante factam, magis explicuit, præmiaq; in posteris certiora reddidit. (3) Recepit Abraham circumcisionem, Gen. 17 & Deus constituit eum patrem multarum gentium; imo, etiam Regum. Summa, Deus non tantum fecit eum crescere, sed & fœdus pepigit cum ipso ac semine ejus. (4) Voluit Abraham offerre filium suum, actu singulari Gen. 22: & Deus actu singulari h.e. juramento interposito cõfirmavit ei ante promissa, de fœdere, de multiplicatione, ac semine benedicto. hactenus ergo cum actibus Abrahami religiosis processerunt promissiones divinæ, & quot progressus fecit Abraham in exhibitione religionis, tot, imo plures, largiente Domino sensit ille in bonorum adquisitione. In Isaco neq; legitur singularis religionis actus, neq; aliquod memorabile bonorum temporalium incrementum.

tum. Jacob religionis obtentu contendit in Mesopotamiam, & Deus adparuit ei in somno; Gen. 38. ille item mox sic ut Deo sacrificavit, sic Deus promissiones illi repetiit, conf. Gen. 35. In Ægypto fuit Joseph pius, & amplissime ibidem est ditatus, Gen. 43. Mosen itidem manserunt sua præmia aut dona, quod aulam corruptam deseruit: non tantum ipse est dux factus, sed & jussa elementa ipsi obtemperare. Davidi ac Salomoni quæ contigerunt bona temporalia post singulares religionis actus, vide in libris Regum, ac cuncta gratiæ & dispositioni divinæ adscribe.

Nec singuli magis sic emerserunt per pietatem, quam gentes universæ: dum gens Israëlitica studuit rebus sacris, accepit illa circumcisionem, & cœpit propriam universitatem constituere, Gen. 17. Dum illa mactavit agnum paschalem, est sui juris facta, ac regiones promissas intravit, Exod. 12. & 25. dum posuit arcæ locum stabilem in Silo, est statim terra cunctis tribubus divisa Josv. 18. & dum ædificavit templum in Sion, gavisa est multos annos bonorum temporalium magna adfluentia. Uno verbo. Gens Israëlitica defecit ante reges à Deo, septies, & toties est per servitutes correcta, vide libr. judicum. Defecit itidem post reges constitutos, & semper suis malis est castigata, donec resipiscens pietate revocaret sibi rursus Dei bonitatem: ita fuerunt Judæorum reges addita Athalia, 22, *Saul, David Salomon, Roboam, Abias, Osa, Josaphat, Joram, Ochozias, Joas, Amasias, Ozias, Jonathan, Achas, Ezechias, Manasses, Amon, Josias, Joachas, Ioachim, Sedechias*, & semper fuerunt boni prosperiores malis, imo sæpius vita quoq; diuturniores: estq; eadem ratio Regum Israëliticorum: nimirum vixerunt singuli sic vita felices, sicut fuerunt Deo cari ac accepti, ob religionis veræ sincerum cultum.

*Tu er-*

*Tu ergo de his ac Regib⁹ judaicis, expende seq. observationes. (1) Inter Ieroboam & Oseam Israëliticos, sunt 18. Reges, omnes idololatræ: at eorundẽ temporibus à Rehabeamo ad Ezechiam, in juda fuerunt tantum 12. reges, ut intelligamus malis vitam esse fugacem, & religionis cultum impetrare vitæ longitudinem. (2) Ex illis 18 Isr. sunt decem interfecti: at ex regib⁹ judæ non plures interfecti quā 4. & ita rurs⁹ impii piis infeliciores. (3) In juda perpetua successione regnavit familia Davidis. At in Israël regnarunt 9. diversæ. (4) Nulla stirps in regibus Israël transmisit regnum ultra quartam generationem: at in plurimas suum regnum transmisit juda. (5) Sicut Jehu Israëlita solus accessit ad veram religionem, destructione altarium ac Sacerdotum Baaliticorū: sic solus inter Reges Israëliticos, est unctus, solusq́ stirpem in quartam generationem diffudit. (6) Etsi Reges Israël quintuplo latius dominarentur: fuerunt tn. illi regibus judæ freqventer inferiores: nam sæpius coacti sunt his æq. ac finitimis, tributa solvere. (7) Tamdiu stetit regnum Israël, quamdiu erant ibi aliquot pii, qui id sustentabant: & (8) bene fuit stirpi Jehu, quæ Eliam ac Elizæum venerabatur: cæteris non item (9) Per Assyrios everso regno Israël, stetit adhuc regnum juda annis 135. (10) Abducti sunt à Salmanassere omnes Israëlitæ: at non ita abducti sunt à Nebucadonozare omnes judæi. (11) Est stirps Regis judæ conservata in captivitate, jer ult: at perditæ in captiv. omnes stirpes regiæ in Israël. (12) Ne nūc dicam quomodo judæi ex captivitate sunt reversi, Israëlitæ v. non item.*

Ex quibus adparet uti ſæpius dictum, â bonis regna ſuſtentari, Gen. 18. ac diutius vigere, qui religionem ſacram promovent, Eſa. 38: h. e. conſtare ubiq; pietati ac virtuti ſuum præmium, etiam in temporalibus, Heb. 11: 38. Quod pariter probari poteſt *per inductionem exemplorum aliorum hominum ac fere omnium gentium*, quæ unquam extiterunt, aut ſunt futuræ, ne quis cavilletur tantum in ſua gente Deum olim ita conſtituiſſe, ergo quamquam exemplorum

 jam

jam nunc satis sit, pro hoc præsenti themate, non pigebit tamen idem amplius probare ac confirmare ex iis, quæ hæc nostra periodus ut sua sibi rectius vendicat. In captivis Judæorum pius fuit Daniel cum pueris Anania, Misac & Azaria: Inde Dei bonitate non modo formosi sunt facti, sed & sapientes, ac singuli præpositi vel provinciis ut Daniel, vel provinciarum operibus, ut pueri reliqui Dan. 1. imo, iidem sunt quoq; â fornacis flamma servati incolumes, combustis inimicis, Dan. 3. Contra est statuarius Deus Nebucodonozar mente per septennium captus, & filius Belthasar ob profanata vasa templi, non modo horrendo spectro perculsus, sed & regno avito misere exutus, Dan. 5. Apud Chaldæos igitur fuit pietati suum lucrum, & impietati suum damnum etiã in temporalibus, uti nos in præsenti argumento cœpimus docere. Similiter sub Dario Medo ob pietatem triumvir in regno iterum constituitur Daniel & liberatur cavea leonum, at discerpuntur traductores, Dan. 6. Darius v. ipse, pculsus rei miraculo, postquã resipuit, non modo ut restitutus sanitati Nebucodnezar, Deum verum veneratur, sed & ejus religionẽ per totum suum regnũ proposito edicto promovet: Quomodo itidem Cyrus, visis de se variorum prophetarum vaticiniis, Esa. 45. Jer. 29. 2 Par. ult. & sanctos Dei colit, & ipsã religionem promissis decretisq; auget, videre est ex 1 Esdr. 1. Sub ipsis igitur fuit religiosis sua superabundans merces, & illi quoq; in tantum temporaliter felices, in quantum Dei cultum verasq; virtutes sectabantur vigilantes. Pari modo temporaliter felix Darius alter, qui templi restaurationem continuavit, & Judæos immunitate libertateq; donavit; at infelices Idumæi, qui templum succenderunt, Esdr. 3. & 4. seqvens vero Artaxerxes ut pius fuit, sic temporaliter felix, 1. Esdr. 7. & sub Ahasvero uti ob pietatem verè promovebatur

batur

batur cum suis Mardocai, sic ob nequitiam suam exscindebatur cum suis Haman Esdr. 7. Hactenus ergo cum progressu religionis vidimus auctam temporalem felicitatem veram, idq; non tantum in veteribus hebræis, sed & in posterioribus, ac iis, qui vixerunt sub regibus Chaldacis ac nominatis nostris duobus Persicis, Cyro & Ahasvero, imo, in ipsis regibus exteris vidimus idem contigisse, quod monstrabimus quoq; in seqventibus, si libet de aliis tam personis illustribus, quam minus nobilibus. Sicut ergo nemo qui bene vixit, unquam vere ac diu miser fuit, & sicut nulla gens quæ bene vixit, vere misera unquam extitit: sic quæ felix extitit, recte ac bene vixisse creditur, ac per conseqvens inde conjicimus præsentis periodi Reges, nostræ patriæ patres, fuisse probos, justos ac pios; quia tantis felicitatibus domi ac foris alii post alios largiter abundarunt. Contingit fateor, *nonnunquam improbum longioris vitæ esse, quam probum, at rarius idem contingit; & in regulis non tam spectatur, quod aliquando evenit, quam quod plerumq;, sicut etiam non â tenuibus, sed â summis cuncta judicantur.* Ergo sicut *Carolus secundus, Getharus tertius & Adolphus, meruerunt omnes tres uno seculo patres dici patriæ*, ac ipsi porro illustres fuêrunt, tam diuturnitate vitæ, qvam dignitate civili: inde ceu invincibili argumento concludimus nos eos bonos ac pios vixisse, ac per conseqvens temporibus eorum, fuisse per Sveo-Gothiam, religionem veram, quod erat probandum, & jam nunc exemplis tam publicis, quam privatis, nos prolixe satis ex S. Sacra dedimus probatum.

*Secundum argumentum pro religionis veræ actuali existentia duobus hisce seculis, dat nobis ipsa religionis indoles.* Sub finem superioris periodi vidimus justis documentis probari, etiamnum per patriam nostram, veram religionem extitisse. Si igitur tunc extitit, prout revera fide tot tantorumq; argu-

mentorum, actualiter eam extitisse speramus sequitur profecto nec nunc hac duorum seculorũ brevi periodo eam exolevisse, quod antiqua dogmata non cito obliterẽtur. Possunt omnino illa cito inhiberi; at inhibita non statim obliterantur. Quod si autem contingat eadem non inhiberi, jam servantur tenacius, & animus religione quadam captus, ægerrime suæ antiqvæ devotionis studium deponit. Fuerat papismus Dei gratia per sesqvi seculum apud nos non remissus modo, sed & variis sanctionibus inhibitus; attamen sicut ille ante fermentavit totum nostrum genus: sic reperies apud nostros, illum etiamnum alicubi in pũctis non paucis: nam mulierculæ nonnullæ, quibus æq; ac aliis interdictum fuerat tanto tempore religionis illius exercitium, nunqvam non filiabus ac neptibus instillare eum conantur. Scilicet *Crucis vim suspiciunt eædem illæ pro se, ac suis pecoribus, præclaris item suis factis postulant mercedem, ac Mariam ex veteri instituto, tam oblationibus, qvam juramentis sancte etiamnum privatim colunt, &c.* Sicut igitur hoc fermentum sub inhibitione civili æq; ac ecclesiastica, non potuit per tot annos h. e. ab hoc die, per 150 annos penitus & apud cunctas vetulas extirpari: sic credibile est nec integris duobus seculis domi obdormivisse religionem sacram, maxime cum illa iisdem illis annis, nunqvam prohiberetur ulla sanctione publica, qvantum nos hactenus vidimus.

*Tertium ergo argumentum pro reali ac actuali veræ religionis existentia ducimus ex eo, quod Samolxes Pithagoræ discipulus, apud suos summus sacerdos factus, teste Strabone, veram religionem non tam vetuit, quam saltem disvasit circa negocium sacrificiorum.* Unde nobis duo observanda. (1) Si eam Samolxes tantum dissvasit, sequitur eam etiam hac periodo omnino mansisse, quod inhibita uti modo diximus, duret diu ac per aliquot secula; & quod diutius ac per plura secula recte eadem credatur

datur durasse, si non fuit statuto aliquo proscripta, sed tantum, ut ait Strabo, dissvasa. (2) Notamus Samolxen non totius religionis cursum impedivisse, sed tantumodo curam aut devotionē sacrificiorum impugnasse. Informatus fuit is in Philosophia Pythagorica, ubi ceu inutilia, integris syllabis damnantur sacrificia; non potuit igitur non eadem rejicere, qvamdiu opinabatur ista adversari suis principiis ac statutis. ast sicut non vim fecit toti religioni sacræ suis dogmatibus; sed tantum sacrificiorum vim imprudenter exclusit; sic credibile nec ejus doctrina totam religionem veram tunc retardatam aut unquam inhibitam. Ego crediderim hac tota periodo non tantum non expirasse cœtera dogmata sacra, quæ potuerunt subsistere cum ejus philosophiâ, sed nec totum sacrificiorum ritum qvamvis ipsi summe inimicum, tunc deletum, quod succus multorum seculorum etsi alio levibus momentis derivetur, non potest non antiqvas radices perenni meatu qværere, ac qvoq; fructu exprimere.

*Qvartum vero & ultimum argumentum pro hac thesi confirmanda, largitur testimonium jornandis.* Is sicut extendit cursum religionis veræ ad tempora Dicenæi lib. II. qvæ incidunt, ut patet ex contextu, in tempora Augustorum; sic non potest non etiam per hæc antecedentia tempora, eandem statuere incorruptam. Recte ergo nos, si errore calculi, aut confusione nominis non fallitur jordanus, de qva re infra, ejus testimonio, religionem veram hac periodo tota heic scribimus fuisse perennem.

# CAP. IV.

*Explicat amplius religionis qualitatem sub hisce duobus seculis.*

Vidimus hactenus religionis veræ existentiam, nunc ergo *recte inquirimus in ejus qvalitatem seu perfectionem*, quod multis in

locis sit sæpe vera religio, tametsi non semper sit in ijsdem perfecta; imo, quod rarius usquam inveniatur perfecta. Puram ergo religionem tu hac periodo apud nostros nequaquam expectabis, qvod videas audiasq; eandem ex ante traditis monumentis, h. t. fuisse turbatam placitis Pythagoricis. Si igitur hac periodo apud nostrates pura non fuit, tanto minus fuit eadem consummata: qvod ejusmodi consummatio, uti constat, arguat non tantum intensionem graduum, sed & partium singularum complementum. at absfuerunt doctore Strabone, partes, quæ legem ceremonialem circa sacrificia concernebant, non fuit igitur ea domi integra, nedum perfecta. Nam profecto qua gradus partium non erit religio perfecta, qvæ laborat partibus ipsis: ac per conseqvens si illius temporis Sveo-Gothica religio fuit accisa qva partes, tanto magis laboravit eadem in suis gradibus, nè unqvã & ubiq; hac periodo apud nostros inveniretur perfecta. Sicut apud Semitas Roma reversus Anthiocus Epiphanes tantum non hoc eodem tempore, sacrificia in templo Jerusalem fieri prohibuit, venditoq; sacerdotio, Judæis non tantum nomina gentium imposuit, sed & idolis sacrificare præcepit: Sic apud nostros Japhetæos per Samolxen Pytagoræ discipulum dissvasa nunc sacrificia, Sacerdotij auctoritas elevata, & populus sensim ad cultum idolorum deductus. Jungebantur olim eadem benedictione Sem & Japhet: & nunc quoq; vel eadem, vel certe communi ruina, Dei permissione, ambo prosternuntur. Celerior tamen ruina sua per Semitas, Anthioco circumcisionem prohibente ac sacrificantes occidente; & lentior super nostros Japhetæos, dum non regiis edictis vel ullis capitalibus pœnis præcipitantur in perniciem, sed saltem doctrinis ac per præcepta Pytagorica ad eandem ducuntur. Et sine dubio sic severior in

Semitas

Semitas fuit Deus, qvod iidem ante pluribus beneficiis spiritualibus æq; ac temporalibus ornati, jura ejus recepta ac probata perfide negligebant: & cum nostris egit idem mitius, qvod similibus ut Semitæ, beneficiis neq; illi unqvam fuissent aucti, neq; porro ut iidem, tanta obligationis ceremonia in jura divina ad se fortuito delata, ipsi se adstrinxissent.

# HYPOMNEMATA
## Ad libr. qvintum.

I. *Apud Romanos videmus non tantum primitus certo consilio quibusdam rebus per ἀντίφρασιν nomina imposita*, ut cum dicimus bellum, qvod minime est bellum, & lucum, qvod minime lucet &c. Sed & sæpe hominibus data postliminio per vanitatem aut adulationem nomina, qvæ prorsus ab eorum moribus recederent. Imperator Romanus *Commodus, senatu semet ridente, qvum adulterum matris consulem designasset, adpellatus est pius, qvum occidisset Perennem, adpellatus est felix.* & post pauca. *Adpellatus est Commodus etiam Britannicus ab adulatoribus, qvum Britanni etiam imperatorem contra eum deligere voluerint: & Hercules Romanus adpellatus est, qvod feras Lanuvii in amphitheatro occidisset:* verba sunt Ælii Lampridii ad Dioclet. Aug. p. m. 49. Sic per levitatem patres patriæ dici noluernnt hi nostri reges, ut neq; gens ipsa sanguine domestico sata, unqvam fuit in adulationem composita. Antiqvi nimirum moris genius & rectius instituit principes nostros qvam ut vellét vanis aut contrariis titulis salutarì, & servavit qvoq; fideli⁹ subditos, qvam ut qvemqvam talib⁹ inescarent. *Deinde* præcipitavit qvosdam favor, & spes præconcepta, ut ante principes suos eminentibus titulis adpellarent, qvam ipsi eosdem fuissent virtute ac gloria rerum promeriti.

Dicitur

Dicitur hodie esse, qvem sui non Regem sed Monarcham adpellant, per levem favorem, spemq; majorum rerum gerẽdarum; & olim Pertinax Imperator Rom. prim9 omniũ ea die, qva augustus est adpellatus, etiam patris patriæ nomen recepit, uti scribit in ejus vita Julius Capitolinus, p. m. 55. hoc pacto & faventi suorũ promotione non sunt nostri patres patriæ dicti. Ut gentis mores prisci servarunt eos ab adulationibus, sic qvoq; tuebantur, ne ullis festinatis honoribus lubricisq; contaminarentur. Quia igitur iidem *vere sunt patres patriæ dicti*, h. e. qvia sunt tales dicti non per *ἀνδροφαγίαν*, neq; per suorum aut vanitatem aut præcipitem spem, sed ob suas singulares eminentesq; virtutes, comitemq, earum, gloriam rerum, inde documento non levi arguimus tempore eorum, apud nostros viguisse religionem veram, quod absq; illa, aut ad minimũ absq; singularib9 ejus partib9, nec dentur eminenter virtutes aliæ, nec habeatur usqvam ut heic, rerum gloria solida, ac per tot fata, tantaq; tempora, fulgens ac perennis: confer plura supra pag. 170. seqq.

II. *Ut superiores pleraq; periodi, sic quoq; hæc præsens probat religionis possibilitatem in nostra gente, ex factis ad exteros longinquis navigationibus, institutisq; commerciis aliis inter nostros ac procul dissitos populos Asiæ Africæ aut Indiæ.* Sunt non pauci qvi opinantur longinqvas navigationes suscepisse, ac præsertim ad Indos, rem esse ac inventum nuperorum vel Lusitanorum vel Hispanorum. De navigantibus Syris in Indiam, ad colligendum aurum, loquitur scriptura sacra in historia Salomonis: & qvod mare mediterraneum nautis priscorum temporum fuit detectum, id docent auctores antiqvi, qvotqvot de primis Cartaginensibus, Tyriis, Rodiis, Græcis, Romanis &c. unqvam scripserunt. Possemus nos varia loca recensere; ut vero paucis nos expediamus, & pariter ut ansam præbe-

amus

amus lectori priscos qvosdam auctores consulendi, exscribimus ex antiqvo Chronico Norinbergæ impresso ante duo secula, qvæ ibi pag. 8. de hoc argumento paucis perstringuntur. *Circumnavigari an hæc insula* (totam terram intelligit, Oceano circumfusam) *qveat, dubitatum est. Strabo Gnosius australe pelagus propter intolerabilem æstum, boreale qvoniam frigore concretum esset, minime navigari posse, putavit. Julius Salinus jubæ testimonium adducit, qvi universæ partis meridianæ, qvam plurimi propter solis ardorem perviam negaverunt, facta vel gentium vel insularum commemoratione, ad confirmandæ fidei argumentum, omne mare qvod ab India usq; in Hispaniam retro Africam cingit, navigabile affirmavit. Plinius Veronensis scribit in Arabico sinu res gerente Cæsare Augusti filio, signa navium ex Hispaniensibus naufragiis fuisse recognita; & annonæ florente Cartaginis potentia, circumventum à Gadibus ad finem Arabiæ. Eam navigationem scripto prodidisse Cornelium qvoq; Nepotem auctorem facit, qvi Eudoxium qvendam sua ætate cum Lathirum regem* (*Alexandriæ*) *fugeret, Arabico sinu egressum, Gades usq; profectum commemorat: Celiumq; Antipatrem à se visum, qvi ex Hispania commercii gratia usq; in Æthiopiam navigarit. De septentrionali Oceano major contentio est, qvem tamen magna ex parte divi Augusti auspiciis circa Germaniam navigatum constat usq; ad Cimbrorum promontorium. Caspia vero litora Macedonum armis Seleuco & Anthiocho regnantibus ita explorata & pernavigata sunt, ut * brevius qvam totus hinc atq; illinc septentrio sit remigatus. Plinius Nepotis testimonio utitur, qvi Metello Celeri Galliæ proConsuli donatus, à Rege Svevorum Indos astruit, qvi ex India commercii causa navigantes tempestatibus essent in Germaniam arrepti. Apud Ottonem historicum legitur sub imperatoribus Teutonicis indicam navim & negociatores Indos in Germanico litore fuisse deprehensos, qvos ventis agitatos ingratis ab orientali plaga venisse constabat, qvod accidere minime potuisset, si, ut*

 *si, ut*

*si, ut plerisq; visum est, septentrionale pelagus innavigabile concretumq; esset. A columnis Herculeis Mauritaniæ atq; Hispaniæ & Galliarum circuitus, totusq; ferme occidens hodie navigatur. Orientem nobis incognitum cum religionum atq; imperiorum diversitas, tum barbaries immensa reddidit. Veteres tamen navigatum produnt.* Conf. Cornel. Nepotis fragmenta, & Pompon. Melæ lib. 3. c. 5. Ex qvibus omnibus constat detectas olim fuisse navigationes, in loca procul dissita, ac per eas communicata commercia *rerum, morum ac religionum*, uti nos scripsimus in hac periodo, & aliqvot superioribus.

III. *Qvamqvam multa alia argumenta religionis veræ introductionem svadentia, utpote conversationem qvorundam prophetarum cum exteris, nonnulla responsa Sibyllina, sanas qvorundam Philosophorum locutiones ac doctrinas &c.* possemus, imo deberemus ad præsentem periodum referre, de industria tamen iisdem nunc supersedemus, cum qvod præsens brevitas nobis arrideat in hac festinatione, & ne heic incipiamus argumentum alibi ac infra continuandum. Videtur namq; nobis convenire, hæc talia rectius perseqvi libro uno ac seqventi, ubi plura reqviruntur momenta, ad probandam in nostris religionis aliqvam existentiam, qvod sub ejus periodo religionis veræ cursus vulgo putetur, non debilis modo, sed & prorsus extinctus.

IV. *Circa hæc tempora, & quidem circa præsentis periodi initium, ut dicit Orosius, nox ad magnam partem diei tendi visa est. Et saxea grando, scilicet veri lapides, descenderunt de nubibus, Chron. Norimberg. fol. 65. b.* Hæc eadem an contigerunt per Sveo-Gothiam nostram, non docemur commodo auctore: breviores itaq; sumus in iis recensendis, quemadmodum quoq; præterimus prodigia alia, quæ Scriptores Romani plurima memorant, ac ut sua explanant. (1) Circa finem tamen hujus perio-

periodi, ad insulam Rhodum *corruit terræ motu Colossus ingens, solis simulacrum*, inter septem mundi miracula teste Plinio, ante reputatum. (2) Vixit hac periodo *Alexander Magnus*, & referunt multi prodigia ante adposita, ad ejus nativitatem: ut qvoq; addunt *ipso nascente, solem visum pugnasse cum luna, saxa sangvinem sudasse, plures lunas in die adparuisse, saxa de nubibus cecidisse, ac per 7. dies suis fragmentis terram latissime verberasse, legatur Chron. modo nominatum fol. 76. a.* (3) Exarsit item hac periodo *bellum Punicum secundum*, memorabile maxime omnium, qvæ unqvam gesta sunt, de qvo legantur Plutarchus, Livius &c.

*Et sic finis hujus libri qvinti.*

---

# PARTIS GENERALIS
# LIBER SEXTUS.

De Ecclesia Sveo-Gothica â tempore Lindormi ad Ericum disertum, sub qvo nascebatur in Syria, CHRISTUS JESUS, noster & totius mundi salvator. Occurrit heic periodus annorum 328, & memoratur, qvalis per eam domi fuit nostrorum religio, nunc ut ante, præteritis plerisq; particularibus, in qvæ subsidio præsentis supellectilis, non potuimus inqvirere. Hanc periodum distingvunt scriptores nostri in tres articulos, juxta temporum in illa diversos status: primum namq; deficiunt in hac periodo, Dani, distrahuntur deinde â Svecis Gothi, sed tandem tamen iidem reconciliantur,

## CAP. I.

*Perstringit paucis totam historiam civilem.*

*Lindormus* coërcitis rebellibus Estonibus, movit contra Danos, duce Fridlevo ad libertatem adspirantes, & hos qvoq; sociis Norvegis facile oppressisset, nisi inter copias controversia orta, monuisset arma deponere, ne ante civium ac sociorum, qvam hostium sangvine cruentarentur. Primusq; Rex ipse jussit receptui canere, non tantum qvod mallet sui nominis gloriam à servatis civibus potius, qvam à trucidatis hostibus ampliari, sed & qvod Fridlevo consangvineo partem regni non invidit. Vixit inde ille annos benemultos, decedensq; reliqvit regnum, qvod postea in diversa studia raptis popularium animis, partitum est in regna duo, qvorum facies mox miserabilis facta: nam non tantum *Alaricus Svecus*, & *Gestiblindus Gothus*, qvi suorum voluntate ac studio avitum regnum distraxerunt, sunt mutuis cladibus consumpti, sed & exacerbatis animis, pene regna ipsa incolis exhausta. Duravitq; hic furor internus annos multos, donec tandem utrinq; fatigatis surgeret *Ericus qvartus*, ob facundiam dictus disertus; qvi postea inclaruit, non tam qvod Oddonem piratam Danum, præstigiis confisum submersit, aut qvod Regem ipsum Frothonem, vel natantem excepit, uti docent nonnulli, vel ab Hunnorum exercitu circumventum eundem fortiter servavit, uti tradunt alii: qvam qvod distractos Sveo-Gothorum animos prudentia ac eloqventia univit, *conf. hist. Arct. Paulini, nec non hist. alios.*

## CAP. II.

*Ostendit non dubitandum esse ecclesiam Dei sub hujus periodi centenario primo, domi fuisse corruptam.*

Vel-

Vellem eqvidem non tam ſtudio favoreq; popularium, qvam ex charitate Chriſtiana affirmare noſtros priſcos homines hujus periodi, etiamnũ religioſos vixiſſe: ſed (1) non ſinunt id ipſum fata gentilium, ſub finem veteris pacti, ubiq; diſperſorum: nam craſſas tenebras permiſit Deus inundare, ut adveniens ſol juſtitiæ jubare ſuo fulgeret eo ſplendidior: ſicut qvoq; idem permiſit gentes ambulare in ſuis vanitatibus, ut affulgens gratia ſalutifera per vocationem univerſalem in Chriſto, defatigatis dicam an deluſis, eo eſſet acceptior. haud mirum igitur tertio ſeculo ante natum Chriſtum, etiam noſtros per vanitatem iviſſe in tenebras, ut nunc â ſuperſtitioſa idololatria, & idololatrica ſuperſtitione, non audeam neq; velim illos diutius ſtylo meo liberare. (2) Præterea in hunc modum ſub hoc centenario popularium animis diſtractis, ac in ſe invicem exacerbatis, qvid ſani ſalviq; in religione æq; ac republica ſperare audemus? Sicut ſeparatio decem tribuum apud Iſraëlitas tempore Jeroboami, maximas turbas movit in repub. ſummamq; idololatriam ſevit de regno in regnum: ſic credere fas hac ſeparatione regnorum noſtrorum non turbas modo factas, ſed & fere penitus ubiq; concuſſam religionem veram. Alterum ſcilicet interdixiſſe alteri religionis locum, nec voluiſſe populum unum conſcendere ſacrorum locum, occupatum à populo altero. Ut Jeroboam prohibuit ſuos â viſitando templo Jeruſolymitano, ne illuc adſcendentes, per religionem irretirentur conſvetudine priſca; ſic credere fas, etiam h. tempore Geſtiblindum Gothum non tuliſſe, ut ſui amplius Upſaliam freqventarent, ne antiqva Svecorum familiaritate, occaſione religionis, rurſus caperentur. (3) Ac ne amplius dubitem nunc interiiſſe per patriam, religionem veram, facit teſtimonium Strabonis mani-

festum, affirmantis ut dictum supra pag. 154. demum â Samolxe Pythagoræ discipulo, nostros deceptos. Ut itaq; is vixit seculo qvinto aut sexto ante natum Christum, sic putãdum tunc cœptam in nostris corrumpi religionem veram, non impeditam tamen eandem publicis aliqvibus pænis, qvalitercunq; in plerisq; suis partibus viguisse, donec adesset præsens hoc seculum tertium, retro numeratum â nato Christo, qvod libidine non tantum, desvetudineq;, sed & dissidiorum consiliis, omnia sancta solvit ac rupit.

# CAP. III.

*Solvit objectiones potiores, quæ adversus violatæ religionis veræ tempus, â nobis definitum, solent vulgo moveri.*

I. *Non diffitendum est opinari plerosq; evanuisse per Patriam nostram, religionem veram seculo quarto post diluvium; sic scribunt Berosus, Jornandes, Gothi Fratres, Messenius, Paulinus, Bazius &c.* Sciendum vero est recentiores hosce nostros â veteribus meo judicio, esse deceptos: & veteres illos Berosum ac Jordanem intelligo, affirmare in hoc puncto, quæ cum veritate historica, rationibusq; aliis, nequaquam me interprete, possunt conciliari. Ergo Berosum verum etsi commendent multi, ac in eis Plinius, qui lib. 7. cap. 37. dicit eum fuisse *astrologum excellentissimum?* deinde definiant quoq; alii tempus vitæ ejus, dicentes eum vixisse tempore Alexandri Magni: sic enim præter alios, de ipso scribit Tatianus Assyrius in libro ad Græcos: *Berosus vir Babylonius Beli apud ipsos sacerdos, vixit tempore Alexandri, & Antiocho tertio ab illo, Chaldæorum historiam tribus libris perscripsit*; obtinent tamen recentiores solidis rationum momentis, scriptum Berosi Viterbiensis esse supposititium, certiq; auctoris nomine circumferri, quæ incerti sunt auctoris, tum quoq; in prisca tempora reduci,

quæ ætatis sunt multo inferioris. Valeat ergo heic per me antiqvitas celebrati huius Berosi, & pro tempore quærat illa fidē historiæ suæ, nō apud rerū gnaros sed apud credulos alios. Jornandem deinde qvod concernit, video non negari posse qvædam ejus videri fabulis propiora, ut qvoq; scribit Hornius: hic tn. si Cronel. ferat crediderim illū â substituto confictoq; isto Beroso esse delusum ac falsum, ut qvoq; recentiores omnes, qvotqvot istam opinionem serio fovent, horum duorū ceu antiqvorum auctoritate, puto circumventos. Scilicet aliis negociis illos impeditos credo non vacasse studio Critico aut Philologico, ut neq; eorum ætatem hanc crisin constat adhuc detexisse. Confer plura qvæ scripsi sup. pag. 151. seqq. ac porro expende rationes, qvæ ibi contra hanc opinionem adposui, transibisq; ut spero in sententiam meam, qvæ est, *â falso qvodam scripto contra manifestas rationes varias, & contra luculentum veri auctoris* (Strabonis) *testimonium, non commode in istam fere Abrahamiticam ætatem*, referri nostrorum publicam ac continuam idololatriam.

II. *Sunt alij qui non modo consentiunt in idem prolapsus tempus, sed & ejusdem primum auctorem ministerialem, apud nostros, constituunt zeutam, quem putant fuisse Phænicum Taut, literarum primum inventorem, aut Thurram Assyrium, qui victricibus armis venit in Schytiam, dictus orientalibus El vel Bel, Græcis Helios, & nostris Thore, ex Taut aut Turra, &c. conf. Scheff. Upsal. Antiq. â pag. 50. ad 67.* Respondeo vero historiam Zeutæ nobis valde obscuram relictam, ut nunc illam magis opus habeamus conjectura promere, quam possimus certa notitia explicare. Fratrum Gothorum Zentam, ceu qua nomen minus recte notatum, video rejici â Claris. Scheffero: & tamen non eo magis mihi liquet, quis ejus ac jornandis zeutes, maxime cum in tam prisca tempora ille reponatur, tot deinde

vestiatur

stiatur nominibus aliis, ac cui non exterorum Deorũ ultimum assimiletur? *Zeusis Heracleotes*, vixit sub Monarchia Persica, & referente Eusebio, fuit summus pictor: Hic teste Plinio hist. naturalis lib. 35. perduxit peniculum ad magnam gloriam, tantasq; opes adquisivit, ut institueret donare opera sua, eo quod nullo precio satis digno, illa permutari posse diceret. Pinxit hic puerum uvas ferentem, ad quas advolabant aves: quod ipse non tulit, verum iratus operi dixit: uvas melius pinxi quam puerum; nam si & hunc consummassem, aves ipsæ timuissent. Perhibetur quoq; idem umbrarum inventor apud Quintilianum: Atq; ita est hic inclitus pictor, zeusis, quem primũ opinari quispiam posset per nominatum zeutam h. l. intelligi. *Deinde invenio inter Empericos fuisse quendam Medicum, qui Teutas dicebatur*, pro more Scepticorum aliorum artem probans, quam fecit experientia, definita per observationem ex cognitione memoriaq;, uti loquitur Galenus. Hic circa experientiæ rationem ac definitionem opposuit se Menodato, Cassio ac Pyrronio, pulchrisq; scriptis institutionibus divisit Medicinam in tres partes, signalem, curativam & conservativam, &c conf. Galeni Empirici Sceptici informationem, cap. 2. 3. 4. & 13. Plures Zeutas vel Teutas antiqvos ego hactenus non inveni. An jam Jordanis Zeutas sit horum alter, h. e. vel Zeusis pictor, vel Teutes medicus, adhuc ignoro. Neutrum vero fuisse dicent, qvi pro Zeuta jornãdis loqvuntur. Qvisqvis igitur fuerit Jornandis Zeutas, uti nescio, sic mihi absq; rationib⁹ persvadere non sino, illũ fuisse Phænicum Taut, Assyriorum Turram, aut orientalium Belum, qvem errore populi constat primum ex mortalibus Deum factum. Scilicet non asseqvor, qvomodo Taut, Turras & Belus pro uno eodemq; deastro commode possunt venditari, qvi non modo cultoribus, sed & terris ipsis olim valde erant divisi, ut neq; id

asse-

assequor quomodo asiatici illi salvis domi suis dominiis potuerunt tunc ad nostros tam procul dissitos pervenire, novamqvè in illis Deitatis opinionem præstigiis mentitam, præsentes fovere; aut quomodo nostri voluerunt semel tantum visos in numerum Deorum referre. conf. sup. pag. 155. seq. Salvis itaqvè judiciis aliorum, si quem Zeutem ego debeam agnoscere, profecto illum quem agnosco, neqvè ad patriarchalia tempora refero, neqvè pro Thorero nostro sub tam tenuibus rationibus, unquam vendito; tantum autem fero, ob rationes ante adpositas, fidemq; Strabonis, illum zeutam si extitit, Samolxi vixisse vicinum, & sic idololatricum cultum publicum, per eorum alterum cœpisse, per alterum vero auctum, partibus pluribus, donec tandem idem perficeretur sub Dicenæo, qui vixit tempore Syllæ aut Cæsaris Augusti, *conf. Scheff.*

III. *Dicis, nos nimium dare testimonio Strabonis: Cretensem eum fuisse, & sic pro more gentis, in mendacia proclivem.* ℞. Utimur equidem Strabonis ductu in hac sententia tuenda, at nec destituimur probis rationibus aliis, eandem solide firmantibus. Rationes nostras audivisti tu iterum ac sæpius ante, nunc vero accipe qualis, quantusq; vir fuit suo tempore Strabo, qui vixit uti testantur Historici, aliquot annos ante natum Christum. Sic de eo habet Chronicon Norinbergense: *Strabonem, Historicum, Geographum & Philosophum, nec non Homericæ Majestatis expositorem, ut quibusdam placet, natione Cretensem, hisce temporibus* (intelligit tempora Zachariæ & Elisabethæ) *illustrem fuisse, ex operibus suis invenimus. Qui cum doctissimus vir esset, & magnarum rerum cognitione peritissimus haberetur, inter cætera suæ virtutis monimenta de Geographia mundi decem & septem libros perpulchros edidit, in quibus vel omissas, vel neglectas aut vetustate oblitas orbis partes, ad ungvem* (uti

tünc cognitæ erant ) *restituit & diligentissime designavit. Populos, nationes, res gestas, montes, maria, & eorum terminos ante oculos nostros clarissime posuit. Hic ex Mitridatis regis sanguine, maternali linea originem duxit*, &c. &c. Hunc ergo talem tantumq; virum si tu suspiceris ex levitate fuisse mentitum: non ego ejus fidem similiter sollicitabo; qvin ipsi in hoc argumento, adhæream, ut historico antiqvissimo ac fidelissimo, sicut nec fidem ejus in aliis probe cognitis, unqvam patiar extenuari, per fictum Berosum ut ajunt Viterbiensé, aut cum eo consentientem, nonnunqvam nostrum Jordanum.

## CAP. IV.

*Inqvirit in ipsa Numina, qvondam à majoribus nostris culta.*

Omnes, qvotqvot unquam historiam Sveo-Gothicam vel oculis subjecerunt, vel auribus acceperunt, solent ex majorum informatione dicere, in *Thorerum*, *Odenum ac Friggam* priscos nostros suis votis olim inclinasse, illosq; pro numinibus in omnibus casibus, venerabundos suspexisse. Hæc ut cottidianis sunt magis familiaria, sic nihil attinet pro eorum confirmatione, auctores alligare. Sed an tres tantum fuerunt Majorum nostrorum dii, despiciendum nunc est amplius. Habuit prisca ætas Numina varia, qvæ bona fide colebat, at non illorum omnia, eadem devotione venerabatur. Qvi origine sua naturaq; dii putabantur, eos venerabatur illa cultu sanctiori; qvi vero adventitii fuerunt, eos proseqvebatur tantum cultu â majoribus imperato, aut â se ipsa ante instituto. Scil. ut illos debuit venerari sancte, sic non potuit non hos pariter suspicere, jam ante â se designatos Deos: nihil enim fuit constituisse Deum, nisi eundem qvoq; Dei colerent dignitate. Sicut igitur præter illos, qvos majores nostri colebant ut natura Deos, extolle-

tollebantur alii, vel beneficiis principum vel propiarum virtutum meritis, in consortium Deorum recepti; Sic non potuerunt clientes non dignitatem quocunq; titulo illis ante tributam, sancte servare, suisq; ceremoniis exprimere.

*Græcis fuerunt tres Deorum vel Demonum species; dicebantur Dynameri, Paredri & Catabolici.* Dynameri dicebantur *potentes & magni Dii vel spiritus*, quorum in oraculis reddendis, & somniis mittendis, semper certior fides fuit, & effectus major. Δυναμηρος quipe idem græcis est, ac δυνατὸς, & sic idem Θεος δυνατὸς, μεγας, καὶ δυναμηρὸς. Inter tales Deos magnos & potentes, referunt nonnulli penates quomodo etiam Arnobius ex Etruscorum disciplina, affirmat tales δυναμῆρας fuisse jovis Consiliarios, & principes Deos habitos: At nihilominus ex Dardano licet δυναμῆρας *á penatibus distingvere*, dum his exclusis, illi apud ipsum distingvuntur in *Superos, inferos & medioxumenos:* Græci dixerunt εἰς οὐρανίους, αἰθερίους, ἐπιγείους, χθονίους, καὶ θαλαττίους. Quorum potestas quia major est, quam Heroum, vel eorum, qui ex hominibus divi facti sunt, ideo δυναμηροι dicuntur apud artium magicarum peritos, conf. Artemidorum, qui δυναμηροὺς Dardani, vocat μείζονας τῶν θεῶν, & πρεσβυτέρους καὶ τάξει προύχοντας (2) *Seqvuntur paredri*, sic dicti, quod essent ex eorum numeo, qui ante ob singulares virtutes in Deorum rationem relati, majoribus Diis fuerunt vel á consiliis, vel â ministeriis. Hi novitii & adscriptii Dii, ut aliqua divinitatis auctoritate censerentur, *somniis & oraculis & ipsi responsa dare & curationes facere* credebantur, quod in Æsculapio, Trophonio, aliisq, stulta credidit antiquitas, & quod de Hæphestione finxerunt, qui Alexandro adulabantur. Cumprimis vero fuerunt paredri *somniorum interpretes*, unde παρέδρους καὶ ὀνειροπομποὺς junctim posuerunt, justinus Martyr, & Euseb. hist. Eccles. lib. 4.

 (3) *Agmen*

(s) *Agmen vero claudunt Catabolici isti*, sic dicti, non tantum â victimis, (καταβολὴ significat θυσίαν, τελετὴν &c.) juxta aliquã notionem Grammaticam; quam ab officio juxta modum moremq; infernalium aliorum, uti vult Fulgentius. *Per catabolicos* itaq; hac ratione, nos intelligimus eos spiritus, *qui per arrepticios & energumenos futura prædicebant, quiq; suos plerumq; raptabant, dejiciebant & solo affligebant: hinc* καταβολικοὶ dicti; nam ut καταβολὴ per Pollucem significat ἐπίπνοιαν θεοῦ καὶ κάθοδον; Sic catabolici dicti sunt illi dæmones ac spiritus, qui suos clientes aut plurimum dejicibant, affligebant, prosternebant, novisq; sui ordinis impetibus replebant, conf. *Claud. Salmas. Notas in Ælium Spartianum pag. m. 40. seq.*

*Sicut* hi antiqui Græci habuerunt suos Deos *Dynameros, Paredros & Katabolicos*, h. e. potentes quosdam, ceu natura Deos, & illis ministrantes alios, â se promotos, nec non tertios qui super suos cultores irruebant, illosq; novis motibus replebant: Sic habuerunt nostri prisci Sveo-Gothi sub hac periodo viventes, suos Deos potentes ut opinabantur, adscriptitios deinde alios, nec non tertio istos irruentes. Inter *potentes* eorum Deos opinione vulgi eminebãt tres Upsal. *Thore, Odenus ac Frigga*: *Novitii vero* fuerunt, quotquot ipsi deificassent, ceu fuerunt 12. Sacerdotes Asiatici, quos Odenus secum in Sveciam ductos præfecit sacris victimisq; : sic enim de illis narrat Konũgasagun pag. 1. i hans tijd/ intelligit Niorden qui successit Odeno, dödde alle the andre Asianiske Gudar/ hwilka brende blefwo/ och hölles och dyrckades för odödeliga Gudar/ tillijka medh Niord effter hans Död. Novitii ergo Dii fuerunt nostris illi 12. Asiatici Sacerdotes ac judices, dicti drottnar eller Herrar / som han förordnade öfwer Folcket och Folckzens styrelse / uti habetur ibidem c. 1. & qui Novitii Dii plures ipsis fuerunt. *Catabolici* autem ut fere semper ac ubiq;

ubiq; terrarum fuerant maligni ac illiciti; sic neq; tunc neq; nunc unquam heic per Sveo-Gothiam publici fuisse putabuntur. Ut igitur constat quasdam personas in Græcia ac alibi terrarum passim, se mancipasse talibus furiosis ac fatidicis Diis; sic nec negandum est quosdam nostrorum priscorum fuisse per stultitiam ac cœcitatem, idem ausos, Inveniuntur proh dolor, nonnunquam adhuc sub tanta Evangelii luce, quædam catabolicorum talium Spirituum mancipia, præsertim apud lappones: minime itaq; dubitandum, quin inundante paganismo, tunc fuerunt plura ac frequentiora. Minime tamen largior in magna frequentia tunc repertos apud nostros, talium catabolicorum cultores: nam si plurimi iidem extitissent, præstigias Odeni advenientis omnino intellexissent; solis quippe præstigiis fascinationibusq; ille quondam nostros circumvenit, uti dicetur in ejus vita. Et quamquam pudor fatendæ artis quosdam tenuisset, quo minus illum proderent, aspernarenturq; regem; obstitissent tamen plurimi, ejusq; inaugurationem avertissent vel votis, vel consiliis, si fraudem singuli intellexissent: ut hinc bene concludere audeam, neq; publice unquam catabolicos spiritus â nostris cultos, neq; qui illos coluerunt, aut etiamnum colunt, alios fuisse aut esse, quam de gentis nationisq; fece ultima.

*Penates* vero provinciarum, civitatum, montium, collium, promontoriorum, insularum &c. nunc non attinet recensere, ut neqvè multa dicere habeo de iis, de quibus tamen plurima superstitiosi eorum cultores inter se ut certa etiamnum murmurant, & fide ingenti credunt: tanto magis nunc prætereo singularum domorum *Lares*, quos audio heic ut terrarum alibi, in cellis, horreis, stabulis equorum ac pecorum, &c. non cibatos modo; sed

& vestitos, ut res ædium suarum ornate componerent, rem familiarem augerent, nec non equos armentaq; alia impensus curarent. Et sic hactenus narratum *de Majorum nostrorum Diis cognitis*, expensis quasi, quoad species, nimirum (1) quatenus illorum alii fuerunt potentiores ceteris, h. e. quat aut potentes virtute & opere fuerunt, aut τῆς δυνάμεως ἀπολειπόμενοι, καὶ τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ ἧττονα σημαίνοντες. (2) Quatenus sub pactis privatis, in suos cultores alii irruerunt in futuris cognoscendis, alii non item. Et (3) Quatenus extra rationem civitatis publicam, credebantur præesse, vel certis civitatibus, &c vel deniq; familiis apud suos singulis. De Diis *incertis*, dicetur capite sequenti: & de *Diis sexus dubii*, infra ad Friggam.

## CAP. V.

*Inquirit in nomina horum antiquorum Numinum.*

Vidimus superiori capite non unius rationis Deos, cultos quondam â majoribus nostris, postquam terram invasit superstitio, credulasq; mentes occœcarunt præstigiæ hominum peregre adventantium; Videamus nunc quæ Numinum eorundem nomina. Heic ante omnia recolendum est, ut incognitos quosdam Deos venerabantur antiqui, propter numinum eorum incertitudinem, aut dubiam sexus rationem: sic suspiciebant alios, cognitos quidem, sed quos tamen exprimere nefas ducebant. Tales *ignotos*, *incertos*, *ac sui nominis non permittentes Deos*, constat ex veterum monumentis fuisse tam apud Græcos & Romanos, quam apud populos varios alios. Tertulliamus lib. 1. adversus Marcion. c. 9. expresse testatur fuisse Romanis æq; ac Græcis ejusmodi incertos, ignotosq; Deos: *Invenio*, ait, *plane ignotis Diis aras prostitutas: sed Attica idololatria est; item incertis Diis, sed superstitio Romana est.* Similiter de Romanis loquitur Minut. Felix

Felix in Octavio: *Dum undiq; ait, hospites Deos quærunt, dum aras extruunt ignotis etiam Numinibus & Manibus &c.* Ex his igitur constat clare, ignotos incertosq; Deos fuisse apud Romanos & Græcos. Nec minus clarum etjam in aliis gentibus fuisse ejusdem rationis h. e. ignotos incertosqvè DEos. De Celtiberis eorumq; vicinis, in borea habitantibus, scribit Strabo lib. 3. quos ait solitos *ἀνονύμῳ τινὶ θεῷ ταῖς πανσελήναις νύκτωρ πρὸ τῶν πυλῶν χορεύειν πανοικὶ καὶ παννυχίζειν* &c.

*Primum* igitur sat scio, quod horum ignotorum incertorumq; Numinũ nomina, â nobis haud desiderabis: nam ut *ignotos* Deos Veteres Græci & Romani non potuerunt exprimere suis nominibus, sic incertos superstitione capti, suis nominibus dicere noluerunt, ne quando eadem nomina exprimerent, quibus sub certis casibus, certisq; actionibus iidem minus lætarentur: Similiter nec nostri suos ignotos incertosq; Deos unquam nominarunt: De suis ignotis diis dixerunt antiqui exteri, quomodo obvios ignotos consuevimus vulgo peculiari formula compellare: *quisquis es.* Ita namq; canit Ovid. lib. 1. Metamorph. fab. 2. cum ignoraret cui Numini creationem adscriberet, nec ipse auderet eidem certum nomen tribuere; & Æneas apud Virgilium Æneid. l. 4. *sequimur te sancte Deorum, quisquis es:* conf. ibidem lib. 9. ubi Turnus: *seqvar omnia tanta, qvisqvis in arma vocas.* Deinde ut ignotis Deis affines sunt incerti, h. e. dii multorum nominum, de his igitur loquebantur iidem rursus suspense: quia timebant ut eos quamvis notos, compellarent nominibus minus gratis, dicebant ergo nè quã culpam errore sibi induerent, uti Ovid. loquitur lib. 4. Metamorph. qui postquam enarravit multa Bacchi nomina, subjungit, *& quæ præterea per Grajas plurima gentes, nomina liber habes:* aut sicut Horatius ad Dianam: *rite maturas aperire partus lenis Ilithya tuere matres, sive*

*tu Luc-*

*tu Lucina probas vocari, seu genitalis.* Ita exteri de Diis ignotis ac incertis. credibile igitur quod ab incertis ignotisq; Diis nominandis, semper similiter abstinuerunt veteres nostri, partim commodius ignorantiam suam ut levarent, partim superstitione capti, ne quemquam eorum nominis salutatione, unqvam læderent. Ut itaqvè Apulejus in oratione psyches ad Junonem lib. 6. & in sua ad lunam, libr. 11. postquam varia lunæ munera & nomina enumeravit, subnectit prudenti cautela: *quoq; nomine, quoq; ritu, quaq; facie te fas est invocare &c.* Sic credibile, & cautos fuisse nostros antiquos in Deorum nominibus memorandis. Quosq; Deos consequenter illi aut noluerunt suis nominibus dicere aut non potuerunt, eos nec nos nunc exprimere possumus: & vani sanè essemus, si diceremus nominibusq; exscriberemus eos quos prisca antiquitas vel suis judiciis celavit, vel penitus ignoravit: Imo, nec posset fieri, si periculum faceremus quin historiam conjecturis nostris, ac fortassis quoq; mendaciis, imprudenter aut impudenter macularemus: Ignotorum itaq; incertorumq; Numinum nomina nunc nos neq; subjicimus, neq; subjicere possumus id *primum* audi.

*Deinde* ut apud exteros olim nefas ducebatur quorundam Deorum nomina in vulgus efferre, ne ab aliis nuncupati suis nominibus, invitarentur prioribus sedibus relictis, in alias divertere. Romanis certe mos erat in urbium obsidionibus, ubi ad ultimam dimicationem ventum esset, tutelares earum Deos, certo carmine conceptisq; votis, in novas sedes evocare, uti constat ex Macrob. lib. 3. Saturn. c. 9. qui formulam evocandi quoq; tradit. Imo, ne in idem discrimen ipsi unquã inciderent, h. e. ne quis hostis, eorum urbis Deos tutelares unquã evocaret votis promissisq;, sanciverunt porro iidem, ne nomina Deorum suorum tutela-

telarium non modo non nominarentur, sed nec unquam quærerentur, unde Valerium Soranum mortis supplicio iidem condemnarunt teste Plutarcho, quod hoc arcanum ausus fuit propalare.

Sicut igitur antiquis Romanis visum fuit suorum quorundam Deorum maxime tutelarium, nomina celare: sic â singulis nominandis abstinuerunt pariter quondam nostri Sveo-Gothi. Supersunt hujus rei etiamnum vestigia haud dubia apud superstitiosos, edoctos ut credo, suam artem non tantum vanis magistris, sed & postea experimentis plurimis. Quotus quisq; nautarum etiamnum est, qui in mari nostro Balthico & australi, vult suis nominibus dicere insulas Bornholm & Jungfrwn ad litora Calmariensia, &c. antequam easdem est prætervectus? & quot eorum sunt, qui in hoc boreali maris balthici tractu navigantes, ante nominant, vel ab aliis nominari sinunt, insulas Biörn sub Uplandia, Jungfrwn sub Helsingia &c. antequam illarum fluctus transmisissent? Scilicet metuunt pleriq; aut certum damnum, aut ad minimum, præsens periculum, si aliter faciant: nec vana est hæc eorum superstitio, sed docet ipsa res eventibus frequenter illam probari. concitat sæpe aliter facientibus malam tempestatem Spiritus aëris, qua tum pii, indultu divino, probantur, at ejus clientes hoc est vani illi nautæ in sua fide superstitiosa, magis confirmantur. Contra vero si sacra eadem loca silentio antiquo coluerint, jam non tantum nullis procellis subito obruuntur, sed quoq; ibi portu quæsito, in pomaria ut ajunt, aliquando deducuntur. Scribo hæc ex relatione multorum, qui talia sæpius sibi contigisse, fide magna asseverant: nec est res in se prorsus absurda: nam sicut Sathanas bonis insidiatur semper, sic nunquam non suos superstitiosos vanitatibus frustratur. quærit quip-

pe quos non habet: & illaqueatos tenaci⁹ suis dolis servat imo, sic invaluit superstitio vetus, ut non modo sacraret silentio quasdam insulas, promontoria & loca nonnulla alia; sed ut quoq; vetaret aliquas bestias suis nominibus propriis ac specificis, exprimere, ac si tutelares Dii vel earum, vel suorum pagorum, non finerent eas suis nominibus dici. Ursum profecto non singuli rustici nominant suo nomine Biörn vel finnonice Karhu/ sed uti Sveci dicunt nalle, stoor foot/ Gullfoot: sic dicunt Fenni wanha mihes &c. Nec lupum ubiq; suis lingvis utraq; gens effert. Sveci aliquot nomina habent, plurima vero Fenni. Utriq; vero affirmant â lupo ursoq; vehementius se infestari, si quando eos suis nominibus justis edixerint: & si quando casus ferat, in pascuis ab eorum altero armenta sauciari, illico pronunciant non aliam damni esse causam, quam quod contra tutelaris Dei voluntatem, illius nominis coram aliis, imprudentes ante meminissent. Quæ superiora ostendunt, pariter apud nostros olim vicisse superstitionem, quo minus Deorum suorum tutelarium nomina semper & ubiq; loquerentur: docentq; porro eadem, quod sicut antiqui noluerunt eadem nomina efferre, suo metu perculsi, sic pro tempore non possumus nos illa dicere, priscorum informatione destituti. Ut igitur ignotorum Deorum nomina non potuimus ante dare, propter nostram majorumq; inscitiam: sic nec horum arcanorum numinum scientiam nunc damus ullam, laborantes ignorantia, quam majores non ex inscitia, sed sacro quodam silentio, consilioq; religiosi nobis fecerunt. De exterorum Diis ignotis, incertis ac memoratu interdictis consule Clariss. Andr. Bozium Profess. Jenensem in dissert. ad Aram ignoti Dei, Act. 17. De nostrorum vero antiquorum Diis iisdem, audi quid ferat traditio simplex, & experire ipse

quid

quid velint, ferantq; nautæ veteres, sub suis navigationibus. *Tria tamen tu hic dicis (1) Quomodo ignotos Deos potuerunt veteres colere? (2) Quæ forma colendorum eorundem aq; ac incertorum, & (3) An commode ex nonnullis insulis, lucis, promontoriis &c memoratu per superstitionem interdictis, possumus inferre, etiam apud nostros priscos, fuisse Deos, quorum nomina propalare ac in vulgus efferre, nefas ducebatur.*

Respond. ad I. Est omnino Deus absconditus & incomprehensibilis, unde dicitur absconditus aut ignotus Esaiæ 45: 15. & in tenebris habitare, Psal. 18: 12. Sed hac ratione non intelligebant eum ignotum veteres exteri, longa superstitione in idololatriam ducti: Neqvè nostros majores, qui ignotos DEos coluerunt, ad hanc notionem essentiæ divinæ, factam in ordine ad infirmitatem nostram, credo recte h.t. unquam respexisse. nam magis per Odenū, ejusq; 12. sacerdotes (som offrade Folck och fää/ och lärde en stoor affgudadyrckan öfwer alt/ Konungasagun c. 1.) corrupti jam erant, quam ad priscum Israëlis, aut Noachi morem respicere possent. Deinde sicut judæi tetragrammaton non exprimebant, sic gentiles causam illius silentii non intelligentes, sæpius judæorum Deum dicebant ignotum aut incertum, sicut Lucan. ait lib. 2. *incerti judæa Dei.* At nequè putabo nostros majores, hisce seculis viventes, ad hanc rationem respexisse, cum quod profundius in idololatriam jam essent prolapsi, tum quod non ignotum Deum, sed cum exteris aliis, (pluraliter) ignotos Deos impii suspicerent. Sicut igitur *vel Græci*, regione pestilentia laborante, cum consulta Pythia respondisset expiari oportere urbem & agros, nec cui Deo sacrum fieri oporteret, dixisset, invento Epimenidis qui tunc Athenis erat, jusserent demitti hostias per agros, sequiq;

eas sacrificos, & in quo loco quæq; constitisset, ibi mactari eam, immolariq; Deo ignoto propitio &c uti ex Diogene Laertio, colligunt Ludovicus Vives in l. 7. c. 17. Aug. & Kirkerus Tom. 2. Ædip. & sic statuto publ. introduxerunt morem extruendarum plurium ararum Diis ignotis per suos pagos. *Aut sicut Romani* devictarum nonnullarum civitatum Deos tutelares coacti sunt colere, tametsi eorum singulorum nomina ac munia singularia non intelligerent: imo, sicut iidem sub terræ motibus, non ausi fuerunt Dei nomen statuere, ne alium pro alio nominando, populum falsa religione alligarent, sic fuerunt nostris suæ causæ, cur in ignotos quoq; Deos propenderent: Scilicet voluerunt hoc titulo non tantum domum vocatis aliorum tutelaribus Diis sibi ignotis, servare sua sacra, sed & cavere, ne quem ex omnibus offenderent, seu prætermissum.

Respond ad II. de forma cultorum ignotorum numinum. Ut notis Diis veteres manifeste ferias proclamabant dicentes, exempli gratia, *Lavatio Deum matris est hodie, Jovis epulum est cras &c.* in ignotos tamen Deos quando descendebant nuncupatis feriis, ubi neminem nominare potuerunt, tantum subjiciebant, *quisq; ille Deorum est*, uti paulo ante audivimus ex Ænea & Turno apud Virgilium. Similiter ubi veteres inciderunt suis sacris in Deos incertos, considerarunt tales ne iidem essent nominum multitudine, an sexus varietate? Constat quippe eorum multos plura nomina habuisse, sicut ante vidimus de Baccho ex Ovidio, & sicut quoqvè scribit Seneca lib. 4. de Benef. c. 7. dum ait: *Quoties voles, tibi licet aliter hunc autorem rerum compellare. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera; hunc & liberum patrem, & Herculem nostri putant. Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam; omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie*

*varie utentis sua potestate, &c.* Pari modo constat eorum plurimos fuisse sexus dubii, de quibus nos infra. Deos multorum nominum salutarunt veteres aliquot nominibus enumeratis, ita Horatius ad Janum, lib. 2. Serm. *Matutine Pater seu Jane libentius audis*, confer Ovid. lib. 4. Metamorph. & Apulejum lib. 6. ubi illustria hujus rei habes exempla. Deos vero sexus incerti, ne quem errorem committerent inter pronunciandum, dum invocabant, utrumq; conjungebant, dicentes: *sive Deus, sive Dea es*, conf. Arnobium lib. 3. adversus gentes. Quibus modis jam veteres exterorum populorum colebant ignotos incertosq; Deos, iisdem illos venerabantur nostri, uti docent non tantum veterum traditiones ad nos demissæ, sed & rudera de antiquæ superstitionis fuco etiamnum residua. Culta igitur sunt ignota æq; ac incerta Numina apud antiquos, sed modo qua nuncupationem, suspenso, ut sic si eundem modum indefinitum respexeris, minime mireris, incognitum ac incertum Deum veneratione sacra esse nuncupatum.

Respond, ad III. Ut *nobilissima Sveonum natio in cultu vanis identidem Numinibus exhibendo, latiæ superstitioni se conformare olim semper advigilaverat*, verba sunt Messenii in Tumbis c. 2. ita minime dubium, quin ejusdem quoq; Deos ante recepisset, alias illam sequi non potuisset; imo nec sequi voluisset, quod diversi Dii diversas velint cultus rationes: ut igitur non affirmaverim antiquos meos populares, omnem latiam idololatriam induisse, sic quod silendorum Deorum tutelarium legem accepissent nequaquam negaverim: nam id ipsum abunde docet, non tantum crassa eorundem Deorum oblivio apud nos, & nobis aliquot seculis patres priores: sed & quod etiamnum, loca non pauca propter ipsos tutelares Deos, traditione

majorum,&opinione multorum modernorũ, silentio sint sacra. Scilicet ut Romani nomen non solum Dei sui tutelaris; sed & ipsius urbis proprium, voluerunt occultum ac arcanum: pari modo voluerunt majores nostri, non modo dictorum locorum & multorum aliorum, Deos tutelares non esse exprimendos, sed nec suis nominibus nuncupanda loca ipsa, in quibus iidem habitabant, quibusq; præsidebant. Duo fuerunt urbis Romanæ nomina propria, alterum omnibus notum ut *Roma*, & secretum alterum, ceu *Anthusa*, uti se moleste didicisse testatur Claudius Minos Comment. in Alciati Emblem̃: prius ergo & notum vulgo, etsi iidem paterentur semper ac ubiq; efferri; â posteriori tamen ceu secreto, & ipsi abstinuerunt, & alios abstinere in perpetuum voluerunt, *alterum ejus nomen dicere arcanis ceremoniarum nefas habetur*, ait Plin. Hist. Natural. lib. 3. c. 15. Similiter antiqui nostri ut facile tulerunt illorum locorum unum nomen vulgari, ab altero tamen ceu â Diis ipsis, semper temperarunt, maxime cum intelligerent ejus pronunciationem sibi magni constare. Credidit sic simplex antiquitas, fidemq; probavit, ut ante dictum, superstitionis vel eventus vel fructus.

Et hactenus satis fuse, pro instituto modoq; nostro, de antiquorum Diis ignotis ac incertis, sic dictis uti constat, propter vel existentiæ incertitudinem, vel nominum aut in se varietatem, aut nostram in illis pronunciandis hæsitationem; monet tempus ac charta ut juxta capitis titulum, de cognitorum numinum nostrorum nominibus certis liberisq; pronunciatu, nunc aliquid addamus.

*Primum* igitur heic uti & ante dictum, de sorte hujus capitis, rejiciuntur tutelares Dii quiq;, singuli antiquis aut ignoti & incerti, aut deniq; silentio sacri, & sic nobis

bis nunc minime memorandi. Nam ſicut inſulas pluri-mas, promontoria nonnulla, ſcopulos quosdam &c. ſilentio ceu numinum tutelarium quodam ordinato cultu, venerantur nautæ, ſic vocis inhibitione ſuorum numinum talium ſanctitatem fovent itidem alii, utpote piſcatores, Metallifoſſores, ſagittarii, Venatores, aucupes aut quotquot unquam theſauros reconditos in terra aut mari, feliciter quærunt. Non ſperat piſcator multos piſces, ſi multa voce aut plurimis ſalutatis, abeat piſcatum: ſicut nec felicem eum ſub talibus momentis probat ipſe eventus; aſt ſi omnibus aliis inſciis ille elabatur, tacitusq; antiqua fide ſui muneris ſingula peragat, ſpei aviditatem vix ſentit vanitate fruſtrari, maxime in paludibus & lacubus aut nemoribus craſſis, aut perpetuis montium jugis circumcirca obductis. Piſcatore non murmurantior in fodinis ſuis eſt metallifoſſor, ſimiliter quod ſilentium ſciat negociari lucrum, & vocem contra, ſæpius damnum. Silent pariter ſagittarii, non modo ne murmure aut clamoribus aves beſtiasqvè quibus inhiant, abigant, ſed ne cum ſuo damno, aut operis ad minimum laborisq; fruſtratione, veterem ſilentio colendi tutelaris Dii diſciplinam infelices evertant, & ſic etiamnum fere terrarum ubiq;, domi ac extra patriam, venatores, aucupes & ſagittarii fere ſinguli. Qui vero defoſſos theſauros in locis, ut ajunt, certis temporibus, igne notatis fodiendo quærunt, ut & qui benigno Deo oſtenſos alios in aqua, retibus aut harpagonibus trahunt, hi omnes ex veteri inſtituto tenentur ab omni voce abſtinere: & fert rumor non obſcuris auctoribus vulgatus, felices fuiſſe multos, qui vocem compreſſiſſent, contra vero omni ſpe, theſauris evaneſcentibus, fruſtratos cœteros, qui vel minimam vocem ante emiſiſſent, quam prædam ſuam bene ſupra ſu-

per-

perficiem terræ aut aquæ, eduxissent. Multaq; hujus rei subjiciuntur ac memorantur â variis exempla certa. Quæ singula prioribus cum addantur, facile docent quod est in thesi, nimirum tutelares Deos juxta disciplinam paganam, non esse nominibus suis propriis, aut aliis effusis sermonibus, colendos. Sic superstitiosis mentibus, etiamnū sub multa evangelii luce, illudit sathanas; in hoc â Deo nostro diversus, quod ut noster verus vult suis nominibus sanctis ubiq; locorum frequentari, sic nomina sua ceu impura detrectatur spiritus falsus, aut fortassis quod *tale silentium loco pignoris aut sacramenti* habeat ille primis suis cultoribus quondam imperatum. Non tamen penitus abstinet ille Dei nostri etiam sub hisce vanitatibus, simiam agere. Silentii testamento adstrictus prædа certa suos locupletat, quin & interdum ubi largiorē confert, ostendens suam benignitatem ac liberalitatem in dando, ibi vult ceu *pacto altero, ut sui modesti sint in accipiendo.* Subjicit namq; quandoq; inusitatæ magnitudinis aves piscatoribus, bestias venatoribus &c. ac vult ut earundem abstinentia sine dubio ut pacto alio, sibi probent suam obedientiam; si ergo easdem salvas demiserint, numina læsa non experiuntur, ast si easdem suis instrumentis confecerint, jam eadem sic sibi succensuisse discunt, sicut dum rupto silentio eadem pro more veteri, non caute satis sunt venerati, imo amplius, cœsis monstratis magis honoris causa, quā donatis inusitatis illis, sic indignatur Sathan, ut â tunc per certum intervallum neq; percussor, neq; quisquam alius ibi locorum quicquam memorabile amplius venetur, Deo alibi inopia prædæ nos mulctante propter multitudinē delictorū, & hic eodem facile connivente ad talem diaboli furorem in suos cultores, non tam ad morem ei tunc vel unquam, gerendum, quam ad juste premendum tales vanissimos idololatras

tras aliquo inopiæ ſenſu in naturalibus, ſicut aliter iidem juſtitiam ejus experientur certiſſimam in ſpiritualibus ac æternis: ſed de his alibi. Poſſent heic memorari pacta plura, inter tutelares Deos, & eorum cultores; ſed ſunt pleraq; eorum particularia, & certis Diis certisq; cultoribus ſub certis caſibus, adpropriata, veluti cum Lappones â venatione rengiferi domum revertentes, ſacrificare mox coguntur ex præda ſua, & ſic demum per antrum januæ apertæ obverſum in domos ſuas admittuntur: vide om denne reenhelgelſen Dn. Gabrielem Tuderum, p t. Lapp. Paſt. in ſuis narratis de Kitkåenſibus & Sombioenſibus Lapponibus, nuper detectis idololatris, ſed mox opera ejus, ad fidem Chriſti converſis. Ego heic votum fundo piis ſuſpiriis, ſi tales nos ante fuimus, aut horum ſimiles, ne nunc gratia ſalutifera auctos Deus ſuo ſpiritu deſerat, aut unquam patiatur amplius in tam craſſas ſpiritualis mortis tenebras prolabi!

Sequeſtratis ergo hic tutelaribus Diis, ceu incognitis quo ad nomina propria, ac porro nunc ſepoſitis Diis memoria interdictis, reſtat ut inquiramus in nomina Deorũ cœterorũ. Hic autem quo felicius progrediamur, recolimus ſtatim Deorum diſtinctionem, ſuperiori capite traditam, dum *primi dicebantur potentes, ſecundi aſſidentes, & tertii proſternentes*, eiq; attemperamus, quantum poſſumus, ſequentium Deorum recenſionem. Et ſine dubio ſunt *proſternentes*, ut primum incipiamus ab ultimis, itidẽ inter ſilendos Deos numerandi. Certi quid ſtatuere de illis non habemus, quoad nomina; in hanc tamen ſententiam inclinamus, quod nemo unquam ſub iſtorum raptu, qui ſæpius â vanis hominibus eſt ſollicitatus ac quoq; ſpectatus, audivit diſtincta voce numen aliquod invocari. Gutturi includunt proſtati vocem, turbanturq; adventitio ſpiritu, ut murmur quod cient, neſci-

as ab ipsis ne, an á spiritu prosternente, contingat: consopiuntur quippe sub raptum, ac post murmur aliquod, aliquamdiu jacent quasi exanimes, donec negocio expedito, veluti expergefacti, tandem reviviscant. A silentio itaq; prostratorum arguimus primum incubos istos spiritus, non velle sui mentionem. Deinde conqueritur quoq; dictus Dn. Tuderus de suis lapponibus, quod summâ fide sileant numinum suorum nomina, sine dubio, quod nefas sit eadem propalare; *ursisse se ait, conversos, ac quoq; praeces consultantium ac precantium examinasse, nec tamen Deorum nomina propria unquam percepisse*; unde nobis altera ratio, non velle prosternentes sui mentionem.

*Assidentes* vero videmus plures fuisse, ac tot nomina in eis usurpata, quot ipsi fuissent ante Deificati. Recensendi ergo heic sunt nunc varii deastri, & primum heroes quiq;, quos antiqui in Deorum numerum adoptassent, tum adjiciendi planetæ, quos superstitio ipsa ex traditione, in Deos extulisset, nec negligendi, qui superstitionem intulissent, Asiatici illi, veterum malorum vel institutores, vel renovatores, uti volunt multi ex recentioribus: Assidentum proinde Deorum prolixum invenies catalogum, si singulos recensueris promotos planetas, Deificatos heröas plures, nec non aliunde advertantes mirabiles alios. Fuerunt Odino Mago 12. Sacerdotes, hos primum putabis receptos inter assidentes, ac porro illis addes fœminas comites eorum plures; interq; illas numerbis trigesimam sextam Disam nostram, uti ex literis Arngrimi constat ad Stephanium, confer Clariss. Celsium Prof. Upsal. popularem & amicum meum honorandum, in computo Eccles. pag. m. 167. Plures igitur fuerunt olim *Dii Assidentes*, pluraque Assidentum nomina, quam quæ heic commode á nobis possunt recenseri: & Tu benevo-

nevole lector eos eorumq; nomina invenis passim, dum lectioni antiquitatum patriarum incumbis sedulus. Esset nobis nunc properandum, ad describendum *Deos antiquorum nostrorum potentes*; non possumus tamen non heic inserere catalogum falsorüm per Finlandiam nostram Numinum, quondam sub tenebris cultorum: quod illorum quædam sint pro Diis tutelaribus habenda, & cœtera inter potentia numina numeranda. Ergo.

## CAP. VI.

*Ubi catalogus quondam numinum Finlandorum:*

Rev. M. MICHAEL Agricola olim Episc. Wiburgensis, in præfatione sua ad Psalt. David. distinguit inter numina, quæ colebantur in Tavastia, & inter alia quæ venerabatur Carel a. *Tavastorum Dii fuere:* Tapio! Achtio. Æinimäinen. Rackoi. Liekiö. Ilmarinen. Turisas. Kratti. Tontu. Kapeet. Calevanpojat. *Carelorum* vero Dii: Rognoteus/ Pellonpecko. Wirrancannos/ Egers. Köndös. Ucko. Rauni. Kekri. Hysi. Woden Emä. Nyrckes. Hittawanin. Colluden häuti. Menningeiset. Kiwet. Cannot. Tädet/ cuta ja auringotta. Sed juvat audire auctorem ipsum rythmice loquentem:

Epeiumalat monet tesse/
　　Muinen palweltin caucan ja lässe.
Neite cumarsit Hemelaiset/
　　Seke Miehet että Naiset.
Tapio Metzest Pydyxet soi/
　　Ja Achti wedest Caloia toi.
Äinimäinen wirdhet tacoi/
　　Rachkoi cuun mustaxi jacoi.
Liekiö Rohot/ jwret ja puudh/
　　Hallitzi/ ja sencaltaiset niwdh.

Ilmarinen Rauhan ja ilman tei/
Ja Matkamiehet edeswei.
Turisas annoi Woiton Sodhast/
Cratti murhen piti Tauarast.
Tontu Honen menon hallitzi/
Quin Piru monda willitzi.
Capeet niös heilde Cuun söit/
Calewanpojat Nyttut ja mwdh löit.

---

Waan Carjalaisten Nämät olit
Epeiumalat/ quin he rucolit.
Rongoteus Ruista annoi/
Pellonpecko Ohran caswon soi.
Wirancannos Cauran caitzi/
Mutoin oltin Caurast paitzi.
Egres hernet/ Pawudh/ Naurit loi/
Caalit/ Linat ja Hamput edestoi.
Köndös Huchtat ja Pellot teki/
Quin heidän Epeuskons näki.
Ja quin Keuekylwö kylwettin/
Silloin ykon Malia joottin.
Sihen haetin vkon wacka/
Nin joopui Pica ette Acka.
Sytte palio Häpie sielle techtin/
Quin seke cwltin ette nähtin.
Quin Rauni vkon Naini härskyy/
Jalosti Vkoi Pohiasti pärsky.
Se sis annoi ilman ja Vden Tulon/
Käkri/ se liseis Carian caswon.
Hysi Metzeleist soi woiton/
Weden Eme wei Calat wercon.

Nyrckes

Myrckes Orawat annoi Metzast/
Hittawanin toi Jenexet pensast.
Eikö se cansa wimmattu ole/
Joca neite wsko ja rucole.
Sihen Piru ja Syndi weti heite/
Ette he cumarsit ja wskoit neite.
Coolluden hautyn Rooca wietin/
Joissa walitin/ parghutin ja idketin.
Menningeiset myös heiden Wffrins sait/
Cosca Lesket hoolit ja nait.
Palweltin myös palio muta/
Kiwet/ Cannot/ Tádet/ Auringot/ Cuutá.

*Hoc est, si auctoris linguam non intelligis, & levem translationem boni consulis.*

In Tavastia:

Tapio styrde giller i skog/ och Achti dref fiskarna i fiord.
Anewainen dichtade wijsor/ och effter Rachoi feck Månan lysa.
Leckiö rådde öfwer gråås och trä/ och Ilmarinen reesande knå.
Turisas unte seger i Krig/ men öfwer lagd skatt war Skrattens skrij.
Tompten lagade all huus i Gård/ och Capeet åto Månarna smålt.
Jätterne slogo gråås aff Ängiar/ och lijsade krafft lata Drängiar.

In Carelia.

Rongoteus gaff Rogen i Lor / och Pellonpecko
Kornet på For.
Wirancannos gaff Hafrans wärt / för Arter och
Kåål stodh Egres båst.
Köndös harkade Swed och Åker / och effter Wåår-
säd geck an Thorskålans låter:
När Ragnel Thorinnan begynte storliuda / bulra-
Thor och gaff nyt siuda.
Kekri ökte Booskap i Stall: och Hyst dreff Skogz-
diuren wall.
Watumodren fööste Fiskar i Nååt / och Nyrkes
gaff Eckornar aff Trääat.
Harar uhr Buskan gaff Hitawanen / men Maat
widh Grifter åt sielfwa Fanen.
Spöke togh Offer aff nygiffta Gubbar: som tå och
tientes Steenar och Stubbar.
Fast meer dyrcktes Stiernor och Måna / medh So-
len den stora Himmels Kana.

Et sic de Diis Fennicis leviter æq; ac breviter translator.

## CAP. VII.

*Insinuat occasione modo memoratorum Deorum, quasdam observationes.*

I. Numina falsa dici non tantum erectas statuas, aut jussa adorari elementa alia: sed & quæcunq; alia ultra voluntatem Dei quæ extulit, sibiq, præsidio posuit superstitio humana;: quomodo etiam b, Lutherus in Catechesi, precium bo-

norum

norum nostrorum operum, sub actu justificationis, adpellat idolum, eiq; confidentes dicit idololatras.

II. Numina falsa vanitate sua inebriasse quidem gentes varias nec tamen ubiq; eadem nomina servasse; Hinc sine dubio qui Tavastiis fuit Tapio, is Careliis fuit Hittawanin quiqvè illis fuit Achti, his fuit Nympha, vel aquæ mater, &c. & qui Svecis dicuntur Tomptegubbe och Skratten / Fennis sunt Tontu ja Kratti. &c.

III. Numinum falsorum nomina pleraq; vix propria esse, sed adpellativa, ac desumpta ab eorum vel officiis vel adjunctis &c. uti nos ante scripsimus. Ac sine dubio est Tapio â verbo tapa ·/. mactare; Ånevainen ab äni ·/. voce. Ilmarinen ab Ilma ·/. tempestate, Rongoteus â Rog & Deo. Pellonpecko â Peldo ·/. agro, &c. Tontu vero, Kratti / Calevanpojat/ Wedenemä &c voce ipsa facile ostendunt, quomodo non propria nomina sint, sed denominata.

IV. Est lis inter eruditos, Mars ne an Thore apud antiquos nostros sit Turras olim dictus? Pro Marte militat quod Scandiani illum quondam Tyr dixerunt, ac sidus ejus Tystungel/teste Buræo: Imo rectius Tyrstungel/ sicut quoq; diem ejus non tam Tyßdag quam Tyrßdag dici debere, monet Arngrimus in antiquit. Islandicis, conf. Amplis. Verel. in trad. Eddicis ac Clar. Celsium Computi Eccles. pag. 71. ubi priora argumentia hic ordine recenset: illis vero ego nunc addo, quod Fenni nostri Deum belli dicant Turisas, evidenti argumento (1) diversum eum esse ab Ukon ·/· Thore, ac (2) non alii id nomen dandum, quam Marti, qui vulgo putatur belli Deus ac hic expresse belli Deus nominatur.

V. Foret quoq; hujus loci numina memorata ulterius explicare, qua *sedem*, *cultum signa dona*, &c. quemadmodũ hæc talia de iis singulis etiamnum circumferri puto in runis antiquis,

tiquis, quæ apud provectioris ætatis quosdam, habitantes in paludibus Rovesiensibus ac Savolaxensibus, sub dulcibus jocis, ut ajunt, vel aliquo veteris fidei fermento, nonnunquam audiuntur. Vivunt ibi homines per vastas solitudines multasque paludes dispersi latius, quam ut ulla disciplina sacra aut civilis illos, qui nolint, commode juxsteq; unquam constringat, & sic absente magistratu, occasionibus quidam sollicitati, uti in antiqua propendent, sic antiquorum artem sermones serendo ac cantando, facile sustinent, si non eandē obliterari sobrii ægre ferant. Sed mihi nondum sunt eæ Runæ compertæ, non possum igitur pro tempore numinum singulorum naturam aut consvetudinem deducere, fundamentis destitutus. Faciant alii qui possunt. Ego quoq; si quando in istas incidero, quod licentior nominatorum locorum ratio non videtur negare, illas curioso lectori legendas non recusabo offerre. Interea quæ de eorum Deorum uno aut altero habeo dicenda, nunc proferam in medium.

Videntur antiqui Fenni, ut & quicunq; alij talia numina unquam sunt venerati, humiles semper adparuisse coram suis Diis, tum opem ab iis postulasse non ferociter, hanc aut illā, sed quam ipsi precibus fatigati, tandem ferre vellent, pro qua lata deinceps illi se totos in gratiarum actionem, majorisq; devotionis studiū effundebant ac mancipabant. Doceri hæc possunt ex reliquiis paganismi, quæ nonnunquam etiamnum gliscunt inter Lappones. Sistamus in exemplum Deum Tapio, aut quemcunq; alium illi sectaturi feras, hoc titulo religiosi suspiciunt. Illum iidem non ferociter compellant pro hac aut illa fera occupanda, sed precibus fatigant, ut aliquam det, quam ipse pro suo arbitrio omnino dare velit. Adparet id ipsum non tantum ex veteri eorum

insti-

instituto, sortientium prædam tympano ante, quam abeunt venatum, ac porro non alii feræ ista die inhiantium, quam gnomon tympani quam monstravit capiendam, ut vulgo nunc ex plurium relatione est notum; sed & idem constat amplius ex idololatriæ modo nuper inter Sombyenses ad paludem Subbi/detecto. Pergunt ad lapidem quendam, ipsis Zeit (terminalem) dictum, ibi incurvatam habent arborem instar carinæ, quam adpellant Hydenvenet ·/. blåkulle båât/ aut alio nomine luottemurit/ ·/· arborem confidentiæ. Coram hac suscipiunt suam arrham ut ajunt, */. humilitatis ac pietatis studium, quod fit per crebras quæstiones ac sortes. Scilicet sub hoc studio ubi Lappo, aperto capite prostratus, manibus suis dictum lapidem imposuit, infit: *summa humilitate ex tuo sacro loco te nunc compello, ac manibus quoque impono, rogans ut quam feram mihi hodie destinaveris, levata manu velis significare.* Tum enumerat species varias, ac ubi in eam incidit, quam numen isto die largiri intenderit, illico non lapidem modo levitari, sed & manum cum ipso attolli insanus sentit. Quæ recentia æq; ac vetera priora, ostendunt coram Tapione, aut qui alius est Deus ferarum, cultores ejus supplices adparere, arbitriumq; Deo semper permittere. *Deinde quod se in gratiarum actionem iidem effundant*, devotionisque pietatem intendere promittant, adparet ex prostrato Lapppone, qui voti compos factus, manu levata, statim gratulabundus Deum suum alloquitur: *Tu es meus Deus, vel, ita ita mi Deus*; & postea ferâ occupata, illi juxta institutam ceremoniam, ad aliam confidentiæ arborem, dictam vsi luottemurit/ rite sacrificat.

Singula v. hæc *tam supplicationis quam exultationis & gratitudinis momenta* spectantur in antiqua Ursorum Cantilena, vulgo apud nos dicta Biörnwyssa/ quam heic adponere pro-

pter curiosos, argumento sic svadente, non pigebit. Sic vero illa habet lingva Finnonica:

## Biörnesången på finska.

Medzän dyris woitettu
Tuo meil täntä terwentä/
Aitta wastan saalihita.
Tuo tuhatta tullesaßa
Saata sata saalihixi.
Julki tulin Jumalista
Cansa saalin iloisesta/
Joka ilman ihmet/ waiwät
Annon andoi/ rahan radei.
Cosca tulen kotihun
Colme nötä ilon pidän.
Ilos tulin/ ilos lähdin
Läpi laxo/ wuoret/ waarat/
Aja paha edellänsä.
Pertos tuli Päiwän tulo.
Päiwä tule wielä pertos
Cunnioitan sua jälistänsä
Wuosi wuodel saalihixi.
Etten unhoidz Ochton wirren.
Sitä wast wiel toisti tulen.

Lingva vero Svetica sonat ista Cantilena, seqventi modo, prout eam simplicibus Rythmis inclusit Dn. Tuderus,

## Biörnesången på Swenska.

Tu Dyre Skogzdiur som ligger här
Wunnen och fargat swåra

Til

Till wårom byn fullhelsa bäär
Och Roof til wisthuus wåra.
Til hundrataal oß skaffa Rooff
Aff samma slagh tilhanda
Hempta twjend til wårt behoff
När tu til oß will lända.
Ifrån de Gudar monde iagh
Rätt vppenbarligh komma
Som gåfwo migh gott Rooff i dagh
Förvthan sorgh til fromma.
När dagen Lius går bak om fiäll/
Och iagh heem kan fort komma/
Skall glädie stoor stå i mitt Tiäll
Tree Nätter vthi blomma.
Medh Lust och Frögd iagh hådanfoor
Öfwer the Bärgån leeda/
Och kom igen medh glädie stoor
The onda läät frånleeda.
Medh glädie thenne dagh vprann
Som nu för hand' mond wara:
Medh frögd och glädie åhn försann
Kommer den dagen klara.
Jagh wil tigh ähra immerfort
Och Rooff aff tigh förmoda
At iagh intet må glömma bort
Min Biörnesång then goda.

Vides hic extra rei detestationẽ, non modo arbitrium cœdendarũ ferarum Diis factũ, sed & pro dono illis vota nuncupata. Post cœsum ursũ, trium noctiũ tripudia facta, uti hic docetur; & post rengiferum occisum, non modo certum sacrificium institutum, sed & additas ceremonias alias: nimirum venato-

rem ingredi debere suas domos facta purificatione, non per Januam omnibus patentem, sed per foramen illi obversum, ipsis dictum pojhonråckå / â quo semper abarcentur mulieres, & quod neque viros admittit, nisi cum hâc præda domum revertentes, uti docebitur suo loco infra. Semper vero absq; propriis nominibus videmus tales Deos invocatos, ac quoq; laudibus celebratos, uti scripsimus ante & quod nunc est in thesi.

# CAP. VIII.

*De Diis cognitis apud majores nostros, ac in genere de tribus Upsaliensibus, Thorero, Odeno ac Fricca.*

Ventilamus in hoc capite nonnullas quæstiones, quas si probe excusserimus, erit nobis via in sequentibus facilior. Earum ergo esto

I. *An paganismus Sveo-Gothicus non plures Deos venerabatur, quam tres suprascriptos?* Hanc quæstionem quod concernit, videmus non negandum esse, plures DEOS heic per patriam olim cultos, quam tres suprascriptos. Videmus in Deorum numerum multos postliminio esse adscitos, quales inter alios, fuerunt Odini 12. Sacerdotes, olim dicti diar, nunc divini; omnes Deificati, uti loquitur Konungasun: adde illis deinde illustres personas alias, de eorum comitatu, aut extra, itidem in Deorum numerum receptas; & sic facile invenies plures quam tres DEOS olim hic cultos: imo, Upsaliensibus satis multos esse addendos, si singulos ferventis illius paganismi Deos velis recensere. Scilicet qüemadmodum Belum constituit olim Deum error populi in assyria, vide Kronicon Norinb. fol. 17. b. sic extulit nostrorüm error quosdam inter DEOS: & quemadmodum Lisania ex Arcadia vir maximi ingenii cum ad humanitatem scriptis pulchris legibus, red-

egisset

egiſſet rudes Atticos, Deus eſt creditus per admirationem, ac jupiter dictus, ibid. fol. 24. b, & 28. a. ſic deificarunt ſimplices noſtri, quos virtutibus excellere mirabantur. Imo, ſicut Siculi divinis honoribus extulerunt Cererē, ob auctam rationem agriculturæ, ac ob fructum inde redundantem, ibid. fol. 25. a. ſic extulerunt olim noſtri eos, qui ſe conſilio aut opera inſigniter juviſſent. *Sunt qui putant priſcis temporibus apud noſtros majores, ſingulariter cultos fuiſſe Planetas*, quod eorum nomina diebus ſeptimanarum ſuarum uſurpare iidem voluiſſent. Fatemur vero Chaldæos numerum dierum in ſacris definitum, planetarum nominibus expreſſiſſe, atq; ſic quemadmodum ipſi planetas venerabantur, una cum more ſervandæ hebdomadis, ſuperſtitionem ſuam aut idololatriam, aliis gentibus propinaſſe: fatemur deinde in patriam noſtram hanc eandem conſvetudinem nominandorum dierum perveniſſe, quod abunde docent ſingulorum dierum antiqua nomina, ſed an ideo cum nominibus heic ſuperſtitionis idololatria eſt recepta? potuerūt Chaldæi ſua vanitate multas gentes corrumpere, & an ideo cunctas, ac etiam noſtros majores corruperūt? an cum nominib⁹ ſic hæret nominatorū divinus cultus, ut non uſpiam queant illa ſonare imo, uſurpari, niſi mox hic celebretur? in Chriſtianiſmo retinemus adhuc planetarum nomina, in ſeptimanarum diebus exprimendis ac diſcernendis, ſed abſq; omni denominatorum cultu: non hæret igitur inſeparabili nexu cum nominibus, horum nominatorum cultus conjunctus. Ac proinde ſicut Fenni noſtri longe ante Chriſtianiſmum introductum, ex commercio cum aliis gentibus, fortaſſis noſtris majoribus aut Saxonibus, eandem conſvetudinem nominandorum plerorumq; dierum receperunt, abſq; tamen planetarum ipſorum admiratione aut cultu; ſic probabile

 olim

olim Sveo-Gothos, denominandi rationem suscepisse, nec tamen cum illa illico planeticam idololatriam induisse.

Deinde neq; est omnibus omnino planum, hebdomadis observandæ consvetudinem, una cum vetustâ superstitione in omnes homines ex Ægyptiis vulgatam, uti scribit Dio Rom. hist. l. 37. Nam quamquam non negaverim nostros majores quosdam planetas olim pro numinibus coluisse; veneratos eos fuisse solem, lunam &c, constat etiamnum documentis non contemnendis: *quæritur tamen heic an eos venerati sint occasione nominum, an ob causas alias?* Solis ac Lunæ beneficio videbant nostri foveri ac ali omnia: eosdemq; planetas intelligebant porro naturæ benignitate optimos esse, & evidentia operationũ potentissimos: hos igitur clara Evangelii luce destituti, uti voluerunt pro Diis venerari, sic crediderim ego eos id fecisse, magis quod suis experimentis ad id essent provocati, quam aliqua consvetudine exterorum ducti. Sicut igitur gentes aliæ cœteris planetis suorum regum nomina imposuerunt, aut planetarum ceu hebdomadum dies suorũ regum aut heroum nominibus ornarunt, uti constat ex Marte aut Turra Assyrio, vide supra p. 210. sic pariter nostri quibusdam diebus in hebdomadibus, imposuerunt suorum illustrium virorum primum, ac mox Deorum, probata nomina, inde Onsdagh/Torsdagh &c. Quando autem hæc nomina sic sunt â suis auctoribus facta, quave ætate auctores ipsi vixerunt, erit considerationis distinctæ inquirere, quæ mox sequetur.

II. Quæst. *Cur multis Diis proscriptis aut tacite suppressis, in ternarium numerum nostri antiqui propenderunt, & quidem horum Deorum, Thore, Oden & Fricca.* Fuisse illis plures Deos diximus ac ostendimus in quæstionis primæ elucidatione: nunc indicandum (1) *cur multos subticuerunt*? singulos suos Deos nostri sancte coluerunt; noluerunt tamen omnes ordine recense-

re

re, ne pluralitas ipsa cuiquam esset ludibrio. Cognoverunt Ethnici Deum non tantum esse, sed & esse unum: sic senserunt Ægyptii, statuentes δημιουργὸν ·/. mundi opificem unum esse, illis Knef dictum, vide Euseb. lib. 3. præparat. Evangel. c. 12. Et sic locuti sunt sæpius philosophi Græci, qui quanquam sciebant hanc suam vocem plebi esse ingratam, expressit tamen veritas talem confessionem, ut etiam cum suo periculo, illam aliquando recitarent. Socrates quoq; contempsit Atheniensium Deos; & qui gentiles unquam sobrii fuerunt, iî quoties serium quid promere voluerunt, toties maluerunt Deum potius, quam Deos dicere, vide Platonem Epist. 13. ad Dionys. & annon hoc ipsum est, gentibus quod exprobrat Lactantius l. 2. c. 1. dum dicit. *Cum jurant & eum optant, & cum gratias agunt, non Jovẽ aut Deos multos, sed Deum nominant, adeo ipsa veritas cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit*, &c. conf. Prud. in Apoth. & Descript. Norv. p. 160, Sicut jam aliæ gentes quæ sobriæ ac sapientes voluerunt unquam videri, ab imensa Deorum pluralitate semper abhorruerunt, cùm per se, veritate sic svadente; tum propter alios, ne in ore hominum aliter statuentes, pro ludibrio abirent: sic pariter â multis abstinuerunt nostri Sveo-Gothi, quotiescunq; seria essent acturi. Et hæc est causa, cur primum multos Deos sub seriis actionibus nostri aut proscripserunt, aut subticuerunt. (2) *Cur vero in ternarium numerum propenderunt*, vix res est judicatu difficilis. Recta ratio voluit ex more paganorum aliorum, tantum unum numen: at trium subjectorum reminiscebatur præteritorum memoria. Suspensi igitur nostri sapientiores inter dictamen naturalis pro tempore rationis, ac metum antiquæ fidei, quid aliud facere potuerunt, quam pati modernæ rationis imperium vinci, ac in rationem fidei antiquæ utcunque propendere. Tunc igitur uti mysterium S. Trinitatis

uitatis ante bene cognitum, non amplius percipiebant, sic trium tamen præcisa ratione, cujus indolis essent, religiosi reminiscebantur; & sic ternarius ni fallor, numinum numerus introductus, evictus ab iis, qui antiqua recolebant pia memoria, & ad probatus â cœteris in multitudine, qui sub eodem, mystico modo etiam alios Deos consulere aut venerari, & voluerunt & urserunt. Fingatur hic synodus religiosorum vel omnium, vel certe plerorumq;, ex Sveo-Gothicis provinciis congregatorum, & dicatur illa in tres factiones divisa. *Voluisse primam cum paganis aliis, unum tantum numen ex dictamine sobriæ rationis; at ex metu fidei antiquæ ursisse alteram, supposita tria: tertiam vero quæ multitudinis fuit, postulasse introductorum Deorum omnium cultum. Hic rationes rationibus esse oppositas, ac tandem prudenti seniorum consilio, damnato rationis vulgari imperio, eatenus in trinitatem metus prioris esse consensum, quatenus sub istis tribus, sua plura ac alia numina venerari multitudini facta fuit potestas* Et sic introductâ rationem colendi Deos directe ac indirecte, item compellandi eos sensu simplici, ac mystico. De quibus modis tot fere loqvuntur auctores, quot unquam de Diis nostris antiquis quidquã hactenus scripsere, ne opus habeas suspicari hæc talia á nobis confingi magis, quam depingi: Imo, nisi sub tali explicatione latitare possunt nostri antiqui, jam non modo fidei eorum interpretes vani jactabuntur, sed & ipsi stolidi, dum unum idemq; numen inveniuntur compellasse modo hoc nomine, modo alio. Scil. ejusmodi transitum fecit non aliqua eorũ stupida licentia, sed pactum ante sancitum, ferens ut quæ numina sub ratione simplici ante fuissent ubiq; distincta, nunc præsentium trium nominibus vestita, quasi jungerentur propius in unum. h.e. sanciverunt, veteres nostri, ne valde multi Dii amplius apud sese dicerentur, ac ut quotquot extarent, trium nominibus salutarentur, sub

quibus propria subjecta enunciarentur sensu simplici, & pariter sub illis, ceu schematibus, latitarent mystice cœtera quotquot illuc sua Theoligia illi tunc ordinassent. Vis exempla: *Solem* colebant veteres, at tunc non semper suo nomine, sed nomine Odini, uti ajunt multi: ego dixerim nomine Thoreri, uti infra constabit. *Mars* ille, gradivusq; pater, Gothicis qui præsidet armis, annon hic fuit cultus? fuit omnino; attamen in ejus cultu bellicosas nostras gentes arctoas ad solem inprimis respexisse, verosimile videtur Vossio Theol. Gentil. l. 2. c. 13. *quod sol fervore suo concitet sanguinem ad iram, ex quo bella.* Sub *Friccæ* nomine deniq; quot latitant numina? dicit unus sub ejus nomine cultam Dianã, alter sub ea dicit adoratam Lunam, tertius Disam, comitem Odini, quartus eam terram putat, quintus venerẽ, &c. voluntque singuli videri suum fundamentũ invenisse in historia veterum, quod tamen sane non invenissent ullum, nisi unum nomen, uti nos ante diximus, ferret mystice numina plura.

Objicis: *Noachidæ duo sunt commenti principia, pari vel suppari potestate, bonum unum, alterum malum*, Voss. l. 1. c. 5. *Ex his principiis in orbe hoc Arctoo quoq; nata est religio, duoq; constituti Dii, bonus unus, alter malus. Alter Thorus, princeps, dominus & q. Jupiter quidam aut Mercurius, auctor tempestivæ pluviæ, serenitatis, ubertatis, literarum & ejusmodi: alter Odinus, ferus, perniciosus, & q. Mars aut Pluto, auctor bellorum, cædium, famis, artium nefandarum, ut ex dictis liquet*, ait Scheff. Ups. Antiq. p. m. 77. R. (1) Manichæorum error fuit, duo ponere principia, alterum bonum, malum alterum. An autem similiter senserint Noachidæ primi, ignoro: Id scio, falsum idesse de iis omnibus, quod v. quidam sic senserint, Vossio credo. (2) Si cum iisdem sic senserunt nostri, cur tunc tria numina illi posuerunt, & non ut isti, duo? (3) Quia vero tria numina nostri nobilitarunt, inde manifestum indi-

cium, cum illis Noachidis noſtros non conſenſiſſe. Ac proinde (4) ad illorum originem noſtros non eſſe reducendos, à quibus ſemper abhorruerint, ſive pervetuſta fingatur illorum origo, ſive recens. (5) Illis ergo excluſis, ad eccleſiam veri DEI iſtos noſtros credimus eſſe reducendos in hoc ternario numero conſtituendo, nec omnem gentem ab illis vanis Noachidis deceptam, uti putat Voſsius. (6) Sicut igitur Æthiopũ quidam ac Arabum Homeritæ, de quib⁹ infra, teſtibus certis auctoribus, dicuntur religionem veram cum imperio transmiſiſſe in aliquot ſecula poſt natum Chriſtum: ſic potuerunt noſtri ad præſentia ſecula ante natum Chriſtum, eandem omnino ſervare, ſi non reali cunctorum præceptorum obſervatione, quod non ſperamus: ad minimum tamen memoria ipſorum Numinum, quoad numerum, uti nos paulo ante poſuimus: (3) *Cur autem majores noſtri ſub ternario numero, in hæc* (Thore, Oden & Frigga) *numina ſenſu ſimplici omnino propendebant cæteris excluſis: & cur non eodem ſenſu in alios Deos inclinabant, ſive per ſe cæleſtes, in quibus opinione eorum fuerunt ſol, luna &c, ſive in cæleſtium numerum relatos alios, vix eſt difficile noviſſe.* Equidem animis ſuis longe diviniores putabant noſtri Solem, lunam &c quam Odinum aut Friggam. Ut tamen exorientem ſolem veneramur pleriq; magis, quam decedentem; ſic tulerunt iſti noſtri loco numinum omnium nominari hoſce tres Upſalienſes, quod recentes eſſent, & quod præterea adplauſum inveniſſent apud diſtractos, nec non quod ſpem feciſſent, ſancte ſuis nominibus ſervari, quicquid unquã antiquis numinibus illi vellent ſacrum. Ecce quomodo nobis inſidiatur Sathanas: perniciem noſtram quærit, & adeſt tempore ſibi opportuno. Niſi diſtractis ſtudiis hoc tempore fuiſſent Sveo-Gothi, Odinus cum ſuis non acceſſiſſet, & ſi vel maximè acceſſiſſet: concordes tamen noſtri

ſtri eum nunquam admiſiſſent: at tunc diverſi facti eum non modo admiſerunt, ſed & ſtudio ſibi invicem nocendi, extulerunt, ac titulo ſanctitatis cujusvis infelices ornarunt. Commendarunt ergo Odinum ſuæ artes, at quod extollebatur, aliorumq; laudes involabat, fecit cum ſtudium noſtrorum erga tales advenas, tum præcipue inter certantes, æmulatio inimica.

III. Quæſtio eſt: *num paganiſmus Sveo Gothicus uno eodemq; tempore inclinavit in ſupranominatos tres Deos? Thorerum* diu venerati ſunt Sveo Gothi, ac fortaſſis exacte quadringentos annos, ante adventum Odini, uti definiunt non pauci: plura de tempore adventus ejus, dicetur mox in ejus vita. *Odinus autem ſi pro Aſiatico accipiatur*, ut vulgo ac tantum non ſemper accipitur, jam eſt ætatis longe ſequioris, & ſi minus hoc modo reducatur ille in ſeculum Cn. Pompeji, qui Judæos primum graviter ſubegit, 60. annos ante natum Chriſtum, eſt tamen reducendus in ſeculum aliquod Pompejano prius, quando Romani Aſiaticis ſunt terribiles viſi, ſive id fuit quando Scipiones Aſiæ imminebant, ſive cum varii populi, ac conſequenter Aſiatici, ante ad rumorem armorum Romanorum, inciperent tremere: *ſin autem accipiatur ille pro Marte*, uti non nemo dicit, jam fateor vetuſtū eum eſſe in ratione materiali aut ſenſu myſtico: nam Sveci diu coluerant Martē. Cæterum ſicut Martem antiquis temporibꝰ coluerunt Sveci non nomine Odini, ſed nomine Tyrs, â Turrha Aſſyrio, uti dictum ſup: p. 210. inde patet nec hac acceptione, eum eſſe veterē valde, ſed accipiendum itidem pro Aſiatico illo, de quo Snorno Der Odin war kommen met ſina Gudar nord i Landet / brugade de monge Konſter oc idret / ſom mange haffde udi lange tijdh ſidan hafft at fara met / och war Odin den fornemſte iblant dhem alle / aff hwilken alle dhe andra lårde Kon-

Konster: & paulo post. Oc swar hand derfore oc saa megit achtet oc äret fram for alle andre. Item de quo Arngrimus Jonæ in literis ad Stephan. Inter migrationis Asiaticæ principes dictos Æser, eminuit ceu singularis Aas, Odinus, cum adjecto: Den allmegste as/ conf. Konungasun. capitibus primis, ubi similiter Odinus Asiaticus extollitur, ac ætate definitur. Quocunq; igitur nomine consideraveris Odinum, si proprie eum consideraveris h. e. literaliter ac in sensu simplici, invenies ætate eum multum cedere Thorero, quod erat probandum. Plura de hoc eodem dicentur mox infra in ejus vita. *Friccam vero quod concernit*, videbis itidem nec illam cum Thorero, ætatis ratione posse certare: quia sensu mystico sumpta Fricca h. e. post sancitam Theologiam accepta mystice, pro Lũa, pro Venere &c. etsi omnino sit ætatis magnæ; attamen accepta eadem sensu simplici ut scriptũ invenio, pro Disa/ Göja/ Freja / aut Diana, non potest pervetus esse, cum quod ipsa personaliter fuit inter Odeni Asiatici comites, & quod Dianam colere in Europa, tertii aut quarti seculi ante natum Christum, fuit institutum, Manet proinde certum, nominibus paucis diversa ac plura significari supposita, uti dictum supra: & certius adhuc, Odenum ac Friccam qua sua nomina, demum longe post Thoreri natales, esse exortos, quod ad hanc quæstionem intendimus probare, & jam ut spero, probavimus documentis non contemnendis. Sed pergamus ad tres Deos Upsalienses.

## CAP. IX.

*De Thorero.*

Cœteris Diis Ubsaliensibus præmittimus Thorerum, quod *potentissimus eorum is fuit*, uti scribit Adamus, & quod ille vel

solus

ſolus ſedebat, vel *aliis altior reſidebat*, ut ait Ericus. De hoc Thorero rogamus notari ſequentes quæſtiones.

I. *Cujas fuit noſter Thorerus?* Sunt qui putent ipſum fuiſſe *Thurram Aſſyrium*, qui plagas arctoas multas ultra Thraciam, vicit ac paterno imperio ſubjecit, teſte Chronico Alexandrino: hunc â debellatis creditum ajunt iidem Deum, & ſic ab iisdem, Svecis noſtris quoq; ut Deum ac Dominum eundem commendatum, vide Scheff. U. Antiq. pag. 54. Alii ſuſpicantur eum fuiſſe *Ægyptiorum Teutam*, qui literas primus invenit: quod quemadmodum ille literarum gloria apud ſuos commendatur, ſic eodem nomine in noſtris extollitur Jordano teſte, Zeutas quidam, qui diu fuit ante Samolxen, & facili literarum permutatione, dici poteſt Taut, Theot, Thor &c, vide Scheff. pag. 64. *Neutram vero opinionem nos probamus*, (1) quod utraq; ſupponat demum poſt corruptam religionem veram, ex Aſia colonos huc adveniſſe, cum tamen fundamentis ſatis probis, ante ſit evictum, ſtatim â diluvio, occupatas eſſe noſtras terras. (2) Ponit utraq; opinio Aſiaticos huc armata manu veniſſe, ac gentem ſubegiſſe, ultra quam adhuc eſt dictum ab ullo auctore commodo, aut creditum â quoquam, antiqui noſtri ſangvinis, animiq; perito. Raræ ſunt victoriæ Meridiei in ſeptentrionem: at noſtros antiquos victricibus armis fuiſſe ſæpius illius terras emenſos, teſtantur, quotquot antiquorum noſtrorum unquam meminerunt. (3) Eſt verbum thoras /. audere, non Aſſyriacum aut Ægyptiacum? ſed hoc verbo uſi ſunt noſtri antiqui longe ante nominatorum adventum, ſi quis perſonalis eorum adventus, eſt fingendus. Sicut igitur gens Germanica Thuringi, non accipit derivationem â voce *duri*, quæ latina eſt, ſic nec accipit verbum noſtrum thoras/ denominationem ab ullo nomine Ægyptiaco aut Aſſyrio. Ipſum vero uti

domesticum est ac patrium, sic non potest non domesticum ac patriū docere eum, cui quodam jure olim suum nomen fecit. Thorus ferocē significat ait Grotius in glossario Procopii, h. e. dicitur â thoras ut loquuntur veteres, aut â töras/uti nunc loquuntur molliores: & sic ipse non per similitudinem Turræ dictus ferox, bellicosus: sed ex suo nomine Svecus, denotat potentem ac audacem. (4) Recedit quoq; tale studium primum â Zeute, quod literis nunquam faveat Mars, tum nec â Turra eum dicere potuerunt, quippe quem nostri sub septimanis tantū receperunt, ac â suo Thorero semper distinxerunt. (5) Illis ergo rejectis videntur majores nostri per Thore, non hominem aliquem intellexisse, sed cœleste numen, cum alibi potens, tum præcipue in ciendis tonitruis. Unde etiamnum in Norlandia, ingravescentibus cœli fragoribus, dicunt Thoren bulrar/ h. e. Thorerus strepit. (6) Et si sic Thorerum pro cœlesti numine tonitruorum nostri sint venerati, quod ego Norlandus non dubito, qui sæpe vidi ad strepitum ejus pueros prostratos se volvisse &c. jam profecto per illum neq; Turram intellexerunt, neq; Teutam, quod longe ante illorum adventum, aut omnem de illis famam, nostri audissent cœlum tonitruis quati, ac omnia certo numine cœlesti regi. *Dicis. attamen peregrinos alios acceperunt nostri, uti patet in diebus septimanarum exprimendis.* Respondeo verum id esse: nam uti artem illi acceperunt â peregrinis, sic artis ante facta nomina, non potuerunt non accipere. In credendo autem cœlesti hoc fulminante numine, neq; indiguerunt aliqua arte, neq; per artem, peregrino nomine. Contra igitur sicut cœlestibus corporibus imposuerunt alii nomina suorum regum aut heroum, sic idem hoc numen vel sui regis præstantis nomine notarunt nostri, vel certe suæ lingvæ commodo tali nomine, prudentes vulgarunt. Duo tamen adhuc dicis:

*Est*

I. *Est magna affinitas inter ante nominatos exteros, ac hunc nostrũ, præsertim si in literis quibusdã intercalandis, demendis, transponendis aut mutandis fuerimus faciliores.* II. *Testatur Sturlsonius in initio suæ historiæ, Scythas Asiaticos religionem suam propagasse in septentrionem, hinc ergo videri probabile inter nostros de Thoronis divinitate, ortam esse opinionem.* ℞. ad *prius*: si ad talem affinitatem vocum attendamus, lingvis confusis, item neglectis cujusq; vocis in qualibet lingva propriis significatis, jam tantum abest, ut aliquid distincti ac certi inveniamus, ut contra, Chaos confusum introducamus, prorsus contra modernam Dei optimi dispensationem, ac ipsarum rerum rationem. Rogantur ergo heic Critici, ut neq; hic neq; alibi velint nimium lectionis tumorem ostentare, ne dum quærunt debentque docti videri, nonnunquã inveniantur vel putentur ineptire. ℞. *ad posterius*. Sturlsonius non loquitur de Schytis tali modo: nec potest ex verbis ejus colligi, tumprimum Deum creditũ Thorerũ nostrum: imo, id inde planum est, de ultimis seculis ante natum Christum, eum loqui, nec sic tempus deificati Thoreri indicare, quem constat ante eadem secula, errore populi, an suis meritis, pridem Deificatum, aut sub certis operationibus, cœleste numen creditum.

II. *Quot Thoreri apud nostros antiquos?* Vulgo statuuntur düo Thoreri, *alter recentior, senior alter*: imo, si rem recte perpendimus, non duos tantum invenimus, sed plures. Scilicet possunt Thoreri dici, quotquot unquam ad imitationem Turræ Assyrii fortiter se gessissent, aut alias illum ignorantes, quotquot per se h.e indole domestica, fortes, audaces ac feroces fuissent; qua ratione plures Thoreri sunt agnoscendi, quia talibus heroibus patria nostra nunc ac olim pluribus abundarat. De tali quodam Thorero scribit Saxo in vita Hotheri: *Thoro inusitato clavæ vibratu cuncta clypeorum obstacula lacera.*

*erabat, tantum ad se incessendum hostes invitans, quantum socios, ad tuendum. Nullum erat armaturæ genus, quod impellenti non cederet* &c. & rursus in Haldano ait idem de alio: *apud Sveonas tantus haberi cœpit, ut magni Thor filius æstimatus divinis â populo honoribus donaretur ac publico dignus libamine censeretur.* Sed â Thorero primo ac veteri sunt hi tales diligenter distingvendi, quotquot illi unquam postea fuerunt, conf. Scheff. p. m. 57.

III. *Qua occasione invaserunt hi Thoreri veri nomen, cum tamen nihil fere habeant cum ipso commune: & annon aliud fortis homo, aliud fulminans cœlestis Deus.* Arngrimus in literis ad Stephanium docet quod *Asiorum alii aliis rebus præstabant, ut scientia vel magia Odinus, sic animositate Tyrus:* & hinc credo primũ novi Tyri nomen statim cum antiquo Thoreri nostri nomine esse mutatum, creditumq; animosum Tyrum, apud perculsos præstigiis Odini, si minus animosus is fuit: nam sic artibus suis nostros circumvenit Odinus, ut admirationi essent, quotquot ejus comitatum, viri ac fœminæ augerent. Deinde quia Romani ac Græci statuerunt Jovem, cui quintum septimanæ diem nuncuparunt, fortem ac magnanimum, sic pariter ad exemplum illorum, dicere cœperunt nostri ejusdem diei signiferum, suum Thorerum, robore animi ac bellorum audacia prævalere, maxime postquam pro vero Thorero, cœpit opera Odini circumferri ille Asiaticus Tyrus: & quæ causæ dantur plures, ob quas conjicere est, in cœlestis numinis nomen involasse terrenos, illi alias & studio dissimiles, & virtute longe inferiores?.

IV. *Quis igitur verus Thorerus?* Per Thorerum intellexere veteres nostri cœleste numen, imperans in aëre, ac dirigens tonitrua in fœcundandis terris nostris; mite idem, ac semper in usus humanos propensum, conf. Adam. Brem.

V. *Verus*

V. *Verus Thorerus cujus fuit ætatis?* Qui cum colonis ipsis turbatam statim heic putant religionem veram, illi recentem volunt nostrum Thorerum: putant eum susceptum ab Odino ac jerthare ./. terra. Scribitur in Edda lib. 1. cap. 11. de Asco & Emla. *ideo dictus est Odinus omniparens, quod pater sit Deorum omnium. Terra erat filia, & uxor ejus, & filius eorum Asa Thorus*, &c. hinc inferunt Eddæ interpretes ac fautores, si Thorerus est Odini filius, non potest primus esse, & si de Asa-Thoris est, non potest pervetustus esse, &c. Sed fabulosa est Edda in suis narrationibus, & exterorum multa nostris affingit: tum nec tempus bene distingvit, confundens Asiaticos novos homines, cum nostris antiquis. *Quod vero Thore noster non sit Odino postponendus*, inde patet *primum* quod inter Odini majores Edda numeret quendam VingiThorum: fortassis FinneThorum, nomen â Thoro compositum, indeq; ante Odinum, & cognitum ac usurpatum, Scheff. p. 57. *Deinde* patet idem etiam ex eo, quod majores nostri cœteris numinibus, Thorerum & non Odinum præposuerunt; id quod non fecissent, si eum ab Odino procreatum credidissent, quod filii etiam dignitate eminentes, non soleant in sessionibus, patribus præponi. *Cujus vero ætatis fuit noster Thorerus difficile est definire*: non displicet tamen opinio eorum, qui 400 annos putant eum fuisse, antequam divinis honoribus ornarentur Odenus ac Fricca. Incidit sic ætas ejus in seculum sextum aut septimum numeratum retro â nato Christo, & sic coincidit tempore cum numero, quando Strabo dicit nostros â Samolxe deceptos, sensim ivisse in idololatriam. Ante credo Deum Noachi nostros recte invocasse, sed tunc vicio mundi defecisse, tum ab aliis seductos, Dei gubernantis munia rarius cogitasse: excitatos ergo fragoribus cœli, vel commentos fuisse numen, quod illorum di-

rectioni præfecerunt, dictum Thore, quod nullius minas metueret; vel Deum verum invocasse nomine antiquo, si hoc nomen apud eos Deo vero fuit ante, sumptum a potentia ejus; quandoquidem nomine Thoreri ut potentiam Dei nominarunt nostri, sic gratiam ac opem supplices semper sperarunt: *Sed ita absq; præjudicio aliorum.*

VI. *Annon conjungendi sunt Dii Upsalienses, dicendumq; coætaneos esse omnes ac singulos.* Resp. Ante ostendimus cœteris tempore æq; ac dignitate, præponi debere Thorerum: quod vero Odinus ac Fricca tempore aut dignitate non sint pares cum ipso, nunc est amplius asserendum. Et primum heic reminiscimur, non aliquam gentem sic præcipitem ivisse in idololatriæ perniciem, ut uno eodemq; tempore plura numina majora confingeret. Svaderi posse plura numina & quandoq; etiam imperari, conscientiam tamen illis multis semper reluctari, ac sic ea invita, reluctanteq; ratione non facile in plura descendi. Vis exempla: tolerabantur olim in Ægypto varii, *Judæi*, *Christiani Mathematici*, *aruspices* &c at hi diversæ religionis homines cuncti coacti sunt Serapim Ægyptium colere; eatenusq; ibi sunt tolerati, quatenus singuli illum suis propriis Diis confitebantur superiorem, vide Flavii Vopisci Adrianum, ac conf. notas Salmas. p. m. 454. Similiter utut nostri coluerunt Deos varios, cœteris tamen omnibus iidem prætulerunt Thorerum, quem etiam eo nomine, non radiis modo illustrarunt, sed & medium inter duos stare fecerunt. Nec tempore uno simul ficta esse varia diversaq; numina, apud sapientes ac sobrios, ulla asserit scriptura. Sicut igitur Biarmienses forsan Alandenses, ubi duobrachiale mare, alterum Venheticum‵/.russicum, & Bothnicũ alterum, seculo 8 post natum Christum, non habuerunt multa numina,

mina majora ibi locorum, sed idolum unum; dictum Ic-mala/quod spoliarunt Thore hund/ ac Carolus cum fratre Gunsteno, vide Konungasagun cap. 132. cui tamen iidem postea ut verisimile numina varia adjecerunt: sic unum Thorerum tantum agnoverunt nostri primum, tametsi eidem postea & illi adjungerent Deos plures.

VII. *Quomodo vulgo describitur noster Thorerus? Potentissimus Thor in medio, solum habet triclinium. hinc & inde locum possident Wodan & Fricco*: Adamus Bremensis. *Potentissimus Thor in medio triclinio, strato pulvinari colebatur*, Krantzius. *Thor cum corona ac 12. stellis fingebatur* Olaus l. 3. c. 3. conf. Joh. *possidet insuper clenodiā tria, malleum videlicet, mialner dictum, quem Cyclopes & gigantes vibratum sentiunt, &c item manus fereas ad tenendum mallei manubrium*, Edda Mythol. 19. *Fuit imagine viri dextra sceptrum, sinistra septem stellas praeferentis*, Ericus Olai. *Qui ab initio erat Deus verus; & mox sol, is quoq; Thor aut Tur Svecorum, dominus & princeps & animosus; item ambulans in orbem, servans ordinem, & praescriptam viam, rotundus, splendens, totusq; flagrans igne, ut vult vis vocabuli*, Scheff. pag. 60. Tu vero benevole lector nota, has Thoreri descriptiones plerasq; depingere Thore non tam quamdiu primitus erat solus, dicebaturq; Thore, quam effigiare illum ut postea fuit ab Asiaticis, larvis vestitus ac mutatus, item describere eum, ut temporibus sequioribus is cœpit ex Theologia majorum nostrorum, mystice celebrari, & non amplius literaliter ac propriè pro primo explicari.

VIII. *Quorum ergo Deorum nominibus est Thorerus noster olim vestitus, & quorum aliorum epitheta induit is mystice, quoad sensum?* Celebritatem ejus imminuit cum Odino adveniens Tyrus, qui & eandem â serenitate trajecit in tristia, dum pro pacifico ac benigno constituit eum ferocem ac crudelem:

hinc epitheta; *clypeus, malleus, notus gigantibus, & manus ferrea*, &c, &c. secundumq; hanc rationem, ille nunquam non confunditur cum Odino, Marte, Jove, Hercule & ejusmodi pectoris hominibus aut Diis aliis, de quibus consule quid finxerint olim Poëtæ, quidve ex illis colligant hoc tempore, scrupulorum Magistri, partim rationibus veris, partim meris ac quandoq; fictis conjecturis inducti. *Vis vero scire quorum Deorum nomina noster præ se fert sensu antiquorum Theologico?* respondeo in voce Thoreri *sensum mysticum geminum esse, propinquiorem unum, & alterum remotiorem; utrumq; vero factum tam in vitiata ejus ratione, per Deos alios, quam in eadem, expensa quoad literam.* Thore ergo consideratus quoad literam, *significat proprie* Deum aëris ac ventorum & tonitruorum, *Adamus Bremensis.* at sensu remotiori, ac ex mystica sua Theologia, per eum intelligebant nostri sapientes, Deum verum, cœli ac terræ Dominum, cujus sub hac notione, attributa ille quoq; sæpius involavit ac usurpavit, *Scheff.* p.60. Similiter ubi Thore celebrari cœpit vel pro Tyrs, Odini comite; vel opinione multorum, pro Turra Assyrio, jam Martis naturam sensu propinquiori retulit in antiquorum Theologia, & sensu remotiori solem significavit, judice Vossio, ut modo notatum, imo, hac larva vestitus repræsentavit ratione adhuc vagantiore, tam ea numina, quæ soli sunt affinia, quam quæ ad Martis naturam unquam accessissent. Quemadmodum igitur Martis milites aut socii putantur, Jupiter, Hercules, Odinus &c. sic in licentiori aut tertia quasi notione, apud scriptores sæpe pro his usurpatus est noster Thorerus. Quæ omnia ubi probe notantur, facile â suspicione contrariæ relationis nostros historicos liberant, ac te quoq; ex labyrintho diversarum opinionum expediunt.

IX. *Quæ-*

IX. *Quæris: quæ itaq; adplicatio gestuum aut ornamentorum ejus?* (1) *Fuit is medius inter Oden & Fricco*, Adam idq; propter suam præcellentiam, ac præ illis eminentiam. (2) *Stetit ille cum ipsis, super quandam basin*, Arngr. Snorro. ad notandam suam promptitudinem, *aut si sedit*, ut vult Ericus, jam significavit se reliquorum regem esse ac caput, cum *sedere* priscis denotet potestatem ac imperium. (3) *Tenuit ille manu dextera sceptrum*, Adamus: itidem ad potentiam notandam: quod sceptrum transtulit *in clavam*, Saxo lib. 3. postquam eum ipsum commutavit in Herculem: quodq; *malleum* vertit Edda in Mytol. 59. ad innuendam vim ejus in comminuendis obviis, & sic vel literaliter considera vit eum pro fulminis Deo, vel mystice & notione secunda pro Hercule, cujus mallei vibratum senserunt Cyclopes & Gigantes, ut ait ibidem. (4) *Fuit illi malleo nomen miölner*, aut à candore Scheff. aut à mala'/. diminuere obvia; & quia (5) *illi malleo fuit figura fere crucis*, Sigvardus des laden apud Sturlson h. e. fuit instar sagittæ, nec non (6) *quia illi telo jungit Olaus ignem*, haud dubium, quin hoc ornatu acciperetur Thorerus literaliter, pro Deo fulminante in cœlis. (7) *Dicitur is corona cinctus*, Olaus: itidem ad potestatem regiam innuendam. (8) *Fuerunt circa ipsum 12. stellæ*, Olaus, Joh. ad significandum, per eum veteres nostros coluisse solem, qui olim propter radiorum suorum naturam, & quod 12. cœlestia signa percurrat &c, corona 12. radiis insigni frequentius est notatus, (9) *Fuit ille instar pueri aut viri, sedentis in vehiculo*, Chronicon vetustum; ad indicandum fulminis naturam, quandoquidem sub fragoribus cœli, dicimus Thoren åker: & (10) huc quoq; respexisse puto Ericum Olai, dum tantum *septem stellas ei assignat*, ac si iisdem pro vehiculo fuisset usus &c, &c. *De his omnibus consule Cla-*

*riss. Schefferi Upsaliam Ant. à pag. 38. ad 43. ac ex iis nota quomodo Thorerus noster, modo pro hoc numine sit notatus, modo pro alio, item quomodo pro alia atq; alia sui effigie, veteres nostri voluerunt eum pro alio atq; alio Deo usurpare, uti nos diximus supra in nonnullis quæstionibus.* Ac tantum hac vice de Thorero.

# CAP. X.

*De Odino.*

Ut propter opinionum diversitatem, narravimus vitam moresq; Thoreri, per certarum quæstionum elucidationem, sic juvabit vitam actaq; Odini quæstionibus includere, cum & illa diversimode ab auctoribus explicentur.

*I. Quæstio: Quot Othini apud auctores & historicos?* Saxo Grammaticus plures nominat; Meminit Odini sub Hadingo, qui vixit circiter 700 annos ante natum Christum, uti volunt Dani; item sub Rolfone, qui fuit tertius rex ab Hadingo, & sub Hothero Rolfonis successore; tum & sub Haraldo Hildetand qui vixit 270 annos ante natum Christum, meminit cujusdam Odini: Quod tempus cum explere hominis unius ætas nequeat, hinc duos aut tres Odinos credidisse eum, necesse est. Præter istos Saxonis duos aut tres Othinos, de quodam alio ejusdem nominis loquitur Snorro ac ex eo, Konungasagun / si seriem regum inspiciamus: nam in istam ætatem illi eum reponunt, ut octodecim generationibus primum Saxonis Odinum antevertat, ac fiat fere coætaneus nostro Othino, qui Gothis sub prima animorum separatione, obscurus princeps præfuit. Sin vero verba contextus in scriptis ipsorum inspiciamus, haud erit ille ætatis tantæ; nam cum historia ejus, miscetur historia Romanorum, unde neglecta serie regum, ad secula Veteris Testa-

menti

menti ultima, eum incantationibus ac præstigiis potentem, referunt Edda & Arngrimus: manifestum igitur duos ad minimum Othinos interfese â Sturlsonio ac Konungasagun misceri, & sic plures fuisse Odinos ut refert Saxo, quamquam in quam ætatem primus sit reponendus, diversum tenentibus auctoribus, nondum liqueat. *Alii duos tantum ponunt Odinos*, Asianum & Europæum, illum vocantes hin gamble ·/. priscum, & hunc Upsaliæ cultum, recentem adpellantes: ita Brynolphus Svenonis, & ex eo Wormius lib. 1. Monum. c. 4. Lis vero hic oritur, *an priscus ille unquam vidit Europam?* Fuisse quendam Odinum in Asia dictum priscum, testantur tabulæ genealogicæ Scalholtinæ, referente Wormio, sed tamen quod præter ipsum Asianum, fuit alius Odinus, item senior in Svecia, *qui moriens affirmavit se habitaturum in Guthem*, ·/. Scythia. *ibiq; se excepturum suos amicos &c & ad quem quærendum ivit Sveigderus*, testatur Sturlsonius. Isq; sine dubio, est Pauli Varnfridi Wodan, quem ait fuisse non in Germania, sed Græcia ·/. Græcis imperatoribus tunc confœderata Scythia, uti notant Grotius & Schefferus, conf. de his omnibus eorumq; planis deductionibus, Claris. Scheff. â pag. 83. ad 87. Upsal. antiquæ.

II. *Quæ descriptio Othini veteris?* Dicitur *â Saturno Cretensi, & regibus Trojanis ortus*, Wormius. *Thoreri pater*, Arngrimus. *vir non bellicosus modo, sed & supra conditionem humanam positus in cædendis hostibus, magicisq; incantationibus usurpandis*, Sturlsonius.

III. *Quid de hoc veteri Odino tenendum?* ℞ (1) Si â Trojanis regibus est, non æquat ætatem eam, quam quæ se fert Odinus apud Sturlsonium: crediderim igitur ut ad initia Trojana fabulæ pleræq; solent reduci, sic pariter fabulosum esse, quicquid de hujus origine certa multi narrant. (2) Thoreri

reri pater non poteſt is eſſe, ob rationes ante traditas p.228. & quamquam hoc nomine extollat eum Arngrimus, haud tamen dubium, quin in eo is erret, ſicut quoq; errare ipſum conſtat, cum in aliis multis, quæ refert ex Edda; tum præcipue dum Odini Sveo-Gothici adventum, primamq; Aſiaticarum gentium in orbem Arctoum immigrationem, factam duce & Anteſignano Odino, præciſe refert in tempora Pompeji, graſſantibus in Phrygia exercitibus Romanis, anno 24 ante natum Chriſtum. (3) Artes vero quæ de ipſo feruntur, neſcio an primum eum commendent, aut ultimum? non ultimum eum illæ commendant, quia poſt eum multi iisdem inclaruerunt: nec primum nominant, quia duce ſcriptura multi ante, iisdem artibus innotuerunt, quam hic ſub Hermete, zoroaſtro &c. uti aliqui volunt, unquam cœpit celebrari.

IV. *Annon igitur hic ſenior Sveo-Gothorum, cum Thorero & Frigga, Deus eſt?* ℞ (1) Aſiaticus fuit iſte ſenior, ortu & habitatione, tab. Scalholtinæ. (2) Sic fuit ille Aſiaticus, ut Græci eum prorſus ignorarent: nulli enim Græci ejus mentionem uſpiam injiciunt. veroſimile igitur eſt, eum aut prorſus fictum eſſe, aut ſic in Aſiæ aut Scythiæ partibus interioribus abditum, ut ignoraretur etiam ab iis, qui vera narrare deſiderarunt nec tamen in eum ſuis conatibus inter Aſiatica aut Europæa, unquam penetrarunt (3) Sicut igitur is non memoratur ullo auctore antiquo veniſse in Scythiam, imo nec certo & recenti, in noſtram Scandinaviam perveniſſe, hinc arguimus eum nunquam in Svecia fuiſſe, ac fortaſſis nec unquam in Scythia adparuiſſe. *Obj. 1. Odinus apud ſcriptores noſtros, ſemper opponitur Thorero, quomodo principium malum opponitur bono. 2. Hoc principium malum venerata ſunt aliæ gentes; credibile igitur quod etiam Scythæ, unde noſtra omnis & natio & religio,*

*ligio, eum coluerint.* ℞ in priori objectione peti principium vide sup. p. 220. & quoq; in secunda, *si distingvatur inter immigrationem primam ac generalem, quæ incorruptorum fuit subjectorum ac credendorum, nec non inter immigrationes alias particulares, quæ potuerunt corrupta esse quoad subjecta adpellentia nec non dogmata credenda.* De his quæ raræ sunt fingendæ, procedere objectionem; at fallere eam insigniter, si intelligatur pro immigratione prima, confer nostra superiora.

V. *Unde recentior Odinus h. e. noster Upsaliensis, quantæ ætatis ille, nec non quibus nominibus dictus? Ad primum*: Gothus fuit hic noster Odinus, Konungasagun cap. 1. sed tamen ex Asia eum fuisse docent unanimi voce, quotquot de ipso scripsere: quia ex Asia de exteris Gothis huc tunc ille adpulit. Locum vero sedis proprium Aasgard, unde venit, explicent, quibus vacat, dicantq; *nomen ne urbis sit id in genere, an nobilis urbis*, quod ut vulgo As nunc significat ex advenientibus divinum, sic Aas, unde Aasgard cum gemino aa more antiquorũ est åås/ denotatq; præcelsam urbem, aut quasi superne locatam, vel unde superiorum beneficio bona fluere possunt. *Deinde ætatem* Odini Upsaliensis quod concernit, sciendum neque tam vetustum eum esse, ut vult in serie regum Sturlsonius, ac ex eo Konungasagun: neq; tam recentem, ut vult in serie historiæ Arngrimus. Rejicies ergo hic Othinum hin gamble/ Scythis fortassis omnibus, certe nostris Sveo Gothicis itidem ut Fennis ac Germanis ignotum, & pariter excludes eum, qui tempore Pompeji apud nostros vixit, si modo quis eo nomine tunc vixit, ut vult Arngrimus; habesq; inter Saxonis illos tres, alium, quem pro hoc nostro potes renunciare, virum præstigiis aliisq; artibus occultioribus instructum, ac bellis admodum felicem; Adamus. Ego Hotheri aut Rolfonis Odinum eum dixerim, quod in eo conveniant circumstantiæ

tam sacræ, quam quas ex historia Romana, ad ejus ingressum narrant auctores pleriq;. *Inst. Odinus* hin gambla *fuit in Asia, ac quoq; in Scythia, sed prope Tanaim &c. ejus vero ornatu vestitur hic recentior, eo modo, quo advenientes Paulum & Barnabam si ipsi permisissent, jovis & Mercurii nomine ornare voluerunt Lycaonii Act. 14: Resp. (1)* Veterem illum fuisse in patria nostra, neq; dicunt auctores, neq; ostendunt monumenta alia & antiqua. Ut igitur hin gambla Wodan nunquam adparuit in nostris; sic fortassis nec nostri quicquam de eo unquam audiverunt: (2) Quia his iisdem coloribus apud auctores notatur recentior, non opus est ad veterem & peregrinum illum, refugere; sed concludendum modo sequenti der Odin spurda / at Gylfi udi Swenska Gotland hafde it gott land / drogh han öster til hanem / Snorro. ettha for Othin i Switiod / ther war sa Konger Gylfi hett / og er höfeti til Asiamanna oc Asie waru kallather / for han i moti ther / og bout ther i sit rike */. *Odinus proficiscebatur in Sveciam, ubi tum regnabat* Gylfi / *qui eum adventum Asianorum, adpellabantur Æsie, audivisset, obviam eis pergit, ac in regnum suum eos invitet,* ut ait Edda Mytalogica: Pauloq; ante natum Christum, *facta est prima Asiaticarum gentium in orbem Arctoum immigratio, &c* ut scribit Arngrimus Grym. lib. cap. 4.

*Sunt alii qui non unum duntaxat, sed plures Othinos in numerũ deorum relatos asserant. Unum namq; Thor Asiano antiquiorẽ ajunt, qui priscus dicitur, à Saturno Cretense & regibus Trojanis ortum, attestantibus tabulis genealogicis vetustissimis Scalholtinis, hic Asianus Europam nunquam vidit & Odin* hin gambla *vocatur: Alterum Europæum, cui apud Svecos Upsaliæ potissimum honores sunt delati &c,* ait Worm. lib. 1. Mon. c. 4. conf. Brynolf. & vide annotat: in Paul. Varnf. pag. m. 266, ubi à Wodano Prisco, alius dicitur Wodan Sveo-Gothorum, qui Adamo auctore, *bella regebat*

*gebat, hominumq́; ministrabat virtutem contra inimicos &c.* Et ita hactenus ex principiis quorundam Danorum & Norvegorū. Paulus Varnf. cap. 9. dicit: *Wodan, quem adjecta litera Godan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab universis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur, qui non circa hæc tempora (langobard) sed longe anterius, nec in Germania, sed in Græcia fuisse perhibetur. Ad tertium quæstionis membrum de diversis Odini* nominibus, respondent olim dictum eum fuisse apud exteros *Wodan*, ut ait Paulus: & domi Gauth, Snorro. En dag spunde Hortugen Snore met skiemt / om det wer sant / at Odin som i gammal tid war til / kallades met it andet nafn Gauta. Snore sagde ia / etc. Sed sic domi dicebatur ille, non ut Gothis faceret nomen, nec ut illi a se impostore nuncuparentur, sed ut innueretur, Gothis exteris eum innotuisse, imo, de illis fuisse. hinc quomodo hoc tempore â patria nostra aut gente, patimur & cupimus nos denominari; sic tunc â suis Gothis dicebatur ille certa dialecto Gauta. Contra illos qui additionibus, mutationibusq; literarum nimium indulgent, & in derivandis Gothis, hic absq; omni dubio errant.

VI. *Quæ descriptio Odini nostri Sveo-Gothici? Dicitur Wodan* â Wåde quia inducit in summum wåde aut periculum, qui se colere negligunt, Scheff. Upsal. antiq. pag. 71. *(2) putatur Thorero oppositus* Scheff. pag. 68. *nam ut Thorus erat Deus bonus, creditus largiri spiritum & vires ad conficienda salutaria, iram queq́; utilem ac necessariam, stimulum virtutis &c. Sic Odinus habebatur malus & exitiosus, quem colebant ideo, ut vel malis abstineret. vel in alios ea verteret,* idem pag. 70. ita ex Vossii Noachidarum descriptione, quæ falsa est, si cuncti intelligantur, vide supr. 220. ac infra in hoc eodem libro (3) *Habitabat apud inferos, & fortes simulabat se hospitio excipere, inebriandos ex craniis occisorum, variis dulcibus; ignavos autem canibus suis dare*

*dilaniandos*, Wormius apud Scheff. p. 71. omnia ad virtutem militarem accendendam, ac ut Martis naturam cognitam apud exteros ementiretur, item ut alterum q. Plutonem se apud inferos fingeret. Convenit ergo hic noster in multis cum Odino veteri, item cum Hercule Romano, quorum tamen neuter unquam venit in Sveciam, aut â Svecis est cultus, quantum hactenus ex monumentis literarum, licuit videre (4) *Fratres fuerunt huic nostro We & Wili*, denotantes dolorem ac ejulatum, Scheff. pag. 77. (5) *ipse armatus, ut refert Adamus; aut thorace ferreo, galea & hasta*, ad fingendam indolem Martis, Olaus. *aut dextera gestans gladium strictum & evaginatum*, Johannes, conf. epicedium Regneri lodbrofs apud Scheff. pag. 43. Alias (6) *Fuit ille monoculus*: Haraldo quippe *eventum oraculis explorare cupiente, senex præcipuæ magnitudinis, sed orbus oculo extitit, qui hispido etiam amiculo circumactus, Othinum se dici, bellorumq; usum callere, testatus est*, Saxo lib. 7. & porro, *vulgo dicitur Othin, armipotens uno semper contentus ocello*, scribit idem l. 2. (7) *Fuit is sapiens, nam dicitur Mimero cuidam alterum ocellum vendidisse aut dedisse pro haustu aquæ nescio cujus, quæ in se miram vim ad conciliandam gignendamq; sapientiam habebat*, Edda, Brynolphus (8) *Illam sapientiam habebat inclusam annulo cuidam, dicto drupner aut driupner, quod nona qualibet nocte alii octo destillarent de ipso, pondere ei pares*. Scheff. ex Edda, pag. 43. (9) *Creditus est & eqvum possidere, cujus nomen Sleipner*: qui fuit *magna altitudine*, Saxo l. 3. *tantaq; vi ac celeritate, ut absq; tactu transvolaret januam clatratam*, Edda, *quique sæpius pingebatur cum Odino suo sessore*; at nec infrequentius absq; eodem, postquam sæpius notatus, non potuit non sessorem indicare, Scheff. pag. 44.

*VII. Vis scire, quid nos sentiamus de hac Odini descriptione?* respondemus, multa de hoc Odino narrantur per ambitionem

& sunt

& sunt quædam eorum non inusitata modo, sed & prorsus incredibilia atq; vana: alias videmus in ipso confundi duos Odinos, nec posse singula de hoc nostro exponi, nisi distingvatur ut in Thorero, *inter sensum literalem & mysticum*; & adplicetur: potuisse ratione mystica in ipso ac per ipsum, colere Martem, Mercurium Plutonem, &c. qui ea numimina ante accepissent ac probassent: sed contra qui nihil ante de iis inaudivissent, quales simplices putamus fuisse nostros tunc temporis Sveo-Gothos patrios, nec tunc extra literam, ullum numen aliud per ipsum, fuisse veneratos. *Ac tantum de Odino nos hac vice: plura qui desiderat, eum ad Clariss. Schefferi Upsal. antiq. remittimus, ubi inveniet auctorum multorum allegata loca, & erudita alia.*

## CAP. XI.

*De Fricca.*

In templo Upsaliensi &c. *statuas trium Deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium, hinc & inde locum possident Wodan & Friceo. quorum significationes ejusmodi sunt: Thor inquiunt, præsidet in aëre, qui tonitrua & fulmina, ventos, imbresq; serena & fruges gubernat: alter Wodan ·/. fortior, bella regit, hominumq; ministrat virtutem contra inimicos. Tertius est Fricco, pacem voluptatemq; largiens mortalibus, cujus etiam simulacrum fingunt ingenti Priapo, Wodanem vero sculpunt armatum, sicut nostri Martem sculpere solent. Thor autem cum sceptro jovem exprimere videtur*: verba sunt Adami Bremensis in Septentr. populorum hist: De Thor & Wodane diximus nos hactenus, restat ut de tertio Deo, aliquid similiter addamus, cujus vitam ut duorum priorum tam ex beneplacito, quam propter diversas auctorum opiniones, quæ sic rectius ni fallor, possunt examinari, includimus quæstionibus sequentibus.

 I. *Quo*

I. *Quot ei nomina propria quoad literam, & cur tam quoad scripturam quam nomenclaturã variat?* Dicitur hic Deus & scribitur apud auctores; *Frigga*, *Fricca* & *Fricco*. Sic autem pro Frigga facile scribitur (1) Fricca, quia apud veteres c. sæpe ponitur pro g. ut *docma* pro *dogma*, & *diocmitæ* pro *diogmitæ*, conf. Salmas. in notis ad Jul. Capit, pag. m. 92. (2) Cur vero *Fricca* hæc nostra adpelletur terminatione masculina, ab Adamo Bremensi, qui vixit seculo 900. post natum Christum, & plerasq; nostrorum vanitates optime novit, res est ut interpretor, rationis sequentis. Habuerunt antiqui multos Deos sexus dubii, ac quia Adamus metuit ut in eorum numero esset *Frigga*, itaq; ad significationem masculinam innuendam, voluit eam sub *Fricco*, genere masculino nominare.

II. *An igitur dantur Dii sexus dubii?* Supra pag. 200, recepi me in Friggæ vita de *dubii sexus Diis aliquid* memoraturum: nunc igitur huc provectus non possum non de iis, aliqua inserere, ac potissimum monstrare, quod credidit antiquitas, tales Deos olim fuisse ac viguisse. *Carreni lunam Marem non fæminam esse censebant, & fæmineo genere minime enunciandam: Lunum Deum igitur, non lunam volebant & dicebant*; confundentes μῆνα & σελήνην, imo, si minus id procedat de ipsa terminatione, quæ quandoq; nec arte nec consvetudine sic potest verti, manifestum tamen, *quod in sensu mystico in fæmineis vocabulis veteres Græci & Ægyptii sæpe Deum colebant*, scribit Salmas. p. 164. Sicut ergo Carreni Lunum volebant, & sicut aliæ gentes sub luna mystice colebant Deum, sic ferme non fuit apud veteres, quicquam numen, quod non sub utroq; sexu est cultum. De *jove* canit Orpheus: Ζεὺς ἄρσην γένετο, ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετε νύμφη. quod Aupleius lib. de mundo vertit;

*Jupi-*

*Juppiter & Mas est, & fœmina nescia mortis.*

De venere canit Æneas apud Virgilium l. 2. vers. 632.

*Descendo ac ducente Deo, flammam inter & hostes expedior &c.*

Ad quem locum Servius commentatur: *loquitur secundum eos, qui dicunt utriusq; sexus participationem habere numina. sicut etiam in Cypro est barbatæ Veneris simulacrum.* Conf. Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 8. qui ait: *doctissime dixit, ducente Deo, non Dea: nam & apud Calvum Acterianus affirmat legendum; pollentemq; Deum Venerem, non Deam. Signum etiam ejus est Cypri, barbatum corpore, sed veste muliebri cum sceptro & statua virili, & putant eandem marem & feminam esse. Aristophanes ἀφρόδιτον vocat. Lævinus etiam sic ait: Venerem igitur almum adorans, sive fœmina, sive mas est, ita ut alma noctiluca est. Philochorus quoq; in Attide eandem affirmat esse lunam, & ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili: quod eadem & mas æstimatur & fœmina.* Ex quibus adparet credidisse antiquitatem multa numina fuisse sexus dubii, ac in iis hoc nomine cumprimis circumferendos *jovem* auctoribus Homero ac Apulejo, nec non *Venerem*, auctoribus Virgilio, Servio ac Macrobio: imo, quod similia crediderint veteres de *luna*, non tantum in ratione mystica, ubi illa ponitur nonnunquam pro Venere, sed & in sensu literali, adparet ex Ælii Spartiani Caracallo; qui ait: *Et quoniam Dei luni fecimus mentionem sciendum, doctissimis quibusq; id memoriæ traditum, atq; ita nunc quoquè à Carrenis præcipue haberi, ut qui lunam fœminio nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper serviat: at vero qui marem Deum esse crediderit, is dominetur uxori, nequè ullas muliebres patiatur insidias, &c.* Sed sciendum quod unius numinis diversitas in sexu, non tam pendeat ex diversarum gentium aliis atq; aliis institutis, quam ex interpretatione & commixtione sensus mystici cum lite-

literali. Erat pontificum interpretari antiqua numina, & eadem interpretabantur illi fere ad naturam rerum: quia igitur in eodem numine aliquando quod viri, aliquando quod fœminæ esset, invenere, illud & marem & fœminam fingebant. Et licet omnia numina utriusq; sexus nomine compellata fuisse non inveniamus, creditum tamen fuisse sapientioribus, utriusq; sexus numina esse omnia, adducta verba Servii & Macrobii facile testantur: Hæc igitur dum compellârunt, dixerunt: *sive tu Deus, sive tu Dea es*: Arnob. lib. 3. adv. gentes. conf. Buxhornium quæst. Rom. 13. ubi talis inscriptionis lapidem producit: *Sive Deo, sive Deæ, C. Ter Dexter ex voto posuit*: &c. & sic cum genere masculino commiscuerunt antiqui marem, ac cum fœminino fœminam; imo, sub alterutro eorum, sæpe utrumq; fecerunt, uti ibid. testatur Arnobius.

III. *An de talium numinum genere, fuit nostrorum Frigga?* Resp. Fuit utiq;, uti modo visum ex Macrobio, propter suum sensum mysticum; & ideo eam *Fricconem* scripsit noster Adamus.

IV. *Quam vetus nostrorum Fricca?* Resp. Fricca consideratur dupliciter, h. e. *vel mystice, vel literaliter*. Mystice sumitur illa (1) *pro terra*, & sic est vetustatis magnæ: nam ut solem diu venerati sunt veteres, sic quoque terram; ac ut illum iidem coluerunt sub nomine Othini Prisci h. e. inter omnia numina aut primi, aut cum primo certantis; sic coluerunt hanc ceu numen sexu illi respondens sub nomine Friggæ: & hinc fabula Eddæ, de coniugio Othini ac Friggæ, ex qua susceptus Thor: quæ omnia tolerari possunt in sensu mystico, quia ibi singula inveniuntur, aut inde per eruditos, allusionibus facile eliciuntur. Ast hæc ut quovis postero tempore possunt institui ac fingi, sic ficta minime debent urgeri diu

extitis-

extitiſſe, & facile apud rem recte intelligentes leviora quoq; ſunt, quam ut in priſcam antiquitatem, eam deducant, conf. ſupr. pag. 223. & 229. (2) *Accipitur Fricca myſtice pro Venere*: qua ratione nec iterum valde antiqua erit, quia Veneris pervigilium non tam eſt antiqvum, ac ſibi perſvaſerunt viri docti, quod Salmaſius recipit ſe probaturum, ac Notarum pag. 90. putat oſtendi poſſe ex poëmate:

*Ruris heic erunt puellæ, vel puellæ montium,*
*Quæq; ſylvas, quæq; lucos quæq; montes incolunt &c.*

*Alias literaliter ubi Fricca accipitur, eſt illa eadem cum Freja*, quod patet ex vocabuli conveniētia, ex locorū collatione, nec non ex deſcriptiōe cœtera: utraq; namq; colebatur propter annonā, Scheff. U. Antiq. p. 96. & utraq; pacis ac traquillitatis Dea, ibi. 97. Ais: *ſi Freja eſt, etiā eſt valde antiqua, quia Freja quarta princeps eſt inter Sveo-Gothos, ac tantæ antiquitatis, ut ſexta numeretur ante unquam nominatos Danos*, Snorro, Konungaſagun. ℞ Sic quidem regum ſeries ibi pertexitur, at eandem non probant neq; Sveci neq; Dani: contra vero uti aliter regum ordinem ex antiquiſſimis monumentis nos legimus, ſic eundem ſuis principiis innixi, itidem invertunt Dani, quod probe obſervandum, in Sturlſonii hiſtoriam præfatione ſua monet Doct. Wormius. haud igitur metuendum, undiquaq; vetuſtiſſimam eſſe noſtram Friggam, (idem judicium de Odino) quamvis his auctoribus, in longam multamq; ætatem ea reponatur: nam deceptos auctores in vitis regum nectendis corrigit, Wormio teſte, utriusq; hiſtoria, quæ hic ex ſuis circumſtantiis civilibus ac ſacris expenſa, facile oſtendit hoſce nominatos, Odinum intelligo & Friggam, non tantum non ad antediluviana tempora accedere, ſed nec ætatem Chriſti multis ſeculis ſuperare, conf. inf. pag. 252.

V. *Quotuplex nostrorum Sveo-Gothorum Frigga?* Snorro distinguit *inter Friggam & Frejam*, *& sic duplicem eam ponit*; Unam antiquitus Deam creditam, ex fabula de Odino, & alteram quæ cum priori est confusa. De priori loquitur hoc modo: der alla Swederne finge at wide/ at Frôi war wist dôd/ oc fred oc åhringer ware dog wed macht i landet/ da trodde de att saa skulde altid blifwe/ saa långe hun blef i Swerg: Thy wilde dhe icke brende hinder/ men ofrede mest tilhinder/ for god tid/ oc fred oc jordenes gråde altid der effter. & post pauca, men kallede hinder/ werdens gudinna/ etc. Similia habet Konungasagun cap. 4. Freja Niordz Dotter hôlt ofret wid macht/ alldenstund hon allena tå lefde igen aff dhe andre Gudar/ och effter i hennes tyd war god freed och ymnogheet på all åhrswåxt/ troddes hon och råda dher ôfwer. Hennes Man heet Odder. theras Dôttrar wore dheße Hnoß oc Gersimi/ aff huilkas nampn alla dyrbare clenodier sedan blefwe kallade/ Hnoß och Gersimi/ fôrty dhe wore så degelige. på samma sätt blefwo och Fruer nemda effter Freja/ at hwar hustru kalladès Fru/ eller hußfrena i sit hws. conf. Arngr. qui itidem distingvit inter Friggam & Frejam, dicitq; *Asiaticæ fæminæ sunt divinos honores sortitæ, & quidem numero plures. prima Frigg Odini conjux, Freja altera, tertia Fulla*, vertente Scheff. Posteriorem vero reponunt iidem in tempora recentia, circa rationem temporis, seriemq; regum, ut ante dictum, multum incerti ac decepti. Ut vero (1) Falluntur circa chronologiam tam in primis regibus recensendis, quam in memorandis posterioribus ac iis, qui ad tempora Haraldi adpropinquant, sic facile per ipsos, diluitur hujus Friccæ antiquitas. (2) Quamquam deinde physicus aliquis bene collegerit, ex vaporibus ac exhalationibus collectam sulphure-

am *ma-*

am *materiam in aëre tonitrua* ciere, ficq; non modo *Thor* fulminantem fpiritum veterem effe, fed & illo veteriores ponendos *Odinum ac Friggam*, h. e. cœlum cujus beneficio, ac terram unde illi vapores extrahuntur: non tamen adhuc probatum ullo auctore, hanc collectionem pridem ac jam tum poftdiluvianis primis feculis effe factam; poffe igitur illam in tempora recentia reponi, ac per confequens ex ifto principio doctorum myftico, fruftra in antiqua tempora referri Frejam, item propter temporis intercapedinem mentalem, â Frigga diftingvi, aut hanc ab illa feparari, ut vult Arngr. Konungaf. ac Snorro.

VI. *Quomodo defcribitur Frigga?* ℞. *Friggam pro fertilitate & abundantia frugum & fructuum terræ, hominum jumentorumq; honorabant & affidue venerabantur*, Ericus. *colebant eam pro pace, voluptatibus corporis & fœcunditate copiaq; liberorum*, ait auctor Chronici antiqui â Meffenio editus. *Pacem voluptatemq; moderatur*, Olaus. Fuit *pacem & voluptatem largiens mortalibus*, Adamus. *De ea ut de viro armato loqvuntur* Adamus & Crantzius; Olaus arma ejus depingit, *dum nudam eam fingit, ac cum gladio & arcu*: *Sed an armata fuit*, ignoratur, ait Schefter. &c, &c.

VII. *Quaris quid nos ftatuimus de hac ejus defcriptione?* ℞. Sub uni9 numinis titulo etiam hic velari quæ funt multorum, & fi usquam alibi in numinum nominibus certe hic fenfum literalem cum myftico ac allegorico, mifceri de induftria: confunditur quippe noftra Frigga (1) *cum venere Romanorum*, quod quemadmodum illa afflatu amoris, virgines mundiales h. e. fub tutela exiftentes, fecit per conjugia mundianas; fic pariter facro amore credita eft noftra Frigga puellarum pectora moviffe, ut fefe maritis committerent, Adamus ac Olaus. Et quemadmodum Venus pul-

chritudine sua versavit juvenum animos in se ambienda; sic sub nomine Frejæ fœminæ formosissimæ Konungasagun, sollicitavit hæc nostra juvenum animos oculosq; in sui admirationem ac amorem, Olaus: Kronicon. (2) *Confunditur hæc nostra Fricca cum terra*; quod ut terra largitur annonæ proventum; sic omnis fertilitatis Dea credita est nostra, Konungasagun cap. 4. ac proinde sicut latinis circa ubertatem annonæ fuerũt Tellumo & terra, sic fuerunt nostris Fricco & Fricca, (3) *Confunditur illa cum Cerere*, quod ut hæc terram torquet ad conciliandam annonæ copiam; ita eandẽ ursit hæc nostra propter finẽ eundẽ. (4) *Confũditur cum Proserpina, quæ juncta Plutoni solet accipi pro terra*; quod quemadmodum Proserpina juncta Plutoni ·/. igni, animat vegetantia cuncta; sic hæc nostra igne solari undiquaq; ac ubiq; lætificata, nõ potest non lætos fructus proferre. (5) *Imo, confunditur quoq; cum luna, quatenus illa nonnunquam dicitur Bellona*: quod quemadmodum luna aliquando suis incutit timorem, & sic ut Martis socia, dicitur Bellona; sic venustate, deliciis ac amoribus effœminat hæc nostra suos, ut perculsi inveniantur ante omnem terrorem, &c, &c. Sic inquam, cum variis confundi potest hæc nostra apud eruditos: *an vero statim cum iisdem omnibus fuit illa apud nostros antiquos confusa*, ego valde dubitaverim, dum eorum simplicitatis, studiiq; bellici reminiscor: Neq; tamen negaverim nostros ad aliqua eorum per suam Friggam respexisse: nam aliter neq: sensum mysticum in Theologia sua admisissent, neq; ad ternarium numinum numerum hic unquam accessissent. Ut itaq; sub Thorero ac Odino illi reservarunt sibi quædam numina colenda; sic minime dubium, quin sub Fricca sensu mystico, itidem venerati sint aliqua, &c.

# CAP. XII.

*De horum Numinum sede, ac ratione externa ad cultum necessaria,*

Ut hactenus diximus de Diis ipsis, sic restat ut nunc aliquid addamus, de eorum sede aut ut vocant, residentia, electa ex quo locus ipse visus est habere ea omnia, quæ ad numinum observationem, videbantur necessaria.

UPSALIA *fuit his numinibus dicata*, quam alii affirmant ab Ubbone esse dictam, quod in hanc derivationem consentiant cantiones antiquæ quæq;, ut & lapidum multa monumenta prisca, Gothi, Petrejus, & Olaus M. Sunt tamen alii, qui hanc denominationem tam in se pronam, quam ab auctore facilem, negant ita antiquitus extitisse (1) *quod nemo veterum de tali ratione loquatur* (2) *quod cantiones negentur diu extitisse.* (3) *quod monumenta non modo vetustate exedi, sed &* (4) *quod constet usum literarum, longe postfuisse introductum*: Sed quicquid sit de ipsius urbis denominatione, *dicendane sit Ubsalia uti volunt aliqui ab Ubbone, an Upsalia uti volunt alii*: id hoc loco parum refert; dum reminiscimur antiquos in denominationibus fuisse faciles, ac porro recordamur, quomodo tenues, mediæ & aspiratæ, olim fuerunt in Sveo-Gothia, æq; ac in Græ- permutabiles, ut ait Jornandes. Unde forsan etjamnum nostrum vpföre/ offöre/ obföre/ &c, conf. supr. pag. 79. seq.

Id tamen constat abunde antiquissimam esse hanc urbem, utpote non modo ædificatam ante Hadingum, qui vixit septimo seculo ante natum Christum; sed & antequam talis ullius Odini nomen patriam nostram illustrasset aut deformasset. superare igitur ej⁹ ætatem, ætatem Odini etiam prisci, si is unquam

fuit. eam igitur in antiqua secula referri debere, sicut quoq; antiquorum nostrorum Deus vulgo putatur Odinus Priscus.

*In hac Upsalensi urbe notetur, quantum ad nos pertinet.*

I. *Templum*, cujus expenditur (1) *antiquitas*; in eam namque ætatem reponitur hujus templi ædificium, ut superet non modo vulgaria suæ sortis quæq; sed & ut transgrediatur vetustissima nostra fere cuncta (2) *Notatur templi locus*: Sunt qui putant illud structum fuisse, ubi nunc est templum cathedrale: at sunt alii, qui putant id conditum, ubi nunc est templum Sacræ Trinitatis, aut vulgo rusticorum. variantibus vero auctoribus parum liquet de ejus situ, & parum quoq; refert. (3) *Notatur templi forma*. Dicitur id fuisse area quadrata, ac post eam, certo delubro ornatus locus. Quando autem hæc forma sic est introducta, *antene Salomomonem, an post*, de eo negocio, vide supra pag. 120. seq. & 157. nostram mentem. (4) *Occurrit templi species*. Auratum dicitur id â multis, quod ut interpretor, fuit inauratum, aut auro obductum: similiter super mentiana ejus */. domus fastigia, fuit torques aureus ponderis magni, conf. Clariss. Scheffer.

II. *Notatur arbor templo vicina.* Circa templum Upsaliense fuit quædam arbor, indies hyeme ac æstate florescens, Hanc ob perennem florem, dicunt multi fuisse â diabolo; at omnes credunt inusitatam viguisse. In hac suspendebantur victimæ variæ, & ipsa quoq; ob inusitatos flores, est loco numinis culta â quibusdam.

III. *Fuit ibi fons ex ritu paganorum aliorum.* In hoc fonte, quia in fluvium descendere noluissent, victimas suas cœsas aut allisas laverunt nostri. lotas vero easdem suspenderunt postea undiquaq; per arbores in loco sacras.

IV. *Se-*

IV. *Sequitur posthinc lucus, sacer diis omnibus, ac templo vicinus.* Templis gentilibus fuisse consecratos lucos in vicinia sitos, testantur monumenta varia, atq; in his lucis suspendebantur victimæ quæq; ex quacunq; sortæ illæ fuerunt depromptæ: pendebant ergo ibi comuniter *equi*, *canes accipitres* aut loco eorum *galli gallinacei*; uti mox dicetur. imo, sub casibus certis, nonnunquam Reges & principes ætate maturi, aut adhuc recens nati, vel de plebejis alii; introductumq; hunc morem extollendorum hominum, diu servabant tenaciter, quotquot illum recepissent. Quamdiu vero ille mos apud nostros durabat, incertum est, ut neq; liquet an ante cessabat, quam salutariter illis illuxit Christianismus. Apud Romanos constat temporibus Augustorum, eum cessasse, per certam militiæ regulam, de qua quoad Africam, loquitur in Apolog. Tertullianus, dicens; *usq; ad proconsulatum Tiberii, qui eosdem sacerdotes, in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit, teste militia patria nostra, quæ id ipsum illi proconsuli functa est* &c. In Africa ergo per militiam Romanam est hic nefandus mos recte ac mature antiquatus. *Sed de his mox plura*: & ita de Diis Upsaliensibus primariis, considerátis diversimode quoad sua nomina, significata, nec non quoad vulgarem ex publico scitu, sui cultus exteriorẽ rationem.

# CAP. XIII.

*De Deorum Upsaliensium cultu in genere.*

Veniunt in hoc capite consideranda varia, estq; eorum

I, *Quis auctor talis cultus?* Odinum priscum, qui huc venit ex oriente, faciunt multi sacrorum antistitem apud nostros, dicuntq; iidem *idololatriam ab ipso cœptam post perfectam*

esse

*esse à Samolxe, & immutatum aut auctam à Diceneo.* Nos vero ut ante negavimus probari posse, priscum illum unquam fuisse in Sveo Gothia, sic cultum hunc ad ipsum nequaquam remittimus; sive explicetur ille Odinus literaliter pro aliquo numine terrestri, sive explicetur mystice per eruditos, pro Sole. Putamus autem non alium auctorem hunc cultum agnoscere, quam Odinum Magum, de quo Snorro, & Konungasagun, ut ante scripsimus, expressis verbis loqvuntur. conf. Norska Krönikan Hwitfeldii aut joannis Martinifol. 2. Ita vero habet de hoc Odino Konungasagun cap. I. Oden war Konung i Swerige / hade sin bolning i Sigtuna / dijt han lät komma affguda Präster ifrån Aasgård / som ligger i Asien / wid den floden Tanais / eller på dhet gambla språket wanaquißl / ty man sätter offta V för I i gambla tijden / och nu kallas Aaßgård / Achas intet långt ifrån Assut. Han war en stor stridzhielte / blotMan och Segerwinnare förandes många och stoora Krig wijda i werlden. Hans Präster ofrade folck och fåå / och lärde en stoor affgudadyrckan öfwer alt. Han stiftade först stora högars och Stenars upreesande til dhe framlednas ihugkommelse / förde in Runa / skrift och rijtande. Öfwer offret och Folckzens styrelse förordnade han tolf Hedniska Präster och Domare / som kallades Drotner eller Herrar. denna Oden hafwer sielff warit i Aasgård / och detta alt som ofwan nämnes om agudadyrckan och seeder / fört med sigh hijt till Swerige / som Snorre Surlson och flere gamble frånsagor förmäla etc. In quibus verbis *auctor aut confundit hunc verum Odinum, cum aliquo antiquiore, dum Runas tumulosq; ei adscribit; aut huic adponit, qui ejus tempora longe antecessissent;* & quicquid sit de isto argumento; id autem omnino hinc planum est, Odinum hunc idololatriam

in Sveo-

in Svéo-Gothiam primum invexisse, & sic omnis cultus idololatrici publici eum esse auctorem, quod nunc suffecerit dixisse.

II. *Consideratur in hoc capite invectæ idololatriæ primum tempus.* Jornandes ait cœpisse illam 400 annis post diluvium, & ex jornande scripsére idem alii ac varii, in suis operibus historicis; qui omnes aut narrant, quando desiit vera religio apud nostros, aut definiunt quamdiu in tenebris nostri sederunt. Pace autem ac venia omnium, qui sic sentiunt aut sensêre nos hic provocamus ad argumenta supra allata, tam quæ religionis possibilitatem passim svaserunt, quam quæ eandem actu ostenderunt sup. lib. 4. c. 12. Quibus hac vice tantum addimus quæ habentur in Konungasagun capite 1:mo. Oden hade sin bostad i Sigtuna etc. item: Men om han (Oden) hafwer warit i Asien födder/ eller en/ hafwer han lijkawist warit aff dhe tyt utgångne Göther/ aldenstund dhe tå allaredo hade sigh medh wäldig hand många landzorter Öster och Söderlanden inkrächtadt/ kunde altså blifwa kalladt Europiskt och Asiatiskt/ ut quoq; nos scripsimus supra pag. 238. *Unde Argumenta.* Si Odinus auctor idololatriæ (1) *habitavit Sigtunæ*, non potest vetus esse, quia hæc metropolis, demum post destructam Biörköensem est ædificata &c. (2) Si is fuit ex Gothis, non debet reduci ad secula prima postdiluviana: quia utut Gothi tunc extiterunt, non tamen adhuc fuerunt patria egressi, nedum tot interjacentibus terris superatis, in Asiam delati. Concludendum igitur ex his & ante traditis, idololatriam publicam ac perennem cœpisse per Samolxen Phytagoræ discipulum, ut scribit Strabo, & sic sensim magis magisq; auctam, donec perficeretur seculis ante nativitatem Christi proximis. *& tantum h. l. de idololatriæ Sveo-Gothicæ tempore primo.*

III. *Observatur h. l. cultus idololatrici modus, apud nostros antiquos*, notatus quoad sui rationem generalem. (1) *Servabatur vivus ignis*, simulacrum Dei vivi, aut monumentum Solis, quem multi olim igneum dixerunt. Hanc ceremoniam credunt non pauci institutam esse â Nino filio Beli, & sic per Teutam, propagatam in nostros: obtinet tamen ipsa ignis descriptio, putare non ante hunc ritum esse institutum, quam aut judæi cœperunt suis ceremoniis illustres per orbem nominari, aut Philosophi passim cerebres deprædicari: quorum utrumq; propius est V. Testamenti seculis ultimis, quam primis, quando vixit Belus, nè nunc dicam, quod ceremonia alibi ac tam procul cœpta, non videatur statim nostros occupasse. (2) *Neq; sic solo igne sunt hæc nostratium numina diu culta*; *addita est postea ante pedes ipsorum ara*, ad indicandum antiquam formam colendorum Deorum, nec non ad fovendam spem, fore ut in eadem, sequentibus temporibus etiam his publice litaretur: quod & factum est, ex quo templum auctore Frejo, illis cæptum est, ut ajunt, ædificari. (3) *Fusæ sunt his preces devotæ*, at petaces, ne spem votorum fallerent. (4) *Addita dona*, & ita oblata, ut modo conjunctim moverent hæc numina ad opem ferendam, modo numen certum sollicitarent. (5) *Est quoq; his numinibus victimis ibi litatum*. Victimas cœderunt Hebræi non tantum ad videndas passiones Christi, sed & ut per eas, ceu signum externum, notarent suum cœtum, Dei propitia voluntate, ab omnibus aliis segregandum. Noverunt & nostri victimarum usum antiqvum; at hac periodo ut erant illi per falsos Deos turbati, sic victimas cœdendo non tantum priscum morem servarunt, sed & Dei altissimi ritu suos Dæmones honorarunt.

CAP

# CAP. XIV.

*Recenset nostrorum idololatrarum ferias ac festa.*

Habuerunt Veteres nostri *festa*, *alia majora*, *alia minora*. *Et majora eorum fuerunt vel anniversaria*, *vel statis temporibus recurrentia*. Hæc recurrentia fuerunt porro *aut communia omnibus tribus numinibus Thorero*, *Odeno ac Frigga*: *aut deniq; cuilibet eorum propria*. In illis communibus, sacris peractis, biberunt nostri Bragebågaren ac Minde, ut mox dicetur: at in cuiq; propriis non item. Propria vero hæc fuerunt â communibus diversa, non modo numinum numero, sed & tempore, imo, colentium quoq; cum gestibus, tum victimis: alio quippe tempore celebrarunt antiqui nostri festum anniversarium, omnibus suis numinibus sacrum, & alio idem ut fuit huic, illi aut isti numini sanctum. Aliæ item victimæ offerebantur in anniversariis communibus, & aliæ in anniversariis propriis. De Haraldo testatur Saxo l. *1.* quod *Fro Deo rem divinam furvis hostiis fecit*, *quem litationis morem annuo feriarum circuitu repetitum*, *posteris imitandum reliquit* &c. Ut itaq; nostri constituerunt Deo Fro anniversarium festum, distinctum â festo omnibus communi, sic minime dubitandum, quin & sua anniversaria festa haberent Dii cœteri; imo, ut hujus Dei feriæ peragebantur oblatione verris, ut mox dicetur, ac celebranbatur tempore brumali, sic minime ambigendum, quin suis certis temporibus certisq; victimis celebrarentur feriæ numinum reliquorum.

Festa majorum nostrorum *minora*, *fuerunt aut hebdomalia*, *aut cottidiana* Ad hebdomalia refero, quod Odino mactabatur saginatus taurus, & quotidianorum fuit, quod Thorero adponebantur quotidie 4 panes cum cibis aliis. *Deniq;*

*variarunt nostrorum festa multum secundum alios atq; alios casus: & sic divîdi possunt in festa ordinaria ac extraordinaria.* Illa celebrabantur temporibus pacis ac serenis aliis, erantq; talia, qualia nos ea modo delineavimus. Hæc vero extraordinaria flectebantur, prout casus bellorum aut malorum aliorum, ea volebant aut tardiora, aut citiora, & deniq; pro opinione antistitum, his aut illis victimis ac oblationibus, sacra.

# CAP. XV.

*Illustrat aliquot exemplis, quæ diximus modo de feriis festisq; majorum nostrorum antiquis.*

*In feriis communibus* mactabantur (1) *victimæ, de animantibus domesticis fere cunctis*, quæ generis erant masculini, vide Sturlson in Haquino. (2) *Præsertim vero cædebantur equi, canes & galli* loco accipitrum: Sic enim scribit Dithmarus Episc. Mersburg. lib. 1. Chron. *immolabant Diis 99 equos cum canibus & gallis pro accipitribus*. De Danorum loquitur sacrificiis, quorum cultus ferè idem fuit, qualis reliquorum per septentrionem. *Equos* autem immolabant veteres, quia putabant eos Diis maxime esse cordi, vide Sturlson. in vita Haquini Adelstani & in vita Olai. *De Canibus* testatur Adamus: ast quod *accipitres* volebant, id procul dubio, factum fuit ob venationem, quam itidem Diis credebant sanctam: quia vero difficile fuit semper in promptu habere accipitres, hinc credibile, quod eorum loco gallis defungebantur: & fere ita temporibus pacis, aut felicibus aliis. (3) *Temporibus vero belli offerebant nostri suis Diis ex iis, quos primos ex hostibus cepissent.* hostiarum illis pulcherrima est homo, quem bello primum ceperint, scribit Procop. lib. 3. conf. Jornandem (4) *Quin & nonnunquam contingebat, ut temporibus pacis*

*immolarent etiam homines*, ſed tunc ſumebantur iidem freqven-tius de mancipiis, ſi cauſa ſacrificandi putabatur levior. (5) *Sin vero Principum aliqvorum culpa videbantur incidiſſe in contagioſum morbum, ſummam famem aut bellum moleſtum, nec ab illâ abſtinuerunt*, ſed convictos ac condemnatos ante publicis ſuffragiis, itidem immolarunt, vide Sturlſon. in vita Domaldi ac Olai, ubi notat utrumq; publicis ſuffragiis oblatum, illum ob culpam caritatis annonæ, & hunc quod Diis illibenter ſacrificaſſet, *conf. Conſultiſſ. Scheff. pag. 136.*

Quomodo vero homines ſint mactati, h. e. *decollatine ſint, an alliſi*, non convenit inter auctores: id conſtat cœſorum corpora pro more gentium aliarum primum lota eſſe in fonte, ac mox in luco ſuſpenſa; ſangvinem vero poſt peculiari vaſe exceptum, ac fuſum ſuper homines, idola ac ipſas numinum arbores ſacras: tum ex ſangvine, ejusq; impetu, circa fuſionem, collecta judicia de imminentibus lætis aut triſtibus, & ſic exta inſpecta, vide Scheff. pag. 137. ad 140. *Et fere ita in ſacris feriisq; generalibus.*

*Specialia ſacra & cuiq; numini facta*, ſunt hæc ſequentia:

I. *Thoroni adponebantur cottidie 4 panes* cum cibis aliis, in victum, Sturlſon. in addendis ad vitam **Dale Gulbrandz.**

II. *Odino autem* (1) *pro ubertate, dabatur ſaginatus taurus poſtquam cœpit ferocire*, Sturlſon in vita Egilli. idq; forſan fiebat, ut hac pingvi victima Odinus aut ad ubertatem largiendam flecteretur, aut deliniretur, ne frumento cœterisq: ad victum pertinentibus, noceret. (2) *Dabatur Odino eqvus pro victoria*, qui in partes fuit diſſectus, ac ad edendum diſtributus, conf. Clariſſ. Verelium.

III. *Fro vero Deo immolabant nostri verrem*, cujus sanctitas erat tanta, ut manibus in setas ejus positis, per eum homines & jurarent, & vota conciperent, vide hist. Heideri Reid-Gothorum regis exhibitam â Wormio in addendis ad monumenta, ubi porro ostendit festo vespere, verrem hunc in aulam introductum, &c. & quia hoc contingebat antiquis feriis Frejanis, quæ jola dicebantur, ac in gentilismo celebrabantur paulo post medium Decemb. teste Clariss. Celsio, hinc fundamentum antiquæ nostrorum traditionis, quæ hodieq; viget om Julagrysen &c. Quin& id præterea de sacris Froi aut Friggæ, est tenendum, non quotidianis, sed anniversariis (1) quod tantum furvis sacris, id est, nigris ei litaretur. Sic de Hadingo scribit Saxo Grammat. lib. 1. *Fro Deo rem divinam furvis hostiis fecit, quem litationis morem annuo feriarum circuitu repetitum posteris imitandum reliquit.* (2) Quod postea circa Friggæ cultum additi sunt nonnulli ritus parum honesti, ac qui colentium animos non parum effœminarunt, qui ideo rejecti sunt â Sterkorero, sicut alias per ipsum, hoc molle ac venereum sacrum, si non totum, certe magnam sui partem, est abrogatum ac antiquatum.

Hominibus autem neq; huic Deo, neq; cuiquam alii, litabant nostri extra summum necessitatis casum. Fuitq; ceremonia homines immolandi, non ante introducta, quam Fro regnaret, uti docet Saxo libro 3. ubi dicit: *humani generis hostias mactare aggressus, fœda superis libamenta persolvit, &c.* quod & exemplo declarat Konungasagun in vita Domaldi, conf. jornandem cap. 5. & Olaum M. lib. 3. de omnibus vero vide Ampliss. Scheffer. pag. 148. seqq.

CAP.

# CAP. XVI.

*De Actu post generalia sacra, celebrato.*

Defuncti veteres nostri ritu immolationis, peragendisq; aliis, circa sacra generalia necessariis, mox properarunt ad convivium, in quo pars victimarum (puta edulium ceu de equis, tauris &c) cocta adponebatur ad epulas, pransumq; ita in offergilde maxime carne equina, ad felicem in bello successum obtinendum, quando jus ex carne bibebant, & pingvedinem cum pane comedebant. huicq; convivio pontifex qui præfuit, is præsentes homines æq; ac epulas certis formulis consecravit: & sic cœpta (1) *Ratio bibendæ memoriæ Deorum.* In Norvegia biberunt veteres memoriam Odini, Niordi & Frejæ, sicut in Græcia olim biberunt scyphum Herculis & Bacchi: *At nostri Upsalienses biberunt memoriam Thoreri, Odeni & Friggæ.* Thorerum salutarunt illi pro rerum felici successu, Odinum pro victoria, & Friggam pro fertilitate ac pace, vel ut Snorro loquitur för godt åhr och freed/ unde hodieq; manet formula in propinando usitata: godt åhr; quamquam hoc tempore non ut veteres, respiciamus ad Friggam, sed ad Deum omnipotentem, qui annos nostros jam fertilitatis copia beat, jam annonæ caritate gravat: Fecitq; hujus compotationis initium, poculis consecratis, qui sacrificio præfuit. Ut vero numina ipsa variarunt, sic nec idem consecrationis modus: aliis verbis consecrabatur poculum Odini, aliis Thoreri &c signatum vero quodlibet ut fuit, ac â primo ebibitum, mox aliis ordine evacuandum est traditum, & ita itum in ordinem per omnes, qui ibi illustriores aut ditiores adfuissent. (2) *Post memoriam Deorum biberunt nostri* Bragebågaren ·/. memoriam fortium virorum, idq; è poculo, facto ex cranio occisi hostis. (3) *Biberunt Minde,*

id est

id est memoriam defunctorum amicorum: *inde* (4) *hilares facti, ceperunt inter se carminibus certare*, imo (5) *certaminibus equestribus more Græcorum se invicem probare*, Celsius. (6) *Ac tandem amici ac concordes saltationibus convivium sacrum claudere, &c, &c.* conf. Consultiss. Scheff. â pag. 141. ad 145.

# CAP. XVII.

*De nostrorum Sveo-Gothorum Diis minoribus.*

Hactenus narravimus de tribus per patriam Diis Majoribus, *Thore, Oden & Frigga, item de eorum feriis ac sacris*: monet ordinis ratio, ut de Minoribus eorum Diis quoq; aliquid addamus. Equidem ante retulimus eos inter Deos certorum locorum, pagorum &c. tutelares: nec fuit tunc animus eorum narrationi certum caput impendere, ut vides supra pag. 205. at postquam plures eorum non modo inventi sunt celebres, sed & nominibus suis memorabiles, imo, postquam invenimus singulos commendari, aut suis artibus, aut aliqua divinitatis larva; non erit ut spero, omnino vanum, si plebejis omissis, descripserimus quos imperfectæ divinitatis ac quandoq; humanæ opis indigos Deos putarunt nostri veteres ac quoq; celebrarunt.

I.mus *Methodin, quem medium inter duos Odinos* ponit Brynolphus Svenonius, & quasi commistum eundem è Prisco Asiano, ut ajunt, & posteriori Upsaliensi, idq; ideo, quod fingatur hic sui numinis pretio non quidem novum excellens numen posuisse; illustrasse tamen ante creditos Deos, quos jam obtenebrassent aut detecta vitia, aut fraudes aliorum. Quæ si vera sunt, profecto Antoninorum exemplis possunt pulchre declarari: *Cœpit Antonini nomen à Pio, & paulatim per Antoninos pervenit usq; ad sordes ultimas*, referente Ælio Spartiano in Adriano. Similiter Odini Prisci nomen

(loquor

(loquor ex hypothesi aliorum) qui involarunt, non omnes ejus virtutibus lucebant: substiterint ergo primi, vel suis virtutibus, vel opinione vulgi; subsequentes certe quos rumor vitiorum cœpit pro fœce circumferre, non potuerunt non pro ignobilibus ac tenuibus haberi: attamen etiam hosce erexit superveniens hic med' Odinus, conservavitq;, donec ejiceretur ipse ab adveniente famoso Odino altero. Ego vero Methodin hunc dictum putaverim, non tam latine & corrupte med' Odin quasi intermedium Odinum, â tempore inter duos Odinos medio, quam Svetice med Odin ·/. cum Odino, quod esset hic cum Odino Asiatico, & sic illius & comes & divinitatis consors. Fuit igitur hic temporarium numen, ac ut ipse *barbaras mentes novis errorū tenebris circumfusas, præstigiarum fama ad ceremonias suo numini persolvendas adduxit*, Saxo. sic post adventum (sed quem) Odini non modo fugere coactus, sed & in Phyonia mox est occisus.

II. *Est Fro, dictus Deus sangvinis, & cui victimæ sunt cæsæ.* idem putabatur *Deus ventorum & tempestatum*, Stephan. lib. 3. pag. 42. imo, credebatur *satrapa Deorum* Saxo lib. 3. & *regni Sveciæ Deus tutelaris*, Stephan. (1) Est hic *dictus Deus sangvinis*, quod inter ejus victimas Saxo nominet Froblodt/ ac si hic excellenter fuisset sangvine cultus. (2) *Qua v. ratione ille sit ventorum ac tempestatum Deus*, prorsus ignoratur. fortassis rectius credebatur nivis frigorisq; Deus, quod Thorgilli sui sacerdotis tumulum, sub maximis nivibus semper servabat intactum; aut fortassis quod ipse dominabatur in septentrione, ubi est mnckenfrost. (3) *Satrapa vero Deorum dicebatur hic noster*, non quod sui generis non esset Deus, sed quod comes esset advenientium Asarum aliorum. (4) *At dum Stephanius in notis adpellat eum regni nostri tutelarem*, id sine dubio, gratis scribit; *primum* quod nulli ex antiquis asserant pro tutela regni nostros

in unum inclinasse: & *deinde* si inclinassent, quod numen hoc potentius aliud omnino invenissent. Non fuit igitur Fro, distinctus â Frigga, regni totius numen tutelare. Quin vero idem extiterit Deus tutelaris certi alicujus tumuli, loci aut territorii, &c. non ego negaverim, qui didici in tales minores Deos per partes ac per vices, sæpius consensisse nostros majores. Sed forsan tamen tutelaris Sveciæ dicebatur hic, quod una cum Thorero (ego Tyrs puto) & Odino stetit â partibus Balderi nostri, fortiterq; adversus Hotterum Danum dimicavit, donec tandem sub Ringone decederet, quarto seculo (si tamdiu vixit) postChristum natum, Scheff. p. 118, seq.

III. *Ollerus est*, quem Asgardini *non solum in regni, sed etjam in divinitatis infulas subrogavere, tanquam Deos ac reges creare in æquo positum foret. ac ne quid amplitudinis deesset, Othini quoq; nomen ei imponunt, vocabuli favore invidiam novitatis exclusuri &c. Sed eo denis ferme annis divini senatus magistratum gerente, tandem Othinus squaloris deformitatem pristino fulgoris habitu* (reverrebatur forsan nunc ex Svecia) *permutavit. Igitur Ollerus ab Othino pulsus, in Sveciam* (exemplo illius) *concessit, ubi velut novo quodam orbe*, apud majorum suorum cognatos, *opinionis suæ monumenta restaurare est connisus*, Saxo lib. 3. Huic apud nostros simplices peperit divinitatis opinionem quod polleret artibus vulgo ignotis, & quod nudo osse literis magicis notato, in trajiciendis maribus uteretur pro navigio. *Fama est*, ait Saxo, *illum adeo præstigiarum usum calluisse, ut ad trajicienda maria osse, quod diris carminibus obsignasset, navigii loco uteretur, nec eo segnius quam remigiis præjecta aquarum obstacula superaret.* Messenius addit eum *ex simulachro dedisse responsa.* Tandem vero est hic Ollerus (Svetice Olle) interfectus, sed incertum in Sveciané, an in Dania, &c, conf. Scheffer. pag. 120. seqq.

In hosce

In hosce tres & nos plures Deos minorum gentium, ut ait Ovidius, consentiunt pleriq; ex nostris, non quod plures omnino non fuerint, præstigiis nefandisq; artibus commendabiles viri, sed forsan ut majores Dii ac minores, numero dicerentur pares: censent tamen alii his addendos *Vagnostum*, *Hadingum*, *Rostiophum*, *Rosterum*, *Niord*, *Balderum*, *Haldanum*, *Ugartilochum & ejus generis monstra hominum alia*, uti loquitur Wormius, conf. Olaum Magni, & Wastov. At pro Diis non sunt hi venditandi, quia nemo veterum eos inter Deos recenset, uti nec cultum ullum uspiam legimus eis publice decretum aut collatum. Et fuit *Rosterus* non novus Deus, sed personatus Odinus, *cum ille peregrina veste sumpta, ad contubernium regis contenderet, velletq; apud Rindam destinata sua exequi*, Saxo. *Rostiophus* fuit hariolus & Fennus, uti scribunt Saxo & Olaus. *Hadingus* magia excelluit, & ita quoq; *Vagnostus* ejus socius ac commilitonum princeps. *Niord fuit Odini obses* datus à Scythis: *Balderus Odini filius, & Haldanus* inclaruit devicto Erico &c. Sed monstrorum satis est, nec opus pluribus paginam maculare. atq; utinam neq; pluribus, imo, utinam neq; his, neq; ullis aliis patria nostra dulcissima olim fuisset seducta! *De Ugartilocho, qui obsitus fuit pilis horridis &c, dicere*, res est loci alius, quod neq; in Svecia is unquam adparuit, Scheff. & quod Saturnum eum vinctum ac à jove ad tartara h. e. extra habitabilem mundum, ac ad loca frigoribus damnata, dejectum, credant alii, conf. Celsium pag. 76. seqq.

## CAP. XVIII.

*De Biarmorum* Jomala *ex* Konungasagun.

Hujus Idoli non invenio quemquam ex veteribus, meminisse: Konungasaguns auctor, forsan *Abbas Carolus jonæ*, pri-

mus est, qui id narrat ac describit. is vero uti pridem vixit, ejusq; opus uti pridem exceptum est ab Einar Oddson & Erich Oddson/ tempore Regis Magni cœci, circa annum Christi 1139, legit ita præfatio: sic diu ante potuissemus hanc historiam habere: invidia tamen temporis, ut & incuria nostrorum, factum est, ut diu lateret, careremusq; nos forsan in perpetuum, eâdem, nisi *literarum Patroni æq; ac Regnorum Moderatores, Illustrissimi Heroës ac Domini*: Dn. PETRUS Brahe *Comes de Wisingzborg, Regni Senator ac Drotzetus &c. &* Dn. MAGNUS GABRIEL DELAGARDIE *Comes de* Leckö/ *Regni Senator ac Cancellarius &c.* alter exemplar communicando, alter communicatum suis typis exscribendo, eam ex tenebris juvissent in lucem publicam.

Sic vero legitur *in Konungasagun, & cap. 132*, de hoc idolo: The seglade om Sommaren (scil. Thore Hund & fratres Carolus & Gunstenus) som skeppen gemenligen kunde gå etc. När dhe nu kommo til Biarmaland / lade dhe til kiöpstaden / och begynte sin kiöphandell. ther fingo dhe alla pänningar nog / som något hade bära. fick nog godz / som gråskin / båfwer och Sabelskin etc. Som nu marcknaden war öfwerstånden / lade dhe vth åt åhen Vinni. Tå war freden med landzfolcket vphäfwen. När dhe kommo vth i hafwet / höllo dhe bätzmans möte: tå frågade Thor / om dhe wille gå på landet / och taga byte? the swarade och sade / att der til woro dhe benägna om pänningar stodo til at bekomma / etc. Inde certiores sunt facti per sermonem Thoreri, cum humatis ibi locorum, multam pecuniam esse reconditam. Ergo pacto fœdere, extrema se ausuros pro pecunia obtinenda, ac se suisq; defendendis, adplicant naves litori, ac in terram exsurgunt. Ther woro för dem släta wallar / och sedan en stoor skog etc. The kommo fram

på en

på en vthuggen plaan/ hwarest stod ett stort planckwärck med låst dörr före. Oppå dhetta planckwärck wacktade sex vtaff landzens inwånare hwar natt/ twå hwar tridie deel aff natten. När Thor kom til planckwärcket / war wachten heemgången/ men dhe som dher näst borde hålla wacht/ wore ännu intet komne. Thore satte sin yxa på gärdzbalcken/ och drogh sigh op effter skaftet/ och gick så neder i gården. På den andra sijdan om porten hade Carl ochså kommet öfwer plancket/ och kommo dhe båda tillijka til dören/ dhe togo bomarne ifrån/ låto dören vp/ och gingo Männerna in i gården. Thore sade: vthi dhenna gård är en hög/ der är sammanrört Gull och silfwer med mullen / och skola wij först dhet efftersökia. Inne i gården står och dhe Biarmers Gudh/ och heeter Jomala/ then skulle ingen fördrista sigh att röra. Sedan gingo dhe på höögen / och the togo Päningar / som mäst dhe förmåtte/ och lade i sina kläder; ther följde och mycken mull medh/ som wäl war wäntandes/ etc/ Thore begaff sigh åt Jomala/ och togh en sölfwerbulla (skåål) som stod i hans knä / full aff silffpäningar/ hwilka han slogh i sin barm; men grepen / som war på bullan / hängde han på armen etc. Rände och så Carl til Jomala/ och såg en Kädia wara om hans Halß. Carl slog til med yxan/ och högg sönder reemen/ som meenet (Kädian) baak på halßen war fästbunden med. detta slag war så hårt/ at hufwudet föll aff Jomala/ och ramlade det så mycket/ att alla förundrade sigh. Carl togh Kädian och foor bort. Men så snart som bullret hade skedt/ kom wachten fram på planen/ och blåste straxt i sitt horn/ tå fingo dhe höra på alla wägar / män omkring sigh/ &c, &c. &c

ſic artibus Thoreri, qui ad tegenda veſtigia ſuorum abeuntium, cineres poſt ſe jecit, absq; pugna ac ſanguine, delati ad naves, ſolverunt in altum, &c.

# CAP. XIX.

*Declarat hoc Biarmorum Numen, paulo amplius.*

I. *Ubi fuit* Jomala? Biarmiam multi nominant ex veteribus, ut quoq; Regum non pauci ſuis inſignibus eam olim ornarunt; *ubi vero ſita eſt*, non item dilucide iidem explanant, nec nos h.t. poſſumus certo noviſſe. Vulgus de ea ſic loquitur, ut habere te ipſam putes, *inter Bothniam utramq; orientalem ac occidentalem. aut in Bothnia orientali, inter ejus partes ſuperiores, ubi Cajania eſt, ac inferiores ſeu maritimas; aut deniq; inter Bothniam & noſtram hanc Finlandiam.* Buræus autem vir dum vixit, in antiquitatibus Patriæ verſatiſſimus, oſtendit aut nullam eſſe hanc provinciam ibi locorum â cœteris diſtinctam, aut alibi omnino quærendam. Et facile nos Buræo adſentimur, non reperiri ipſam in ſinu maris balthici, nedum Bothniam diſtingvere, aut â vicina Finlandia ſeparare, tantoq; minus, ut multi putant, Cajaniam eſſe, quod poſt oram maritimam Cajania montibus obducatur, ſpectantibus Ruſſiam, & in hanc Biarmiam navigaſſe ſcribantur Carolus ac Thore. hanc Biarmiam igitur ceu maritimam à Cajania ceu provincia â mari remota, omnino eſſe diverſam. *Ubi igitur Biarmia ſita eſt, ais, & recte porro quaris.* Dixerit aliquis ſibi videri eam eſſe â parte Norvegorum ſeptentrionali, habebit pro opinione ſua, quod hi inde ſolverint, ac feliciter ad locumdeſtinatum pervenerint, probabile verſus Archangeliam; nam ſi ex adverſo direxiſſent iter, mediorum locorum clarorum feciſſent utiq; aliquam mentionem; item quod navigarunt ubi proſtituebantur, ex ſciuris, lutris Martibusq; pelles ·/. gråſkin/ bäfwer och Sabbelſkin/ quæ

mag,

magna copia venales protruduntur ante & circa Archangeliam &c. *Sed tamen trahunt nos argumenta non levia, ut alibi quam ibi, quæramus Biarmiam.* ALANDIAM *putamus nos illo nomine indigitari* (1) quod si usquam, certe ibi possumus Armiam quærere. Sunt â litoribus Sveticis Södre arm/ & Norre arm/ eisq; ex adverso opponuntur ab hac parte arm & arm/ (2) Dividitur quoq; heic in duo brachia, promontorio Alandico, mare balthicum: habes igitur primum Armiam, quam deinde cōposite dicere potes biamiā, vel latine q. duobrachiam, vel Germanice bey armiam, vel Svetice biarmian q. armen förbij si omnino est opus denominationis certa ratione. balthicum quippe mare ibi magno promontorio repercussum, videtur duobus finibus, bothnico altero, altero Vennhetico ·/. Russico, (dicitur Russia lingva Fennica wennehen Maha) bibrachiam quandā autBiarmiam constituere (3) Dicuntur Thore ac Carolus nundinis exactis, solvisse åt åhn Vinni seu Finni, h.e. ut ego interpretor, aut ad sinum Finnicum, qui alluit hanc arcem Aboënsem, aut ad Finström in Alandia, h.t. quandam parœciam; quæ sic dicta est composite ab illuc advenientibus Fennis, & suo amne, latiore olim, & sic åå dicto; concitatiore vero h.t. & sic dicto ström. Solent Finni Vasarii, vulgo dicimus Calasenses, frequentes etiamnum cum vasis suis hunc amnem intrare: credibile igitur quod itidem olim eundem navigarint, vel commerciorum causa, vel ex religione ad quærendum suum Deum, & hinc ab illis ac pariter portu, nuncupatum locum Finneåhn aut Finström: uti hodieq; ab eadem gente est Finnö in Hamerland/ & Finholma ac Finnö in Fogelösockn. (4) Est etiamnum ibi locorum parœcia, quæ diciturJomala/olim sine dubio insignita hoc nomine, quod ibidem fuisset numen Jomala; sicut præterea circum templum ejus, est vasta sylva, prorsus

sicut

ficut circum locum, ubi fuit Jomala/ fylvam fuiſſe refert noſter auctor. (5) Celebrat hodieq; hæc Jomalenſis eccleſia memoriam Divi Olai: haud dubie quod Olaus Haraldi Rex Norvegorum, accepto torque aureo, quem Carolus ſumpſit de Jomala, ex miſericordia dicam erga occœcatam gentem, an pro tanta præda, illis præconem ſacrum miſiſſet & ſic damnata idololatria, ibi ſui nominis memoriam felix inſtituiſſet. Obj. 1. *An ulla unquam civitas in Alandia? 2. quæ ibi pretioſæ pelles? & 3. an hæc provincia regio titulo digna?* ℞. *ad 1.* potuit ibi olim civitas fuiſſe, quamquam hodie rudera ejus non inveniamus: & probabile eſt Finlandiam noſtram non modo urbem habuiſſe, ſed ibi in promontorio ſuæ terræ, nobilem condidiſſe. ℞. *ad 2.* Expoſuit Alandia venales pelles pretioſas, non quas ſingulas ipſa corraſerat, ſed quas quoq; habuit advectas ex Bothnia & Finlandia per eos, qui numen Jomala devoti quærebant. *Ad 3.* ℞. non omnino indignam illam cenſeri titulo regio, quippe quæ exceptis ſcopulis, terra continente, inſulisq; minoribus, conſtat ex 60 inſulis majorib9, conſtituentibus cum continente cujusq; eccleſiæ h. t. ſeptem populoſas eccleſias aut parochias; nec dubitandum populoſiores eas olim extitiſſe, ac incolas illuc invitatos, partim loci opportunitate ad commutandas merces cum peregrinis Svecis ac Germanis, partim religionis metu. imo, ego crediderim haud unquam ſic quosdam fere ſcopulos incolis fuiſſe beatos, niſi locum aut provinciam ante commendaſſent religio ac ſpes nundinarum: & ſic etiamnum ſicut in Germania fit ad Rhenum, habitatores ſubſiſtere, non flore antiquo, religione mercaturaq; alio tracta, ſed ſola aqua, cujus beneficio habent piſces, quibus vitam trahere poſſunt. *Concludo igitur huic provinciæ olim fuiſſe nomen Biarmiæ: at poſtea per Germanos eandem dictam Alandiam, ab alcibus ibi ſervatis, quæ Germanice dicun-*

*dicuntur* Elend: *Scilicet ubi inferiores Saxones usurpant e, ibi superiores sæpius pronunciant a. illi dicunt Meisen, hi Maisen & pari modo septentrionales nostri pro e, sua dialecto in nonnullis nominibus utuntur a, ut cum pro verbo dicunt varbum &c. nostros itaq; in hac voce pronuncianda, putamus antiquo nomine, qua rem ac sonum, neglecto, aut Germanorum novum nomen accepisse*, ut modo dictum, aut ex sua lingva aliud finxisse, vel ab åål & land: vel ab Å & land/juxta phrasin sättia en å land/ quod ibi in promõtorio credi potest multos sæpius fuisse interram ex positos. *Et ita serio nunc scribimus, absq; tamen præjudicio aliorum.*

II. *Quis fuit hic* Jumala? Solidis coloribus non novimus eum depingere: si tamen vera sunt, ut speramus, quæ modo scripsimus de Biarmiæ situ, non sunt sequentia hæcce nostra omnino contemnenda. *Thorerum Sveo-Gothicum putamus hunc* Jumala *fuisse*: (1) Videtur gens maritima sinus occidentalis hujus terræ, in sacra Sveo-Gothica non parum inclinasse, cum quod schytica fuit, tum quod nostris Sveo Gothis vixit vicina. Videtur ad religionem Sveo-Gothicam peragendam, jussisse multos suorum transmittere mare; molestia vero itineris eorum quosdam perculsos, & alios vento adverso impeditos, ursisse domi supremi Dei cultum, ne neglectæ pietatis insimularentur: & sic in terræ promontorio designatum Numini locum, maxime cum inde pateret ejus copia, etiam exteris, sive votorum, sive mercium causa, adpellentibus: Et ni ita esset, credibile, sicut Upsaliæ factum, in interioribus provinciis, numinis statuam locatam, quo religiosorum itineri rectius inserviretur. (2) Fuit quoq; hic Jumala in Biarmia solus, prorsus sicut apud Svecos diu colebatur solus Thorerus: imo, absq; dubio, fuit hic Jumala ille *Fingi Thorus*, quem Edda recenset inter Odini Majores. (3) Et nisi pro Thorero ·/. Deo sum-

mo, ſtetiſſet Jumala, gens hæc ad Deum recte converſa, nequaquam hoc nomen retinuiſſet; at quia idem illa retinuit, poſtquam Chriſto dedebatur, inde conjicere fas, non tenuis aut imperfecti Dei nomen id fuiſſe, ſed ut hodieq;, ita olim, Deum Creatorem cœli ac terræ, ut ſpero, ſemper notaſſe, ſenſu aut parabolico, aut literali. *Ais: in ternarium Deorum numerum hæc gens nunquam conſenſit, & neq; conſtat, quod Odinum hæc unquam magni fecit.* ℞ Et neq; Sveci primis temporibus, tres Deos voluerunt, neq; in tres poſtea acceptatos, illi omnes conſenſerunt; Quod vero Biarmia ſibi cavit ab Odino ejusq; conjuge Frigga, qui ſuis artibus circumveniebant Svecos, hoc inde crediderim factum, quod hæc gens fraudibus illorum minus eſſet opportuna, cum quod orientalior, in talibus cavendis eſſet circumſpectior, tum quod advenientium fraudes ſinguli non omnino ignorarent. Odino ergo hic nulla memoria relicta: & ipſe quanquam alibi fuit Magnus, hic tamen ſpernebatur apud artis peritos; qua ratione & huic genti ex antiquo Svecorum more, tantum notus fuit Deus unus & potens, dictus Jumala. *Dicis: an igitur hæc gens nullis Aſarum artibus circumventa?* Odinum ut modo dictum, aſpernabatur hæc gens, ceu tenuiorem, quam qui iſtis ſuis artibus poſſet apud ſe mereri divinitatis famã; quin autem comes ejus Tyrs non aliquid heic effecerit, quo nominis memoriam ſibi pararet perpetuam, negare prorſus non audeo nec volo. Eſt etjamnum ars hic locorum apud nonnullos reſidua, in mittẽdis tyror &c. Hæc videtur â Tyr profecta, cum â gentis lingva ſic illa vox penitus recedat, ut nullum uſquam conjugatum inveniat inter ejus dictiones omnes. Videtur itaq; ab illo auctore facta, ac per conſequens docere eum hic fuiſſe, ſuamq; ſui nominis artem quosdam clam docuiſſe.

*III. Quæ*

III. *Quorum Deus hic* Jumala? ℞ Biarmorum Deus fuit is, ac pariter Fennorum aliorum, maxime eorum, qui habitarunt versus sinum Bothnicum. Docet Dei ipsius nomen, â Fennis eum esse nuncupatum; & notum porro Fennos in Biarmia æq; ac maritimis oris aliis, olim degisse: fatigatos autem illos frequentibus incursionibus hostium, cessisse quidem terram illam advenientibus Svecis, at nihilo secius Numini suo antiquo ac patrio adhæsisse. pacta igitur pace cum novis accolis, quoties in Biarmiam religionis causa solverunt, eos conscendisse terram ubi nunc est Finström/ protinusq; sive ab adfluente Fennorum multitudine, sive ab amne, quem intrarunt, novis colonis aut incolis locum dictum Finström.

IV. *Quomodo* Jumala *servatus?* Resp. Statua ejus servabatur valido septo, ac porro certis vigilibus in singulas horas, vid. text. in Konungas.

V. *Quomodo cultus?* ℞. Colebatur Jumala oblationibus, ac sine dubio, pro more Deorum aliorum, etiam sacrificiis. De oblationibus loquitur expresse noster auctor, qui porro addit eas tam effuse fuisse factas, ut non modo cito pecunia replerent vas, quod habuit in genibus, sed ut quoq; tumulum ex eadem ac congesto solo, magnum conderent.

VI. *Quomodo ornatus?* Resp. (1) Fuit statua ejus magna ac procera; alias sub casum, tantum strepitum non movisset. (2) Fuit quoq; eadem cava, quia ad unum ictum Caroli cessit. (3) Habuit illa super genua sua vas quoddam argenteum ac latum (en bulla) quali sed alius materiæ utuntur etiamnum rustici pleriq; per Sveciam. Illo vase excepit munera offerentium. (4) Fuit collum ejus torque aureo cinctum, vide auctorem in Konung.

VII. *Quomodo spoliatus?* Thesaurum reconditum in tumulo spoliarunt socia opera hi Norvegi cuncti. Vas vero abs-

tulit Thore Hund/ & Carolus non saltem collo torquem detraxit, sed & statuam ipsam quamvis nolens, uno securis ictu dejecit: nec legitur ex eo, quod sciam, illa unquam extructa.

# CAP. XX.

*Notat providentiam Dei circa Diaboli κακοζηλίαν apud nostros majores.*

Non dat Deus gloriam suam alii, Esa. 45. moderatur ergo semper & ubiq; ausus diaboli, ne divina sua quæ imitatur, unquam penitus exprimat. Idem fecit ille olim apud nostros Sveo-Gothos: Scilicet ut tulit diabolum simiam sui agere *in multis rationibus exterioribus ac generalioribus*, &c: sic minime passus est ipsum cunctas ceremonias exprimere, quas ipse apud suos benignus ante constituisset, aut si easdem is invasisset, cavit ne in iisdem subsisteret; furorem quippe ejus aut ante avertit, aut longius ruere tulit; omnia ut inter se & adversarium, & ut inter suam ecclesiam, ac diaboli catervam, *etiam in exterioribus, subjectis, adjunctis, propriis, &c*, esset conspicuum aliquod discrimen. Non venabor nunc cuncta discrimina *propria & judaica*, quæ heic inter ipsos dici mererentur, nec singula relinquam. Agam personam mediam, & sic neq; historia privatur sua amabili brevitate, neq; penitus omittitur ante injectus Theologicus scopus.

| *Deus apud suos sic olim:* | *Diabolus apud alios h. p. sic olim* |
|---|---|
| I. Ego Deus cognoscendus sum unus in essentia, & trin9 in personis, Deut. 5: 7. Ps. 33. 6. | I. Tres estote Dii summi *Thore, Oden & Frigga:* si plures non vultis. |
| II. Præter me non dantur alii Dii inferiores, Deut. 10: 20. Esa. 44: 6. | II. Adsint inferiores alii, ceu *Oll, Fro & MillanOdin*, &c. |
| III. Volo vos clementer juvare, Ezech. 33. Esa. 43: 25. | III. Odinus vos mulctat, quia in ipso nulla misericordia. IV. |

| | |
|---|---|
| IV. Do vobis meum verbum, Deut. 30: 12. seqq. | IV. Utamini vestra ratiocinatione, |
| V. Verbum meum vos juvabit. Psal. 19: & 119. | V. Non opus habetis tali auxilio externo & alieno. |
| VI. Consulite meum verbum, Esa. 8. | VI. Inspicite gentes alias, Eph. 4. |
| VII. Ego Spiritus sum Joh. 4: 24. | VII. Imagines, idolaq; inspicite, 1. Cor. 10. 19. |
| VIII. Sacrificia mea erunt ex animalibus puris /. biungulatis ac ruminantibus lev. 11: 2. seqq. Jer. 19. | VIII. Offerte impuros equos, canes, gallos, &c. & taurum quoq; sed postquam cœpit ferocire. |
| IX. Oblationes sunto in res pias ac sacras, & sic sub usibus viventium piorum. | IX. Ornent quoq; meorum tumulos, ac augeant defunctos. |
| X. Mei sacerdotes agant tantum sacrorum curam, lev. 7. 8: 6. & 16. | X. Præsint etiam civilibus, & in certis symposiis agant publice partes primas. |
| XI. Intercedant iidem ac sacrificent pro se populiq; salute. lev 9: 8. | XI. Quid ni benedicitis poculis escisq; sacris, imo convivia cur nō celebratis cum aliis laicis promiscua & victimas sacras devoratis. |
| XII. Meorum sacrorum locus esto certus, levit 10: 17. | XII. Potestis eisdem passim operari. |
| XIII. Intra templum ejusq; aream immolentur mihi sacrificia, lev. 10. | XIII. Mactate ubi vultis, & quoq; in luco animalia suspendite. |
| XIV. Ordinate vestra cuncta ad iram meam placandam, & sic bona petite in genere, &c. lev. 4. | XIV. Imminete bonis temporalibus, imo, eadem exposcite, quæ vultis ipsi præscribentes, &c. |
| XV. Certis sacramentis vobis confero ac confirmo meam gratiam, cui potestis inniti, Gen. 17. Hagg. 2: 6. | XV. A vestris sacrificiis dependet vestra gratia, cessate vos ab operibus, & ubi erit vobis spes ulla relicta? |

XVI. Sin

| | |
|---|---|
| XVI. Singula facite in meam gloriam immediate, at mox in salutem vestram. | XVI. Orate ac laborate in numinum vestrorum gloriam, & temporalia ab eis maxime expectate. |

In quibus omnibus videre est, Deum sua providentia aut prorsus abarcuisse Sathanam â plerisq; suis ceremoniis, aut admissum eundem coëgisse, res concessas qua *materiam*, *formam aut finem*, *&c.* aliquo modo variare, ne se in rationibus interioribus prorsus exprimeret, cumprimis vero jussisse Deum Sathanam in exterioribus ac generalioribus subsistere, nè ingressus interiora pro lubitu, divina omnia suis impiis misceret, aut sublato discrimine præceptorum suorum divinorumq;, ne se non modo ut otiosum spectatorem culparet, sed & quos vellet, suis laqueis promiscue irretitos, ne secum æterno exitio damnaret.

## CAP. XXI.

*Quærit an cuncti Sveo-Gothi serio in ante recensitis tenebris consederint, & annon aliqui per illas apud alios luserint?*

Reminiscendum heic πολυθεότητα ·/. Deorum multitudinem, non tam rationis errorem esse, quam imperiti vulgi lapsum, æstimantis ut solet, pauca ex veritate, at pleraq; ex opinione: Sapientiores itaq; in eam consentire, non defectu rationis, ut modo dictum, sed quod ex usu reip. videant esse, imperitam multitudinem plurium Numinum metu percellere, quo facilius singuli contineantur in officio. Sic ludunt quandoq; ingeniosi politici cum sua rudi plebe, & artem eorum, loquor de paganis, prodidere jam pridem auctores varii. Prudentius canit in Apotheosi vers. 26. 8.

Con-

*Consule barbati deliramenta Platonis,*
*Consule & hircosus Cynicus quod somniat, & quos*
*Texit Aristoteles torta vertigine nervos.*
*Hos omnes quamvis anceps labyrinthus & error*
*Circumflexus agat, quam promittere & ipsi*
*Gallinam soleant aut gallum, &c, &c,*
*Convertunt tamen ad normam rationis & artis*
*Turbidulos sensus, & litigiosa fragosis*
*Argumenta modis concludunt numen in unum*

Similia vidimus supra ex Seneca; & sicut lumen naturæ unum tantum numen summum novit, teste Apostolo ad Rom. 1. & 2. conf. ad Eph. 4: sic semper non nisi unum Deum sapientiores cuncti agnovere ac serio voluere; prorsus sicut canit Valerius Soranus.

*Juppiter omnipotens, regum rex, ipse Deusq;*
*Progenitor, genitrixq; Deum, Deus unus & idem.*

Adpl. Si jam alibi terrarum sapientes animis suis damnarunt multitudinem Deorum, quam tamen nonnunquam plebi vel indulserunt, vel ob certas causas imperarunt: Sequitur profecto etiam in Sveo Gothia nostra, eandem fuisse olim rejectam, qua cultum serium ac solidum, si tunc temporis patria nostra aliquos sapientes aluit. Non autem est difficile probare hac periodo apud Gothos, extitisse sapientes. Augusl. lib. VIII. de civ. D. c. 9. post Jonicos & Italicos Philosophos, enumerans etiam aliarum gentium sapientes, docet clare & nostris fuisse suos sapientes: talem quippe catalogum nectit, recensens *Atlanticos*, *lybicos*, *Ægyptios*, *Indos*, *Persas*, *Chaldæos*, *Scythas*, *Gallos*, *Hispanos* &c: Fuêre igitur tunc

tunc temporis etiam nostris Sveo-Gothis sui Philosophi ac sapientes. Quinam v. iidem fuerunt, qui post *Zeutam*, *Anatharsen & Samolxen*, insigniter in studiis excelluerunt, difficile est novisse, in tanta scriptorum inopia. Vulgus vero doctorum recensere, & longum esset, & foret quoq; ingratum: Nam *nec defuerunt, qui eos sapientiam erudirent; unde & pene omnibus barbaris Gothi sapientiores semper extiterunt, Græcisq; pene consimiles, ut refert Dio, qui historias eorum annalesq; Græco stilo composuit:* verba sunt Jornandis c. v. p. m. 18. seq. Ex quibus omnibus planum est, quod sicut nostri Sveo-Gothi hanc suam periodum multis sapientibus ornarunt, sic vanam Deorum multitudinem in istis suis ornamentis, tunc ac semper iidem damnarunt; quod hoc capite fuit memorandum.

# CAP. XXII.

*Docet quid de cæteris nostris, qui tunc vixerunt, sit tenendum.*

Apost. Paulus *Epistola, quæ est ad Ephesios cap. 4: vers. 17. seqq.* docet quæ sunt principia actionum malarum apud paganos. Dicit *à mente* esse vanitatem; *à ratiocinatione* tenebras, & *ab occæcato corde*, pullulare operationem impuritatis omnis &c. Hæc fata sunt communia gentibus omnibus, verbo Dei non illuminatis. Ut itaq; hujus periodi nostri Sveo-Gothi pleriq; sederunt in crassis tenebris, sic sunt iidem minime liberandi â communibus paganorum aliorum affectionibus. Ambularunt ergo in suis vanitatibus, quod laborârunt mente rationeq; corrupta: tenebras vero sic illi intrarunt, prout ratiocinationibus magis aut minùs abundarunt, & qui ratiocinationibus minus indulserunt, illi quantum ad has tenebras, feliciores fuerunt. At qui corde dedoluerunt, ii de peccato ruerunt in peccatum, cunctorum peccatorum

do-

dominio misere subjecti. *Primo gradu morbi communis, quoad mentem corruptam, laborarunt nostri cuncti*, nec quoad ipsum, fuerunt illi paganis aliis inferiores, aut superiores. *In secundo gradu:* (forsan placet alterum principium dicere) *excelluerunt illi insigniter*, rueruntq; hic tanto frequentius ac profundius, quanto ceu sapientes, divina sæpius altiusq; cœcis animis versarunt. Absorpsit ergo eorum multos sua ratiocinatio, Psal. 73: at qui mystice sub tribus celebribus numinibus, *Thore, Oden & Frigga*, etiam alia numina venerabantur, de illis usurpabo, quod de judæis scribit Jer. cap. 11: 13. *pro numero civitatum tuarum sunt Dii tui ô juda* (ô Sveo-Gothe) *& pro numero platearum* Jerusolymorum, (Upsalensium) *disposuistis altaria pudendo, altaria ad suffitum faciendum &c. Tertio gradu aut principio, non credam nostratium multos cecidisse*, quod studium armorum, virtusq; bellica plerosq; ab ejus viciis facile servavit, ne vel illis multi vacarent, vel disciplinam militarem nè iisdem illi turbarent. Enervantur ut constat, animi talibus flagitiis: nostri igitur eadem ceu insidias, semper caverunt, quo fortiores suis hostibus adparerent. Aliquos tamen hujus principii vicijs succubuisse, non negabo; ut quoq; hodieq; nonnulli perditi inveniuntur, quibus nec fides est, nec Deus, & qui ideo per bonas leges mulctantur, in flagitiis suis deprehensi.

## CAP. XXIII.

*Adstruit in tanto infidelium cœtu, hac periodo fuisse aliquos fideles per Sveo-Gothiam.*

Cœcitatem nostrorum publicam notavimus præcedentibus aliquot capitibus: nunc animus est despicere, *annon sub istis tenebris aliqua fuit domi vera veri Dei ecclesia?* Hanc quæstionem nos affirmamus, quia varia sunt, quæ spem nobis

ſubjiciunt fuiſſe, ut tunc temporis etiam apud noſtros, invenirentur aliquot pii ac religioſi.

I. *Subdunt nobis hanc ſpem varia divinorum Prophetarum oracula.* Eſſet nunc eundum ordine per omnes prophetas, quorum vaticinia aut dicta memorabilia, unquam ad nos pervenêre; at moleſtum eſt in ſingula eorum loca inquirere, & longum quoq; omnia huc pertinentia, exſcribere. Loco ergo omnium, loquatur hac vice noſter clariſſimus Jeremias, ut ex verbis Prophetæ unius intelligatur, quid velint, quidve doceant cœteri. (1) Fatetur propheta Jeremias Deum minari ac velle judæos per omnia regna diſpergere, *exponam eos commotioni in malum, apud omnia regna terræ &c, cap. 24: 9. conf. 15: 4. 29: 18. 34: 17.* & porro *adducam contra Helamitas quatvor ventos à quatvor extremitatibus cœlorum, ſpargamq; eos in omnes ventos iſtos, adeo ut non ſit futura gens, quo non perveniat aliquis depulſorum è Helamo, c. 49: 36.* Hinc adparet quod Dei minis judæi ac Helamitæ debuerunt etiam in Sveo Gothiam transportari. (2) Docet propheta Jeremias eos actu ipſo fuiſſe diſperſos per omnia terrarum regna, quando prophetica ſcientia ait eos fore colligendos *ex omnibus locis, cap. 8: 3. & ex omnibus terræ lateribus, cap. 31: 8.* E. etiam è Sveo Gothia fuerunt colligendi. (3) Si eſſet aliquis locus aut provincia aliqua, quorſum non fuiſſent delati, (eſt hypotheſis) jam oſtendit propheta famam de commotione eorum, nec non poſt eorum flagella, rumorem de vapulantibus Babyloniis, debere ubiq; terrarum iri vulgatum. Ideo vocatur *Babylon malleus totius terræ, jer. 50: 23.* & ipſa *victa commovet omnem terram, ibid. 46.* ſicut paulo ante, *poculum ejus inebriavit totam terram, jer. 51: 7.* (4) Alloquitur propheta non tantum ſeptentrionales Chaldæos & Romanos, quod objici poſſet, ſed & inſulares alios: imo, omnes è lon-

longinquo habitantes, ut hanc Dei dispositionem de dispersione & collectione judæorum, ruina babyloniorum &c, cuncti intelligerent, Jer. 31: 10. h. e. ut docet *ferrum ferro conteri*, *cap.* 15: 12. sic heic ostendit cecidisse Babylonios multorum casuum apud alios, auctores, Deiq; in aliis castigandis ministros, cap. 43: 10. Ex quibus omnibus adparet juxta judicium Dei, propositum Deut. 28: 64. in varias terras fuisse disjectos judæos, & famam de his omnibus perlatam in omnes mundi extremitates. *Ais: Si quoq; in Sveo-Gothiam hic rumor vulgabatur: imo, si ipsi judæi in Sveo Gothiam tunc mittebantur, quid lucri inde ad nostros, pro eorum salute? Resp. Erit etiam si omnino didicerint vias populi mei jurando per nomen meum, vivit jehova, &c. ut ædificentur in medio populi mei, jer. 12, 16.* En bonam resolutionem & spem magnam, &c.

II. *Docent idem variæ Dei dispensationes olim ad nos homines informandos, factæ juxta cursum naturæ irregulariter, at juxta Dei œconomiam mirabiliter semperq; benigne.* Date h. v. præcipiti adplicationi veniam. (1) Eliam transtulit Deus sæpe de loco in locum: Fuit igitur is Deo vehente, in pluribus locis: ais, *an quoq; in Sveo Gothia?* non docetur id in sacro textu: nec forsan negabitur penitus, propter abundantem Dei bonitatem, & propter modum extraordinarium in Elia, ad varios juvandos. (2) De Ezechiele narratur quod is 25 anno transmigrationis, adductus â Spiritu, super montem excelsum, vidit templi structuram; Sed *quam aú, & quomodo?* Sufficienter de his duobus te postea docebo, si primum informaveris me, non similiter ad alia loca fuisse prophetam hunc vectum. Vides spiritu eum fuisse vectum: at non additur, ad unum certum locum, nec semel tantum. Ut itaq; vi ejusdem argumenti, non potes dicere eum ad plures populos, pluraq; loca fuisse vectum: sic nec per idem illud argumentum recte negabis personam extraordinariam

non pluribus inserviisse, Auctori Summo si tunc ita visum fuit. (3) Notari heic meretur, quomodo Deus *aliquando immediate, aliquando mediate, sed per media inusitata, ac sic fere tantum non immediate*, se olim & quidem hac periodo, paganis notifecit. Alexandro Magno obversabatur Deus in somno & pontificem summum in suo ornatu ei ostendebat, &c Joseph. l. 11. Costo Persarum Regi detexit sese Christus per quandam imaginis fusionem. Recitat historiam Wolfius Cent. I. rerum memorab. Est vero narratio ejus prolixior, quam ut libeat eam hic totam exscribere. *Summa hæc est*: Costus Rex Persarum non beabatur aliqua sobole: confugit ergo auctoribus Medicis ac Astronomis, ad preces Deorum. Hos autem conjunctim frustra cum diu sollicitasset, audit ac accipit Macrobii, cujusdam Astrologi, consilium, de Deo Deorum ignoto, sacrificiis propitiando. Dat aurifabro magnam auri copiam, ut figuram ejus Dei sibi fingat. Qui bis ter, quaterve in petra, conatus illam statuere, *semper figuram hominis crucifixi extraxit; quod & alii fabro idem tentanti, in præsentia Regis, evenit.* Hæc crucifixi figura est postea consilio ejusdem Macrobii, in templo Deorum posita: At non tulerunt eam cœterorum Deorum imagines, sed cunctæ sicut ad arcam Domini Dagon, una nocte concidere. Soli ergo illi erectæ cum Rex aliquantisper sacrificasset, mente in Deum ipsum intentus, pulchris liberis procreatis, voti sui est compos factus. conf. Wolfius Cent. I. Memor. rer. p. 4. quem non credam ex libidine mentiendi, hæc talia scripsisse.

Tempore imperatoris Tiberii revelavit Deus per quendam genium, incertum quem, *Magnum Pana* (ego interpretor Magnum pastorem ovium, Christum Jesum) *obdormivisse*. Historiam habet Plutarch. de def. Oracul. ita autem illa habet. *Qvum aliquando Epitherses Æmiliani Oratoris pater in Italiam*

*liam navigaret, conscensa nave, quæ merces & frequentes conscensores vehebat, sub vesperam ad Echinadas insulas venisset, sedatis ventis, navis Paxis (insulæ ab Echinadibus versus Italiam non longe dissitæ) adpropinquavit. Vigilantibus etiamnū plurimis navigantium, & multis adhuc â cœna compotantibus, repente ex insula Paxis, vox cujusdam (incertum cujus) exaudita est, Thamum quendam clamore vocantis & nominantis, non sine audientium stupore. Thamus vero vir Ægytius & illius navis gubernator, tacuit ad primam & secundam sui adpellationem. Cum vero tertium vocaretur, se audire respondit: Tunc ille quicunq; genius fuit, contenta voce dixit: ubi veneris ad Palodes promontorium quoddam italiæ, annuncia quod magnus Pan sit mortuus. quod qui audiverunt attoniti secum deliberarunt, facerè ne præstaret imperatum, an non immisceri negociis alienis, sed rem omittere, &c. Qvum jam ad Palodes delati essent, & commodum venti quievissent, fluctusq; nulli essent, Thamus ex puppi ad terram promontorii facie conversa, proclamavit uti ad Paxas â genio audierat.* ὁ μέγας Πὰν τέθνηκεν. *Qvum autem vix hæc verba pretulisset, extitit non unius, sed multorum geniorum magnus planctus, cum stupore conjunctus. Hujus rei fama, propterea quod multi essent, qui audierant, cito Romæ percrebuit. Accitus proinde â Tib. Cæsare Thamus eandem confirmavit. Tanta autem â Tiberio, sermoni huic fuit habita fides, ut de Pane sollicite inquireret &c.* conf. Clariss. Erasm. Schmid. in notis ad cap. 13. Epist. S. Pauli ad Hebr. ubi hanc eandem historiam exscribit, ac ad mortem Salvatoris nostri adplicat. Ut itaq; Deus juvit gentes alias ordinationibus talibus singularibus, sic minime est negandum, eum similibus nostros beâsse, cum illi æq; ac gentes aliæ, ipsi essent curæ cordiq;: imo credere fas est, Deum pluribus nostros ornasse, ne Semitis in Asia relictis illi quoad spiritualia, toto genere essent inferiores.

*III. Fovet spem nostram in hoc argumento, consideratio Sibylla-*

*rum*; Eæ quippe oracula divinitus ſibi concredita, hominibus ſuis revelarunt, ut loquitur Galat. lib. 1. cap. 6. imò, ut fuerunt τῆς μεγάλης θεότητος ἐλαυνόμεναι βελέεσσι, ut loquitur Nazianzenus, ſic ſingulæ arcana ſibi commiſſa promulgare non intermiſerunt. Vaticinabantur vero non tantum *de mutationibus variorum regnorum, ſed & de Chriſto ac antiChriſto, nec non de beatitudine piorum, & cruciatibus impiorum &c* Potuerunt igitur varii in oracula earum incidentes, viam ſalutis recte doceri, ac ut ipſæ plures fuerunt, Dei ordinatione non tantum aliis atq; aliis temporibus viventes, ſed & locis pluribus diſperſæ (fuit ex ſententia Varronis *Perſica, lybica, Delphica, Cumæa, Helleſpontica, Phrygia, Tiburtiana*) ſic variis in locis, & temporibus diverſis, plures per eas juvabantur: Credibile igitur & aliquot noſtrorum in eas hac periodo incidiſſe, cum in Græcia ubi legebantur de earum vaticiniis varia fragmenta, nec non in Italia, illi tunc frequentes peregrinarentur. *Sibyllis in hac claſſe adjungo Philoſophos.* Pherecides qui affirmavit animos eſſe ſempiternos, fuit natione Syrus, & ſic â veris Dei prophetis eruditus. Hic præceptor fuit Pythagoræ, ac per conſequens, præceptor noſtri Samolxis, qui Pythagoram audivit. Socrates perluſtravit ultimas terræ regiones. Plato vel vidit, vel audivit Prophetam jeremiam in Ægypto. Jeſus filius Syrach floruit poſt captivitatem babylonicam. Platinus tradidit multa ſacra, & Deos gentilium damnavit ante Hermes Ægyptius. Sed cui facile eſt, cunctos ſobriores Philoſophos recenſere? Philo judæus vixit Alexandriæ, ubi librum ſapientiæ conſcripſit, & ubi non fuerunt judæi, ſeculis ante natum Chriſtum ultimis? non tantum diſperſi in omnes gentes vixerunt, ſed & paſſim ſuas Synagogas, officinas literarum, etiam apud gentes habuerunt: conf. Act. 17. & ſeqq. ubi videbis Synagogas fuiſſe *Theſſalonicæ, Beræa ac Athenis &c*, in locis gentilitiis.

*Dicis: ferebantur tunc judæi in Græcia, at non item in Svecia, quæ nimio amore in suos Deos propendebat.* ℞ (1) Ut κατείδωλος civitas Atheniensis habuit Synagogam judaicam intra suos muros, sic potuit eam habere κατείδωλος civitas Upsaliensis; & ut ἄνδρες Ἀθηναῖοι δεισιδαιμονέστεροι ὄντες tulerunt Synagogam judaicam, sic eandem tunc ferre potuerunt δεισιδαιμονέστεροι nostri. (2) Ponatur tantisper, at non concedatur, tunc temporis nullam apud nostros fuisse Synagogam, an ideo est negandum, cum Synagogis exteris nostros non communicasse. docent monumenta varia nostros peregrinantes, in Græciam cumprimis divertisse. Invitabantur literarum flore ac amore, & ne opinemur eos Athenas neglexisse, facit cum studium literarum, quod ibi eminebat, tum cupiditas visendæ sedis Amazonum suarum popularium, qua cuncti flagrabant. Fuit ibi ἄρειος πάγος, extra civitatem: sic autem dicebatur illud dicasterium, non tam quod Mars ibi olim degebat, aut tantum quod Martialia ibi tractabant, uti volunt multi, sed quod Martiales Amazones ibi consedissent, molientes Thesei ultionem. Sic canit Æschylus suis Eumenidibus: Πάγον δ᾽ ἄρειον τόνδ᾽ ἀμαζόνων ἕδραν, σκηνάς θ᾽ ὅτ᾽ ἦλθον Θησέως κατὰ φθόνον στρατηλατοῦσαι &c. Ut igitur h. t. exterorum opera inspicimus, quæ sunt vera, nostratium vero admiramur, quæ in exteris singularia invenimus: sic minime dubium quin fama ardorq; admirandæ rei Athenas tunc peregrinantes nostrorum multos traxit, qui sic si non alia ratione potuerunt, in Synagogam judaicam incidêre, ac ex eadem in patriam, sacra dogmata reportavère.

*Summa dicendorum huc redit*: Græci & Ægyptii fuerunt familiares tempore Philippi. Romani vixerunt Græcis amici, dum Solonis leges ab eis expetierunt. Cum Romanis pepigit Judas Machabæus fœdus, & locis omnibus patuerunt Syna-

nagogæ advenientibus. Semper itaq; per hanc aut illam gentem; imo, etiam per suos domum revertentes, potuerunt nostri veriora doceri, si domi publicis præceptoribus destituebantur. Legimus Theophrastum duo millia auditorum habuisse, nec negandum totidem discipulis gavisos doctores alios, sive Syrachidem intellexeris, sive Philonem, aut doctores in Synagogis Mosaicis, alios. Spes ergo nos tenet læta in eis passim locorum, fuisse Sveo Gothos plures.

IV. *Confirmatur hoc idem argumentum ex commistionibus variarum gentium, quæ hac periodo raræ & singulares contingebant.*

Inter judæos (1) vigente adhuc religione vera, *Johannes pontifex*, qui & Ionatham vocabatur, interfecit in templo fratrem suum jehusæum, ambientem pontificatum, & hinc valvas templi in contemptum legis, legimus calcatas â Vogeze præfecto Artaxerxis, qui Jesui illi favebat, Jos. l. 11. c. 7. Johannis filio Jaddo ob pontificatum, controversiam movit *frater Menelaus*, affinitate præfecti Regii suffultus, unde iterum maximæ turbæ, 2. Esdr. cap. ult. *Jaddus* insignibus pontificiis percelluit cum exercitu advenientem Alexandrum Græcum, in se ac suis ornamentis, agnoscentem Deum, qui se ad bellum Persicum commovisset, Joseph. lib. 11. c. ult. *Ptolomæus Lagi* ex Ægypto movens in judæos, multos eorum fecit pares cum Macedonibus, ac urbibus nobilissimis vel præfecit, vel adjunxit, Ioseph. lib. 12. cap. 1. *Philadelphus* vero non tantum de suo quamplurimos judæos redemit, cognitos ante verum Deum colere, sed & multos suæ aulæ præfecit, ac nonnullos quoq; interprætes bibliorum constituit, joseph. lib. 12. cap. 2. Melanth. fol. 142. *Antiochus Magnus* multis magnisq; privilegiis judæos donavit, quod suas partes in bello essent secuti, Ioseph. lib. 12. c. 9. imo, Rex Asiæ *Seleucus* de suis reditibus, Onia Pontifice auctore, præstitit summos sumptus

ptus in ministerium sacrificiorum futuros, 1. Maccab. 2. *Heliodorus Seleuci minister* cum intrasset templum ad auferendum depositas pecunias, prostratus â terribili equite sic læthaliter â duobus juvenibus, virgis cœsus est, ut restitutus saluti diceret suo regi: *si quis est Tibi hostis, aut insidiator regni, mitte eum illuc, ac flagellatum recipies, si modo evaserit &c.* 2. Maccab. 3. Hæc judæorum bona temporalia, annon sunt cum religione vulgata? sunt utiq;. & sine dubio surdus fuit, de curiosis loquor, qui nihil eorum audivit, ubicunq; terrarum commoraretur: nam ut *Jerusolyma fuit regina domi, sic gentibus fuit illa quædam princeps, Thren. 1: 1.* (2) Similiter declinante religione verâ inter judæos, annon sunt eorum casus per gentes dispersi? De pontificatu certarunt *Jason & Menelaus*, ambo ob non præstitam mercedem, depositi. *Onias* â jasone extrusus, ac necatus ab Andronico, studio Menelai. Menelao expulso, intrusus *Lysimachus.* Ex quo strages magna in judæa est facta per *Epiphanem* ab Ægypto revertentem, qui 80 millia judæorum occidit, 40 millia vendidit, ac totidem vinxit, quiq; impurè attrectatis sacris, misit Apollonium cum 22 millibus ad insidiandum honestioribus in judæa relictis, quod quoq; fecit die Sabbathi, 2. Maccab. 5. Et quid postea, h. e. ex 137. anno regni Græcorum, Matthia ac filiis ejus, dictis Maccabæis, regnantibus, est gestum in judæa? Antiochi varii duces cœsi aut profligati: & nominetenus superati *Apollonius, Gero, Gorgias, Nicanor ac Lysias*, nec non recuperata Jerusolyma: tum confessio expressa, *judæis esse Deum protectorem, nec posse eos vulnerari, quod ejus leges observarent*, conf. 1. Maccab. 4. 5. & 2. Maccab. 8. ubi videbis victos jdumæos Ammonitas & alienigenas qui confederant in Galaad, simulante bona Epiph, 1. Macc. 10. ubi porro videbis trucidatũ cum ex-

ercitu suo Lysiam ad preces judæ, 2. Maccab. 11. ac mox cum 120 millibus peditum cæsum Timotheum, per sex millia judæ, 2. Maccab. 12. &c, &c, Quæ omnia non potuerunt non vulgari per gentes: Adde deniq; quæ post Hircani mortem sunt gesta, per *Aristobulum*, *Alexandrum*, *Hyrcanum Alexandri* &c, &c, & similiter videbis argumentum rumoris sacri per orbem terrarum spargendi, esse abunde suppeditatum per judæos, ac in judæis.

II. Considera hic fata, quæ volvebantur *inter gentes*: Ex posteris Abrahami â Kethura susceptis, seculis his posterioribus, celebres fuerunt per Arabiam ac Æthiopiam *Escam*, *Suden & Median*, nomina quæ â primis Abrahæ filiis *Ieschan Suen & Median* facile derivantur, conf. Esa. 28. & Strabon. lib. 16. Plin. lib. 6. Ac tametsi hæ gentes aliunde derivari possint, quod duæ è gentibus Chami, Sabææ gentes sint dictæ: adparet tamen quod hinc & non aliunde eædem sint derivandæ, cum quod Josephus ab Abrahamo illas velit deductas; tum quod Esaias cum nepote Abrahami filio Madian, conjungat Sabæos. (1) *Quod vero Homeritæ ex his Arabibus, Hebræorum ritus sancte olim observarunt id* testantur Plinius ac Procopius, constatqvè horum Homeritarum plerosq; fuisse circumcisos, ac semper unum immortalem Deum coluisse: *An vero iidem præterea nulli exteræ nationi unquam cesserint in potestatem*, sed contra sui juris existentes, religionem hebræorum servaverint sanctam usq; ad tempora Justiniani, quando ab Adab Axumitensium Æthiopum Rege sunt victi, uti scribunt Procopius & Paulus Diaconus, id si verum est, jam majus quid ac mirabilius, est huic genti datum, quam quod inter vulgaria debeat reponi. (2) *Sicut hosce Homeritas* */. *Arabas Sabæos, constat felices fuisse diuturnitate religionis ac imperii*; sic auctore Diodoro liquet nec Æthio-

thiopas imperio alienigenarum unquam antiquitus paruisse; quin contra, notum est eos sæpius habuisse reges ac reginas, qui cum imperii amplitudine, religionem veram visi sunt velle promovere. nam uti Therac imperium protulit usq; ad Herculis columnas, prout ex Megastene scribit Strabo lib. 15. sic veluti religionis assertor, movit ille contra Sennacheribum Regem Assyriorum, cum Ezechiam Jerusolymis obsedisset, 2. Reg. 19. & Regina Candace, de qua Act. 8, annon Hebræorum ritus observavit? observavit omnino. Per hos igitur itidem ac per judæos ipsos, potuit vera religio ad nostros deferri. *Quid* (3) *dicendum de Agarenis, posteris Ismaëlis, nunc dictis Saracenis*, nomine mutuo accepto â Domina Sara, nè naturalem matrem Agar amplius exprimentes, putentur nothi, uti scribit Josephus, & sentiunt S. Patres varii, conf. Gen. 16. Annon hi olim circumcidebantur pro more Ismaëlis, 13 anno ætatis? & annon uti invicti foris manserunt, magis singulari privilegio divino, quam suis armis (taceo quod referente Dione, illis imminentem Trajanum deterruerunt cœlitus immissa tonitrua ac fulmina, &c) sic domi adhæserunt religioni veræ, usq; ad tempora Athanasii, quando rege Alamanduro Episcopum habuerunt Mosen, testibus Sozomeno ac Nicephoro. Plura addere de hodierno eorũ statu, nihil nunc attinet: seducti â Mahumeto, bonis suis exciderunt, & dum impios hodie alios consectantur, Christianorumq; scelestos flagellant, ostendunt etiamnum se Ismaëlis progeniem esse, cujus manus contra omnes, & contra quem manus omniũm, Gen. 16. (4) *Navigarunt Esavitæ in omnes terras*, per Indiam Africam, Arabiam, Asiam & Europam: *imo*, (5) *in Siciliam quoq; adpulerunt*, Panormiq; adjunctis multis Phænicibus tandem consederunt, uti testantur inscriptiones duæ vetustissimæ

ibi repertæ, ac â Fazelio dec. pri. lib. 8. recensitæ, quæ sic sonant: *vivente Isaac filio Abrahæ & regnante in idumæa atq; in valle Damascena Esau filio Isaac, ingens hebræorum manus, quibus adjuncti sunt multi Damasceni atq; Phænices profecti in hanc triangularem insulam, sedes perpetuas locaverunt in hoc amœnissimo loco, quem Panormum nominaverunt.* Altera vero ita: *Non est alius Deus præter unum Deum. non est alius potens præter eundem Deum, neq; est alius victor præter eundem, quem colimus, Deum. Hujus turris præfectus est Saphus filius Eliphaz* &c. conf. Herodot. l. 1. & 4. nec non Plin. l. 4. c. 21. ubi ostendit Gadium Hispanorum olim dictum Erythia, fuisse Syrorum, quod illi & non alii quondam habitabant ad mare Erythræum (6) *Fuerunt Spartani judæorum fratres 2.* Maccab. 12. & sic auctore Dione lib. 1. uti Croto, Locri, Tarentum &c fuerunt Spartanorum coloniæ, per italiam: sic fuerunt eædem coloriæ pariter Hebræorum. In omnibus vero sonuit religio vera, quâmvis ceremoniæ judaicæ ubiq; non servarentur, ac quamvis ad idola colenda una cum vero Deo, multi sæpius deflecterent. Semper autem & ubiq; per hosce facta fuit nostris Sveo-Gothis potestas, sub suis tenebris, consulendi verum Deum, in suis generalibus ceremoniis, h. e. si non in judaicis omnibus; in iis tamen, quas bonus Deus judæorum majoribus olim imperavit, ac postea erecta rep. judaica, ut sufficientes in extraneis toleravit, ac bonus propagavit. (7) *Si adderemus hic varia bella Romana, inveniremus itidem occasiones nostris datas, aliquos sanctos inveniendi*: credere fas est, in exercitibus his aut illis fuisse aliquos religiosos, & pariter credibile in istis motibus non qvievisse Sveo-Gothos, sed aut huic parti, aut illi interfuisse. Expende quæso *bellum Tarentinum, bellum Punicum primum, & secundum, bellum Gallicum & Teutonicum*, quod fuit inter duo Punica: *bellum*

*Macedo-*

*Macedonicum*, *Punicum tertium*, *Numantinum*, *Achaicum*, *Cymbricum*, *Civile inter Syllam & Marium*, *nec non inter Pompejum & Cæsarem*. &c. in his vides gentes fuiſſe variis ſedibus excitas, ac mixtas quandoq; inter ſeſe omnes tres orbis terrarum partes: credibile igitur in tot innumerabilibus millibus hominum, etiam pios non paucos fuiſſe, eosdemq; cum noſtris aliquib9,ut cum aliis,communicaſſe viam ſalutis.Et quid? in bello Teutonico ac Cymbrico noſtratium plures fuiſſe, ſunt multa documento certo. Plures itaq; illorum qui evaſerunt, cum medicamentis vulnerum corporalium, potuerunt medicinam vulnerum ſpiritualium ſecum domum ut glorioſam prædam, reportare. Sed occaſionum ſatis eſt; adde tamen adhuc ſuperioribus (8) *Fugam judæorum ex Paleſtina*, dum Antiochus Epiphanes antiChriſti typus, everſis ſacris juſſit templum jovi Olympio conſecrari, ac jovi Hoſpitali aliud erigi. nam dum voluit abolitis ſacris antiquis, ut quilibet ad impietatem gentilem tranſiret, ac ut occideretur, qui ire recuſaret, uti exemplo ſunt ſeptem fratres una cum matre, alii poſt alios miſere necati; annon ejus furor multos pios proboſq; homines ejecit ſuis ſedibus? ejecit utiq;: ac illi extorres facti paſſim per mundum vagabantur, Dei Abrahami, Iſaaci ac Jacobi, veri præcones: Crediq; poteſt ex eorum numero fuiſſe Marthan illam, cujus ceu fatidicæ conſilio utebatur Marius adverſus Teutones ac Cimbros, quando ad aquas ſextias trucidavit Teutonum ducenta millia, captis millib9 90:& quando ad Atheſin flumen delevit Cimbrorum centum quadraginta millia, &c. An tamen hæc Marta pia fuit, jam non diſputo; ſed ſuffecerit hic dixiſſe eam judæam fuiſſe, judice Philip. Melanth. Chron. l. 2. p. 176. (9) *Adde Gymnaſia varia*, tunc temporis extructa, ceu *Jeruſolymitanum in judæa*, conditum â Jaſone ad perci-

piendas literas græcas, quærendamq; rationem religionum aliarum &c, & *Themanianum olim erectum in Idumæa*, ubi floruit ſapientiæ ſtudium magnopere, teſtibus Jeremia, c. 49. Barucho cap. 3. ac Abdia cap. 1. & ex quo prodiit Elephas, qui colloquia ſapientiæ pleniſſima, miſcuit olim cum Jobo, Adde (10) *translationem bibliorum* Alexandriæ factam, & habebis ut ſpero, non ſolum converſionis veræ multas occaſiones noſtris ſuppeditatas, ſed & quod intendo docere, in aliquas earum ſi non omnes, noſtros Sveo-Gothos olim incidiſſe, vigilantes cum per ſe in audiendis novis, tum gratia Dei in hiſce promotos, quæ langventes ſolet ex inde bito favore, excitare, currentes autem ac ad tales rumores ſuſpenſos nunquam deſerere. Jaceat ergo h. tempore depoſitum commercium *inter noſtros domeſticos ac exteros fratres, tam Oſtro-Gothos, quam Weſt-Gothos*, quin tamen noſtri domeſtici per aliquam ante memoratarum occaſionum, ſint adjuti, in ſalute invenienda, ego nullus dubito, qui gratiæ divinæ multum in nobis vocandis ac urgendis credo tribuoq;. *Per translationẽ ſunt libri Prophetici multis gentibus facti notiores & propagata latius vera de Deo doctrina*, ait Melanth. Chron. lib. 2. fol. 142. fallor igitur an non ex quo translata ſunt ſacra biblia in lingvam græcam, formula precandi κυριε ἐλέησον ſit ſtatim per cunctas gentes vulgata. Fuit hæc formula Chriſtianis olim ſemper ſolennis, quin & tempore Adriani Cæſaris, etiam Romanis fuit illa publica; nam non tantum in caſtris ante prælium, cantabant eam, vide Maurit. Strateg. libro. 3: cap. 19; ſed & domi ſemper eandem frequentabant, τὸν Θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ. Κύριε ἐλέησον, ait Arrianus diſs. Epict. lib. 1. cap. 7. Quin & Virgilius l. 9. Æneid. videtur ad illam alludere, dum canit: *Magne pater divum miſerere*, & rurſus lib 12. *Faune*

*ne precor miserere.* Sicut igitur hæc formula floruit tempore Adriani, ac fuit ut spero, tempore Virgilii, sic non est absurdum dicere statim ex quo facta fuit translatio, eam per lingvæ communitatem, ex loco clarissimo, in cunctas provincias fuisse vulgatam ac ubiq; mox usurpatam.

*Quorsum ais, hæc cuncta conducunt?* Indicat titulus capitis usum eorum, vides præterea fere ad singulas rationes, quomodo adplicabuntur. ut tamen rectius vim eorum ac pondus assequaris, divide hic priscos nostros Sveo-Gothos in duas classes, ita ut in una constituantur *quoad actus physicos ac morales, pædagogice nolentes salvari*; & in altera, *quoad actus eosdem pædagogice volentes salvari h. e. beari.* De prioribus h. e. de nolentibus, non sunt hæcce nostra intelligenda, sed unice ducenda sunt illa ad posteriores seu volentes, ac usu rationis recte utentes. De tali quodam habetur in descriptione Norvegiæ Petri Claudii pag. m. 160. his verbis: Det skrifvis at skulle hafve wærit en Mand paa Island i Hedenskabs tiden / som aldrig wilde offre til træguderne / der hand var ælde gammel / oc fornem at hand skulde dö da bad hand sine Sönner bære sig ud / at Solen kunde skinne paa hannem / oc der hand saa Solen / sagde hand. J sige at træguder ere guder som macht hafve / oc ieg seer dog ingen ting som de hafve skabt oc giort / eller endnu göre / men de kunde icke röre sig sielfver; men den Gud som Solen hafver skabt / det klare Lius met Himmelens Stiernor / den er en sand oc mæctig Gud / paa hans miskund vil ieg nu dö / oc der niet gaf hand Aanden op / &c. Accipe ergo jam in exemplum hunc talem, & ejus similes Sveo-Gothos multos alios, tum porro si me de spe salutis eorum æternæ percuncteris, respondebo illos in vita sua honeste viventes, suspensos item semper *de loco in quem animula, vagula, blandula, hospes comesq; corporis, post mortem abibit*, ut dixit Adrianus Cæsar: ac sollicitos ad omnem

occasionem, mediante qua, possent sibi suæq; animulæ recte consulere: tum bonitati divinæ ubiq; locorum confidentes, imo, cum confessione infirmitatis propriæ, ad Dei summi misericordiam unicè anhelantes; illos inquam, respondebo non quidem istis suis conatibus cœlum aut mereri aut occupare, uti nec Deum illis cœlum largiri, sive compelleretur is ut creator, sive ut honestorum remunerator, sive deniq; ut communis miseriæ extra Christum, opitulator aut auxiliator: quin tamen idem eorum, ceu singularium suorum operum, misereatur sub istis conatibus, quin eos ad se semper & ubiq; anhelantes porro amplectatur indebito favore, amplexosq; quin ad Christum, viam salutis, deducat, ego nullus dubitabo. Inter media autem trahendorum ac ducendorum eorum possunt enumeratæ rationes nostræ censeri Phil. 1: 15. Sc. amplectentem Deum eos juvisse, *vel per se ipsu, vel per angelos, vel per homines, vel per genios* (pono hanc speciem singularem propter incertitudinem nostram) *vel deniq; per diabolos*, juxta Matt. 8; & Act. *19:* 13. seqq. ipsosq; hac informatione beatos, Gal. 1. in Christo tandem beate obdormisse. Sed quid ego tentabo recensere vias ad Christum? Singulas cognitas jam non habeo, omnes in universum non possum. Deus qui potest facere super omnia quæ cogitare possumus, Eph. 3: novit non has tantum, sed & plures alias in talibus trahendis ac ducendis invenire ac usurpare. Ut igitur is est misericordia magnifica erga suos, sic per viscera misericordiæ suæ, luc. 1:78. etiam nostrorum multos tunc temporis juvit, ac ad Christum fontem salutis promovit: hosq; sic promotos credimus tunc veram ecclesiam heic cōstituisse, ac tandem in cœlum per fidem in meritum Christi, felices migrasse: Nam ut Deus vult, *ut gentes ab inquisitione deveniant ad deprehensionem, & ut vult ut a deprehensione deveniant ad inventionem*, Act. 17: 27. imo, *ut vult recte habentibus plura dare*, *Matt. 13.* Sic credendum est nostros ad se hac periodo anhelantes, æternæq; spei inhiantes, eum non fuisse sua gratuita gratia frustratum. Quod toto hoc capite fuit memorandum conf. supr. libr. 3. pag. 92. seqq.

HYPO-

# HYPOMNEMATA,
## AD HUNC LIBR. VI.tum.

I.

*In multis convenisse Deos majorum nostrorum cum Diis Asiaticis, & dictum est supra pag. 81. & nunc repetendum.* De convenientia inter *Belum & Turram* asiaticos, nostrorumq; *Thore ac Oden*, vide passim in Upsalia antiqua, Clariss. Shefferum. quod vero instar Friggæ nostrorum, fuit Regina cœli Ægyptiorum legere possumus ex Jer. 44:17. Sed tamen ut *Thore ac Oden* habuerunt multa, per quæ differebant â *Belo ac Thurra*; quæ ibidem ac passim apud alios possunt legi, sic habuit *Frigga* sua sacrificia, per quæ fuit distincta â *Melechet seu Regina cœli*: placentis quippe colebatur regina cœli, Jer. 7:18. qua victima non legimus unquam cultam nostrorum Friggam &c. Quæ prioribus nostris cum addantur, juvant omnino credere diversos fuisse nostratium ac Asiaticorum Deos; ac per consequens ex eorum similitudine minus recte inferri, gentem Asiaticam huc in terram vacuam excurrisse seculis Babylonicis, suosq; Deos secum adportasse, qui postea sunt genti auctæ imperati, ac tandem una cum gente, aliis nominibus salutati. De Melechet cœli, vide ingeniosam Dn. Frischmutz Prof. Jenensis disputationem habitam anno 1661.

II. *Quæ nos de falsis numinibus supra scripsimus, ea non sic sunt ad hanc præsentem periodum referenda, ut non æq; pertineant ad secula aliquot illam insecuta.* Nam proh dolor qua periodo cœpit crassa idololatria, eâdem non est terminata, sed aliquamdiu & per plura secula nostratium multos illa misere absorpsit ac consumpsit.

III. *Non est omnibus adeo obvium, cur Chronica sua incipiant*

*quidam vel ab Erico diserto, sub quo natus est Christus Jesus, vel ab aliquo ejus temporis alio, neglectis regibus omnibus, qui illum Ericum antecessissent.* Scilicet vix audent omnes in plagis Borealibus ponere gentem, ante natum Christum, nè labefactent opinionem quorundam, qui ita credunt docentq; & tanto magis abstinent iidem â recensendis priscorum temporum regibus, ne judicio suo insimulentur, non modo gentem finxisse, sed & fictam eandem suis regibus illustrâsse. Sunt fateor multi ex Patribus, qui affirmant *minoribus malis premi orbem terrarum post natum Christum, quam quibus ille premebatur ante natum eundem, adeoq; tam â dominio Christi θεανθρώπȣ universali, quam â religionis Christianæ cultu esse, quod mundus minoribus ac levioribus in ordine ad tempora prisca, nunc concutiatur calamitatibus*; sic docent: Aug. lib. 3. de C. D. cap. ult. Tertulian. in Apolog. Basilius Homil. 9. Orosius fere sub historiarum initium: & sic quoq; loquitur Constātin9 Magnus in orat. sua ad cœtum Sanctorum, apud Euseb. c. 20. Ex quo fundamento pergunt alii adplicare, *nullas post Christum non modo factas, sed nec fore horrendas eluviones aut vastitates alias*; imo, *torridam zonam cum duabus frigidis, nullo modo ante natum Christum fuisse commodas habitationi humanæ, postea vero factas tolerabiles, & cum prius non incolerentur, ex eo fuisse cultas ac frequentatas*, uti scribit Thomas Eugub. de ruinis gentium l. 6. c. 2. & uti idem argumentum ille conatur probare de signis Eccles. l. 15: c. 18. atq; hac opinione, nisi fallor, sunt illi historici imbuti, qui temporibus tam seris sua opera aliorumq; volunt inchöari. Fundamentum a. hoc utut paulisper concesserimus ceu pium; illationes tamen ex eo deductas, non possumus non dicere justo laxiores. Sed neq; convenit putare assumptum in regimen universi, Christum hominem mollivisse imperium, quod λόγος cum Patre &

S. Sancto

S. Sancto tenuit ac usurpavit à condito mundo; verum mollimentum omne, si quod notatur, seculis hisce postremis factum, ab imperscrutabili Dei œconomia esse; Christi quippe preces ac regimen singulare, ad salutem spiritualem novimus magis attendere, quam civilem; sicut pax ipsa, quam nobis sua passione promeruit, Coloss. 1. est hostibus spiritualibus opponenda, non temporalibus: minora igitur mala nostra neq; â Christi Θεανθρώπου singulari ac quasi novo regimine dependere, neq; â nostris meritis arcessi; sed omnia dispensari â Dei paterna cura ac bonitate, qui compellatus in nomine Christi, etiam in temporalibus nobis *quandoq;* parcit. Joh. 15. quandoq; injungit calicem ebibere, Jer. 49: 12. conf. 9: 25. *Zonas v. aliquas ante natum Christum fuisse non inhabitatas modo, sed & ita inhabitabiles, ut demum post Christum regem, facta sint habitabiles*, id ipsum est, quod h. l. pernegamus, teste scriptura quæ asserit paucis post Christum annis, Apostolos in omnes orbis partes excurrisse Matt. 28. & sonum clarum de Evangelio Christi, tempore Pauli auditum per totum terrarum orbem, Coloss. 1. quod non potuisset fieri, si zonæ aliquot caruissent suis habitatoribus, &c. ne nunc addamus argumenta plura, quibus quoquè inserviunt loca Jeremiæ de judæis allegata supr. pagina 279. Justo igitur laxius ex isto principio quod posset concedi dextre expositum, inferri videmus non ante natum Christum, in Sveo-Gothia nostra fuisse colonos, uti videtur velle Olaus Petri, & credunt temere non pauci alii. Quibus autem regibus illi nostri ante gavisi fuerint, quidquè domi aut foris gesserint, scriptoribus civilibus relinquimus narrandum.

*IV. Flavii Vopisci Florianus putat historiam ultra mille annos vix remanere certam.* Sic quippe de aruspicibus loquitur

pag. m.231. edit. Parif. anno 1620. *non magna hæc urbanitas aruſpicum fuit, qui principem talem poſt mille annos futurum eſſe dixerunt. quia ſi poſt centum annos prædicerent fore, poſſent eorum deprehendi mendacia, qvum vix remanere talis poſſit hiſtoria.* Hæc (1) nullo modo debent adplicari ad hiſtoriam ſacram, quæ omnino certa manet annos plures, quam mille; imo quæ certiſſima eſt, quoad gentem judaicam, à condito mundo, ad tempora Chriſti, nec nõ quoad gentes aliquas alias â tempore Chriſti, ad finem mundi, quamquã nos ejus mentem in ſingulis vaticiniis quoad easdem gentes, clare non aſſequamur. (2) Nec debent illa Vopiſci verba trahi ad quamcunq; aliam hiſtoriam civilem: nam ut conceſſero multas hiſtorias intra annos mille, fabulis pluribus quam mille miſceri, atq; ſic tandem evaneſcere: non tamen eſt id de omnibus hiſtoriis ullo modo affirmandum; nam multæ per calamum ſervantur per aliquot annorum millia incolumes: & poſſunt aliæ, gentis alicujus integriore ſolertia, itidem diu cuſtodiri. Teſte Plin: lib. 16. c. 40. contulit Aſia minor non modo ſumptus in templi Epheſini extructionem, ſed & illius operi 400 annos inſumpſit, diſſimulo hac vice quæ habentur ejus l. 36. 14. cum in alterutro loco occurrat omnino vicium. Sicut igitur Aſia minor tot annis non defatigabatur opere, ſic reminiſcentia ſola minus defatigabantur populi alii: & ſi moleſta machina per 400 annos non potuit obliterare memoriam devotionis in moliendo tanto opere: profecto memoriam ſacrorum aliorum non abolevit tempus mille annorum, tot tantisq; curis ac vigiliis civilibus prorſus expers. *Unde colligo*, quod ſicut veteres Sveo Gothi fuerunt conſtantes, integri ac ſubſidio ſuarũ cantilenarum monumentorum &c. felices, in ſervandis ſuis priſcis; ſic gloria literarum ſi tunc carerent, iisdem tamen ſuis donis naturalibus & adſcititiis ſuffulti; ultra mille annos imò,

ul-

ultra aliquot millia annorũ historiam certam recte habere potuerunt. conf. omnino sup. 81. seq. Quod illis est opponendum qui ultra tempora Erici diserti putant nos nihil certi habere in nostra historia Sveo Gothica, conjicientes priora quæq; non tantum μυθικὰ esse, sed & prorsus ἄδηλα, utcunq; mentem suam in hoc argumento aut dissimulent, aut ne detegatur, alio distrahant.

V. Sed & hoc ex historia Augusta, & Vopisci Aureliano juvat adferre. Conqueritur ineodem Aureliano Junius Tiberianus p. m. 209. quod de tanto principe nihil unquam quisquam scripsisset, & rogat Vopiscum, ut ex Ulpia bibliotheca, nec non libris linteis eum in literas mittat. Vopiscus se primum excusat, nè incidat in mendacium, commune historicorum malum: ait: *neminem historicorum quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentium*: se quoq; prodidisse, *in quo Livius, in quo Salustius, in quo Cornelius Tacitus in quo demum Trogus, manifestis testibus convincerentur*, &c. Regerit vero alter: *scribe, ut libet, securus quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites, quos historicæ eloquentiæ miramur auctores*. Hæc si vera sũt, nimirum *omnes historicos veris aliqua falsa immiscuisse, etiam sub claris documentis & certis libris*; jam non sperabo singula mea civilia esse veritatis immotæ, maximè dum in exemplum producuntur, quæ tempus concernunt μυθικὸν, ut ajunt, aut deniq; antecedens ἄδηλον, quæq; sunt ex *Saxonis* fabulis petita, aut traditionib9 aliorum vanis: ea similiter intelligo, quæ de falsis nostratiũ Diis habentur passim, & sunt aut ex veteribus aut ex recentioribus petita, & tamen in se sunt min9 certa. Deus igitur q omniscius est, & cuncta antequam fierent, novit ab æterno, largiatur p suam bonitatem, si ita videatur, ut etiam in hisce civilibus, nos aut nostri posteri, sciamus quid certum est tenendum: non quidem ad curiositatem sedandam; ad fovendam tamen-

men spem fraternam atq; Christianam, de nostris quibusdam majoribus, qui nobis natura cari sunt facti, utiscribit Apost. 1. Thes. 2: 8.

VI. *Ut hactenus cavi illos, qui videbantur palam aut occulte, historiam patriæ labefactare: sic nunc rogabo cæteros, qui pro eadem stant in acie, velint despicere, an consultum sit ostiatim ex historia Norvegica aut Islandica, pro nostris quærere documenta*: facilis ni fallor hoc pacto suppeditatur adversariis calumniandodorum nostrorum ansa, dum veteres nostros historicos deserimus: nullisq; non porro falsis nos hac ratione circumveniri possumus, aut per Norvegos heri excusos, aut deniq; per Islandos, hodie mane scriptos: attamen utrosq; magno antiquitatis fumo venditos ac emptos. Sed huic malo facile medetur eorum prudentia atq; in patriam pietas ac fides.

VII. *Video quosdam curiosos quærere, an Odenus cum suis comitibus malis qui huc adpulit quondam infeliciter, dicatur Aser vel Aas, facto nomine à regione Asiæ, an ab aliqua ejus nominis urbe?* placet plerisq; eos omnes dicere Aser, quod ex Asia fuerunt oriundi. Nec ego huic sententiæ constitui refragari, cum urbem ex qua iidem fuerunt profecti nulla historia certa nobis indicet: Videant tamen historici nostri, cum ejus nominis non unam saltem, sed duas inveniamus urbes, annon ab earum altera illi possunt credi profecti. Fuit in insula Creta civitas mediterranea dicta ἄσσος, ut habet Plinius lib 4. cap. 12. & fuit deinde alia in agro Trojano dicta ἄσσος, de qua habetur Act. 20: 13. A quacunq; harum dixeris eos profectos, rei ipsi quod absonum est, nihil quicquam ponis. Convenit Cretenses eos dicere, quia mendaces ac impostores fuerunt, & convenit quoq; Trojanos eos dicere, quod sicut excisa Troja varii ejus gentis duces statim contenderunt in Europam, novasq; sedes invenerunt, sic credi potest multos post, ante-

ces-

cessorum felicibus ominibus invitatos, itidem relictis pagis Trojanis huc commigrasse, alibiq; considentibus cœteris, Odenum de sangvine Gothico procreatum, ad populares suos properasse. *Sed hæc ad historicos patriæ remitto.*

VIII. *In hoc Hypomnemate repono sequentia.* Ad p. 206. M. Michaël Agricola non fuit Episcopus Wiburgensis, sed Aboënsis. Ad pag. 213. Biörnwijsan är intet complet, quod ex Tavastia cognovi per quendam amicum, desiderantur in illa non pauca, & absunt quæ cultum idoli maxime concernunt, Lapponem ergo in eadem docenda quorundam subticentia fefellisse suum pastorem. Ad p. 268. in Alandia & ad arcem Castelholm celebratas fuisse nundinas, recordantur etiamnum senes. Regina Katharina vidua statuit urbem condere in Alandia ad portum Flaka / qui undiquaq; advenientibus navibus est per quam commodus: sed precibus Holmensium qui videbant novam hanc urbem fore sibi magno incommodo, fatigata, ab incepto destitit. In scopulis Kökarensibus ubi est sacellum pertinens ad Ecclesiam Fögelö, situm 4. milliaribus â materna Ecclesia &c. creditur quondam fuisse emporiũ aut castellũ Esthiis, Curetib9 ac Livonib9 objectum, quod ibi etiamnum inveniantur ut ajunt, pretiosi lapides, item alii characteribus sculpti, sed nunc omnes undis marinis tecti. Unde vero Alandia habeat suum nomen jam addam quæ ad me perscripserunt duo Reverendi Alani. Ajunt ibi locorum constanti traditione ferri Reginam quandam priscis temporibus periclitantem cum sua navi clamasse à land, à land, & hinc terræ mox factum nomen. Quæ nomenclatura convenit cum opinione mea, pag. 260, an autem eadem destruat quæ ante scripsi de Biarmia, aliis relinquo judicandum, ut neq; de situ Biarmiæ cum quoquam unquam constitui litigare.

PAR-

# PARTIS GENERALIS LIBER SEPTIMUS

## De Ecclesia Sveo-Gothica à tempore Erici Diserti ad Longobardorum ex SveoGothia, emigrationem. Ubi occurrit periodus annorum 400, respondens periodo civili apud Romanos, quæ statum Monarchicum ejecto triumviratu ab Octavio Augusto, instituit, ac imperium sub variis imperatoribus tenuit, donec ut post fata Constantini factum, idem divisum est iterum in orientale & occidentale inter Theodosii filios.

### CAP. I.

*Recitat paucis hujus periodi civilem historiam apud nostros Sveo-Gothos.*

ERicus disertus reconciliatis Svecis ac Gothis obtinuit per aliquot annos pacatum ac tranquillum statum: adscriburq; ea reconciliatio vulgo, ejus prudentiæ, sed adveniens auctor pacis *Christus JEsus*, eam hic, ut in imperio Romano, verius dedit: non mansit tamen ea diuturna; nam Erico defuncto *quartum separata* nostra regna: Et *Gothis ex eo præfecti Reges Gethricus*, qui in Germaniâ maritimis superatis, condidit Zvetzeros seu Helvetios; *Filmerus*, qui per Russiã ad Tanaim usq; duxit victor, *Nordianus*, qui Thraciam & Russiam amisit; nec non *Carolus* III. domi per insidias Olai Norvegi extinctus. *Sveonibus* vero inde Reges facti *Haldanus*, qui Fridlevum socium auxit imperio Danico, & Norvegos repressit; *Siverus* I. & *Ericus* quintus luctabantur cum Frothone

thone Dano. *Haldanus* II. qui oppressis piratis, regnavit diu felix: & ita in Sveo-Gothia, fere per sesquiseculum. *Conjunguntur inde nostra* regna per *Ungvinum*, regem prudentia moribusq; commendabilem; sed mox circa annum Christi 230 *quintum eadem distrahuntur, Svecis sibi reges constituentibus Regvaldum, Amundum* I. (sub quo historia de Habor & Signe) & *Hachonem* I. *Gothis vero* fere hoc tempore quiescentib9 sub Sivardo 2. Post quem rursus *uniuntur* Sveones & Gothi, sub Ingone I., qui Upsaliam constituit regni metropolim: Ingoni successere *Nearchus ac Frotho* per suas virtutes in deorum numerū post fata relati. Inde Reges creati *Urbanus ac Ostanus I.* quia v. hic absq; liberis decessit, hinc facta est *sexta regnorum distractio, Svecisq; ex eo dati reges: Attilus,* qui Danos fecit tributarios & Ruthenos vicit, *Dignerus* dictus Justus, & *Dagerus* qui concordiam domi fovit,&qui porro Gothos sibi adjunxit,qui hac separatione habuissent reges *Fiolmum,Svercherum,Valandrum, Domaldum* Upsaliæ immolatum, & *Domarum.* Seculo Christi quarto fuerunt *in Sveo-Gothia Monarchæ: Dagerus II.* qui Ruthenos ac piratas compescuit, *Alaricus* II, qui eosdem rebellantes post jacturam fratris ac undecim athletarum, rursus domuit. item *Ingo* II. qui post Scaniæ titulum vindicatum, domi à conjuge Dana est necatus. tum secuti reges *Ingellus* I. & *Germundus*, felices in acie adversus Haldanum Danum, sed tamen domi insidiis hostium oppressi: post hos est prælium Bravellinum, & ab *Haquino* 2do subjugati Dani, qui rebellarunt *sub Egillo* Wendelkråka / corrupto Thonone ejus classis præfecto; sed qui mox perfidiæ pœnas dederunt *Getharo* IV. graviter per Daniam suam passim, ac quoq; in Fyonia, adflicti. *Vide de his omnibus quæ ego non capio Joh. Gothum, Paulin. nec non historicos patriæ alios.*

# CAP. II.

*Parat aditum ad cognoscendam Ecclesiam Sveo-Gothicam, sub ante nominata quatvor seculorum periodo*

Occupasse idololatriam nostratium multos, dictum est libro superiori: nec tamen desperatum, quin sub illorum malignantium coetu multi pii per patriam passim invenirentur. Ultimis seculis ante natum Christum non fuerunt prophetæ in populo Israel, & nec publici sacrorum verorum antistites, temporibus iisdem in gente nostra; ut tamen in Israel tunc multi religione ac pietate commendabiles inveniebantur; sic sperandum & patriam nostram tunc temporis suos religiosos aluisse, tametsi propter Upsalienses falsos Deos vatesq;, publico verbi DEI præconio illi tunc destituerentur: Patriarchalis quippe Noæ benedictio, quæ Japhetæos ac Semitas quondam conjunxit, non valida modo fuit ad beandum suos conjunctos variis diversisq; donis; sed & largitore DEO, sic extensa, ut non ante cessaret in gente una, quam cessavit in altera: duravit itaq; in nostris Japhetæis quanquam gradu inferior, quamdiu duravit in Semitis; & ut ante natum Christum, nulla secula eam aboleverunt in Semitis; sic nec seculis ullis ante natum Christum est illa penitus obliterata in nostris. Sit nomen domini benedictum!

Restat nunc ut nos accingamus ad depingendam Ecclesiam nostratium, juxta faciem quam illa præ se tulit, seculis post Christum natum, primis. Ut vero in superioribus pleraq; particularia coacti sumus præterire, eorundem cognitionis ignari: sic transimus pariter in hisce illa, in quæ propter inopiam informationis, non potuimus penetrare. Periodum vero ipsam, quia in se longior est, secamus in partes quatvor, ut quæq; quadrans inveniat vultum, quem illi facere possumus,

ac

ac cumprimis ut distinctius audiantur argta, quæ Ecclesiæ existentiam singulis hisce 4. seculis, distincte probant. Dominus nobiscum!

# CAP III.

*De Ecclesia Sveo-Gothica sub centenario primo post natum Christum.*

Quosdam Sveo Gothos hoc seculo veram religionem invenisse, ac fuisse religiosos, videntur non pauca arguere

I. Non prætereunda sunt hic argumenta, quæ inferunt superioris periodi pios religionem in suis posteris sancte servasse: & sic hoc seculo domi viventes nostros Sveo-Gothos domesticis præceptoribus in negocio pietatis nequaquam caruisse.

II. Credi potest nostratium multos ut sæpius ante ac post, etiam hoc seculo in Asiam frequentes ivisse, variarum rerum causa, quas ibi expedirent, quibusq; sese perficerent: nolo multas allegare, nec communes producere. Saltem absentibus caussis aliis videntur templum Herodianum ac Ephesinum meruisse ut illuc è longinquo mearent varii, ad suorum splendorem visendum. Sub superioris seculi finem cœpit Herodes iis sumptibus renovare templum Jerusolymitanum, quibus ad gloriam templi Salomonæi posset exurgere: & in templum Ephesinum contulit diu tota Asia minor sumptus maximos: Videntur ergo hæc templa sua fama spectatores elicuisse ex variis sedibus; & sic nec nostros ad eam domi consedisse, qui avidi sunt in talibus spectandis, ac ut potiantur desideratis, nullis parcunt sumptibus, nullis item laboribus aut periculis.

III. Credi potest ratione reciproca, Asiaticorũ multos hoc seculo descendisse in Europam, &(1) non disjectos modo Israëlitas, ad quærendas ubiq; terrarum sub hac pœna divina, novas sedes, Jer. 15, 4. sed & (2) de restitutis Judæis alios quã plurimos huc ivisse ad inhiandum lucro rerum prètiosarum, quibus Eu-

ropa abundat: (3) imo aliquos etiam per conjugia in Europam fuisse vocatos, fas est credere: veluti conjunx Flavii Vespasiani quædam Judæa per nuptias fuit in Europam ducta. Singulos autem hosce, utpote venientes de sede ac domicilio Musarum divinarum, fas est conjicere dogmata divina novisse, ac cum exteris ad quos adpellebant, fideliter eadem comunicâsse.

IV. Sed cur loquor de privatis communicationibus diversarum personarum in his provinciis, quæ tunc vixerunt? constat (1) ex historia civili h. t. fuisse commercia publica inter Asiam & Europam, postquam hisce Asiaticis cœperunt Europæi Macedones ac Itali imperare. (2) sicut præter ea ex historia sacra, ac præprimis ex Actis Apostolorum, constat h. t. per Europam non minus passim locorum, ac per ipsam Asiam, fuisse erectas synagogas sacras.

V. Et sit quoq; (loquor hypothetice) ista commercia tantum Asiaticos ac Italos atq; Græcos affecisse, an propterea credemus de illis nostros non participasse, quod neq; ex Græcia minore iidem essent oriundi, aut ex majore, ut loqvuntur, h. e. ex Italia? Fuerunt nostris tunc multiplices rationes, cur Italiam deberēt intrare, & cur Italos tunc ad se inverso itinere possent expectare. (1) Ejecit Tiberius Nero Magos ex Italia, qui literati fuerunt, circa annum Christi 15. Anno Christi 57. sæviit Domitius Nero in Christianos, qui itidem in multas terras dejiciebantur, ut Magi ante. Albinus similiter Judæos dispersit circa annum Christi 62, sicut post decenniū eosdem in omnes terras dispersit Flav. Vespasianus, per filium Titum, ac legatum Lucilium Bassum. Secundam persecutionem in Christianos, imo, quoq; in Philosophos ac Mathematicos exercuit Domitius; & tertiam in eosdem instituit Trajanus. Hæc vero omnia uti molesta fuerunt adflictis, sic transire minime potuerunt singula, quin aliquos ex iisdem transmitterent in

Sveo-

Sveo-Gothiam : ac per eos potuerunt tunc nostri domestici domi religionis veræ præconium invenire. (2) Abundavit hoc seculum caussis exterioribus, quibus nostri invitabantur ad Italiam videndam. Ferme cuncti hujus seculi imperatores Romani, fuerunt primis annis probi ac virtutibus æq; ac fortuna excellentes; facile ergo virtutum suarum fama nostros iidem ad se traxerunt, qui talibus videndis, audiendis ac imitandis noctes diesq; insumunt: sed tamen ut illi imperatores imperiis quasi firmatis, sequentibus annis dederunt sese voluptati ac libidini, sic vitiorum suorum cumulo non potuerunt non abigere, quos ante fama virtutum ad se traxissent. Et Sveo-Gothi tanto velocius tunc recesserunt à morbis eorum audiendis ac spectandis, quanto præ aliis hominibus hoc seculo talium malorum fuerunt impatientiores, uti notum est ex carmine Starkotheri. domum ergo illi reduces veræ religionis potuerunt esse præcones. (3) Singulariter vero tunc in Italiam nostros invitabant Titus Vespasianus inter delicias generis humani reputatus, & Coccejus Nerva qui Christianis pacem dedit, ejectosq; ante suis sedibus restituit: sed quos tamen hi nominis fama ad se vocarunt, eos mox ejecerunt eorum successores; & quidem admiratores Titi ejecit furor Domitiani, sicut amantes Cocceji Italia expulit sævities Trajani. Semper vero â talibus, eorumq; comitibus domum redeuntib⁹, atq; huc adpellentibus, potuit in Sveo Gothiam nostram vera illius temporis religio transferri. (4) Et quid dicis de hujus seculi nostris Sveo Gothis, annon in Italiam illi tunc ire debuerunt, annon ire voluerunt? Ducebantur illuc Gethrici sui Regis felicibus auspiciis, abeuntemq; eum in suum regnum sequebantur ad penates ac parentes, eorũ plures: cœteri v. qui ibi subsiderunt, condito nomine Svetzerorum, non ipsi modo postea suos in patria invisebant, sed ab aliis suis ad se exeunti-

 bus

bus se invisi, per lætitiam gaudebant. Per hos autem omnes libere meantes ac remeantes, fuit nostris commoda occasio consulendi dogmata sacra: & subest mihi spes certa per eorum quosdam nostris domesticis religionem veram adfulsisse, si illi eandem ante non habuerunt: credamq; Te *benevole lector* in hoc eodem argumento, ut & in cœteris prioribus, mihi adsentiri, nisi *fidei moralis* prorsus fueris parcus aut ignarus.

VI. Sed cur sic recensendis promovendæ in patriam nostram religionis veræ occasionibus immoramur? DEUS qui patriam hoc seculo dignabatur vocatione sancta, scivit facile modum promovendi sui propositi, sive is hisce rationibus obtingebat, sive aliis. Et nobis suffecerit novisse præconium Evangelii Christi primis ejus annis excurrisse per totum terrarum orbem, Colos. 1. *Fide igitur divina credere audemus, imo, debemus*, etiam in patria nostra idem præconium tunc temporis pios ac religiosos multos constituisse, conf. sup. lib. 3. cap. 5.

# CAP. IV.

*Proponit aliquas quæstiones nobis Sveo-Gothis circa seculum hoc primum cognoscendas.*

I. *Qv. Quis Evangelii primus præco seculo hoc primo per nostram Sveo Gothiam? Nicephorus cum aliis nonnullis dicit* S. Andream docuisse in Scythia, & S. Bartholomæum ad Rhenum apud Ubios, ubi nunc est Colonia Agrippina, emporium in Europa nobilissimum. Hæc si vera sunt, per eorum alterum aut utrumq; credere possumus nostratium multos ad fidem Christi tunc fuisse vocatos, quod sicut illi tunc Scythis vixerunt vicini, sic porro ad ostia Rheni commerciorum causa, frequentes itidem h. t. navigarunt. *Pontificii ex eodem auctore & suis nescio quibus* addunt particularia alia; Dicunt Aquilejenses in Italia con-

conversos esse per Marcum Evangelistam: Mediolani vixisse Barnabam S. Pauli comitem. Lazarum â Christo excitatum fundasse Ecclesiam in Massiliensibus, & Lutetiam Parisiorum â Dionysio Ariopagita non conversam modo, sed & illustre Gymnasium statim factam: item Lugdunum pervenisse Herodem ac Pilatum. Quæ similiter si vera sunt, dubitare nequaquam debemus propter nostrorum cum Italis ac Gallis tum temporis commercia, quin per eorum unum aut plures, nostri potuerunt converti. *Dicat alius* nostros nova prædicatione tractos fuisse ad fidem Christi. (1) *Vel per Deum ipsũ* Act. 10: (2) *Vel per angelũ bonũ*, quomodo Assene vulgo creditur monita fuisse fieri fidelis, ac nubere Josepho Chron. Norenb. fol. 26. b. (3) *Vel per genium aliquem*, sicuti ad Palodes promontorium Italiæ, genio quodam auctore, Christum mortuum esse, clamavit Thamus &c, vide historiam supra p. 281. (4) *Vel per angelum malum*, q. itidem nonnunquam Dei mandata cogitur perferre, Act. 13. 19. seqq. (5) *Vel per viros Apostolicos*, aut simplici docendi ratione instructos, quâ gaudebat Tychicus, Eph. 6. 21. aut alias ultra spiritus dona vulgaria, per aliquos ornatos dono prophetico h. e. nostros fuisse conversos per hujus seculi aliquos prophetas, 1. Tim. 1: 18. Act. 19: 6. *Quicquid horum ille alius dixerit*, refellere ego non possum, & sine dubio nostrum utrumq; hic destituit justa probatio, ne solidioribus argumentis factum ego negem, quam quibus ille idem affirmat. Manet proinde me judice, certo non constare, quo auctore ministeriali nostri Sveo-Gothi hoc seculo, de Christo sint informati: certissimum tamen esse, teste scriptura Colosſ. 1. eos de Christo ejusq; Evangelio hoc seculo fuisse informatos; sive ea institutio fuit facta *per Deum ipsum, sive per angelum, bonum aut malum; sive tertio per genium aliquem, sive deniq; per hominem, & eum aut Apostolum, aut Apostolicum, aut insuper*

*prophe-*

*prophetantem* Atq; sic nos fide divina id factum credere, cujus causam ministerialem heic possumus, imo forsan debemus, perpetuum ignorare.

II. *Quæst. Quodnam hujus prædicati Evangelii primum tempus hoc seculo primo?* A posteriori seu de facto tempus hoc definire non possum, fide neq; divina, neq; humana; nam ut primum authorem ministerialem prædicati Evangelii Christi ignoro, sic pariter me fugit, quo anno q.squis fuerit, idem ilic prædicare cœpit. *De jure autem prædicandi Evangelii* apud nostros, quid dicere volo? Evangelii nova prædicatio est beneficium prorsus indebitum; & indebita beneficia omnia, ut nullis legibus *qua tempus aut quantitatem*, constringuntur; sic nec hæc nova prædicatio, beneficiorum talium facile quid primum, unquam per nos â Deo ullis rationibus elicitur, nedum quoad certam sui mensuram, definitumq; tempus, certis legibus extorquetur. Libertate sua, in tali indebito beneficio distribuendo abundat DEUS; unde contingit, ut neq; morti vicini præ aliis semper vocentur, neq; alii loco ac sedi vocantis magis propinqui. Præterivit DEUS paulisper Bithynios Act. 16. 7. nec inter summe vetulas mortiq; præ aliis, vicinas fuit Samaritana, quam Christus ad sui fidem vocavit, Joh. 4. 9. seqq. Quæ omnia, ut alia nunc taceam, manifeste docent, DEUM circa gratiam iterandi Evangelii, libertate sua uti, & nec viciniores suæ ecclesiæ semper trahere, nec mox mori paratos: imo putandum est hanc ejus libertatem in hoc negocio aut nulla re, aut certe *modificari jam superabundanti ejus bonitate, jam aliqua memoria justitiæ, sive eam verterit ad fata privati ante Evangelii, sive ad fructum ferendi novi.* Impossibile igitur nobis, latentibus causis circa *DEi Justitiam* retro ducendam, aut ad ante ductam, item *circa DEi non modo ad nostros vocandos indepēdentiam, sed & circa ejus an vocarentur, libertatem*; posse nostratium

qui

qui tunc vixerunt, conversionis certum tempus, certum diem definire, aut eorum qui convertebantur, numerum inire: Videmur tamen nobis non prorsus nihil in hac quæstione posse dicere, maxime si gratiam nostratium ex gratia DEI aliis, nostratium similibus, data, cœperimus metiri.

I. Supra pag. 194. ex Tertuliano dictum est, *Atticos per idololatriam, prostituisse aras Diis ignotis; item Romanos per superstitionem, alias fecisse Diis incertis.* Ut tamen has gentes laborantes stupris spiritualibus DEUS dignabatur tempore Christi, nova Evangelii prædicatione: sic credendum est eum pariter nostros novo vocationis beneficio, tunc fuisse dignatum, quod illi Atticis ac Romanis, circa curam suorum Deorum, essent simillimi h. e. illis neq; inferiores, neq; superiores. Rationem profecto semper similia similibus tribuere, nec hic eandem dubitare ea nostris largiri, quæ illis fuerunt data, maxime quamdiu latente œconomia divina, non constat, quid DEUS illis voluit dare, nostris negare, Rom. 11. 34. seq. Sed seponamus tantisper ratione, scripturamq; sacram consulamus, quæ in hoc argumento proponit nobis exempla varia, sed *exempla consolationis, non imitationis* (1) Vocabantur *Romani*, ubi cultus fuit idololatricus non varius modo, sed & strenuus, ut notum est ex historia Romana (2) Vocabantur *Corinthij*, ubi omnis generis flagitia viguerunt impunita, quod similiter notum est ex eorum historia, conf. 1. Cor. 5. (3) Vocabantur *Ephesij*, qui habuerunt Dianam, quam coluit tota Asia & terra, Act. 19:27. quiq; annexis è templo ad muros funibus, teste Herodoto; docuerunt sic se illi sub oppugnationibus ac alias semper fuisse consecratos, ut cũ suis statutis ejus religio æternum cohæreret: unde tam ad antiquitatem, quam divinitatem aliquam majorem ipsi conciliandam, illi simulacrum ejus dixerunt pro more sui temporis, διοπετες q. cœlitus dela-

 psum

psum, Act. 19:35. (4) *Et qui non alij idololatræ hoc tempore indebitæ vocationis beneficio ad Christum arcessebantur*, &c. conf. Acta Apost.

Est locus ad Ephes. 6:12. ubi habentur verba ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, quæ ibi facilia sunt constructu cum antecedentibus, in hunc sensum, quod significent dæmones in aëre ac æthere volitantes &c. sed tamen visum fuit Augustino, viro Judicii acerrimi, eadem exponere *de gaudiis cœlestibus*, tali sensu; ac si diaboli cum Christianis certarent de gaudiis iisdem; imo, ac si hi illis superatis, conarentur eadem occupare; & contra, illi niterentur hos ab iisdem excludere. Similiter hic credi debet de nobis miseris hominib⁹ idololatris ac superstitiosis, certamen inter sese instituisse DEum ac Diabolũ; illum ut hostem suum parata præda spoliaret, & hunc ut Dominum suo intento fine privaret; illum ut hostem circa antiquam prædam confunderet, & hunc ut Dominum in nova ordinatione obtunderet &c. conf. Luc. 22:31. Ad recensita igitur ante consolationis exempla sacra, credere fas est, quamlibet gentem fere ita â DEo sub reiterationem Evangelii publicam, esse occupatam misericordius, sicut faucibus diaboli illa subfuit miserius. Sic sentio gratiæ divinæ in hac infirmitate, non postremus admirator ac deprædicator; & invenio alios ante me similiter sensisse. Nomino h. vice Polycarpum Lyserum seniorem, qui sub finẽ superioris seculi anno 1593 ex cathedra Witebergensi: *elucet hinc*, ait scribente Schmidio ad locum Actor. 13:51. *DEi bonitas, qui electum suum Organum Paulum in orbem cum verbo gratiæ ipsi commisso ablegatum, non emittit ad dignos (& ubi eos inveniret) sed quærit Paphum veneri & lasciviis profuse deditam: quærit Iconium, imaginum cultu perditam, & similes civitates: neq; enim recte valentibus est opus Medico, sed male habentibus, & Christus non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam, Matt. 9:12. &c.*

Ex quibus concludo benignum DEum vocationis hujus no-

novæ ac universalis indebito beneficio non tantũ ut gentium aliarum misertum tunc fuisse gentis Sveo-Gothicæ; sed & juxta tenorem exemplorum ante memoratorum, tanto maturius cum vocatione sua sacra ad illam festinasse, quanto vocandi ipsi miserius sub diaboli insidiis laborarunt; imo, salva omni sua libertate, forsan ideo DEum gratia sua eos fuisse citius dignatum, quia pluribus idolis mancipati, ante memorata falsa numina per inscitiam, & ex magno zelo venerabantur vehementius; venit enim Christus ut opera diaboli destrueret, non tantum per suam gratiam redemtionis, Heb. 10:10. sed & per gratiã vocationis 1. Tim. 2:4. Credi igitur pie potest, sub hoc momento tenoreq; exemplorum ante allatorum, DEum vocationem suam sanctam ibi incepisse, ubi per impudentiam diabolus licentius publice grassabatur: Inter primas itaq; nationes, tunc vocatos nostros Sveo-Gothos, quod hic per numina Upsaliensia apud simplices & præterea moraliter bonos, Diabolus licentius fureret.

II. Sed & hoc juvat circa *tempus vocatorum nostrorum majorum* expendere, q; plures fuerunt, q. ad Evangelium Christi prædicandum, DEO dispensante, h. t. exiverunt. Recensentur 500 fratres, 1. Cor. 15. adjecti mox ter mille unica Petri concione conversi, Act. 2. imo, eodẽ concionante in porticu Salomonis, addita 5q; millia credentium, Act. 4. Porro illis addes per tertiam concionem Petri, conversos, Act. 5: & post verberatos Apostolos, alios multiplicatos discipulos valde, Act. 6. habebisq; Judice Baronio, Annal. tom. 1. pag. 250. ultra 15. *millia credentium*, ad Christum annunciandum parata: Tot ergo fuerunt hic *primum* Evangelii Christi præcones. *Deinde* quod hi non substiterint Jerusolymis, sed quod inde ejecti, manentibus adhuc Apostolis, exiverint ad verbum prædicandũ videre possumus ex historia Ecclesiastica. Non scribo nunc quamdiu

diu Jerusolymis Apostoli substiterunt, 12ne annos, uti vult Appollonius, apud Euseb. hist. lib. 5. cap. 17. an minus? nec hic loquor cur ejectis discipulis, Apostoli Jerusolymis ferebantur, studione Gamalielis id contigit, Oecum. in Act. 8. an ob modestiam aut timorem Judæorum? id saltem dico *post lapidatum Stephanum, discipulos dispersos & q. seminatos, non quod imbecillitati disjecti, sed fidei gratia ita divisi essent; sed enim ita dispersi, ut seminatoris frumenta effecti, ad panem supercœlestem, universumq; orbem peragrantes, vivificæ doctrinæ virtutes efficaciasq; disseminarint*, uti habet Athanas. homil. de semente. Quod autem *Tertio* hi dispersi prædicaverint fidem Christi, videre possumus ex documentis variis. Lucas Act. 11, dicit eos fuisse locutos verbum DEI *Judæis* suis popularibus, ubicunq; terrarum eos invenirent. *Quarto* igitur quæris, ubi Judæi tunc commorabantur, & an illi ubiq; terrarum hoc tempore dispersi? *Judæos una regio non capit propter hominũ multitudinem quamobrem plurimos & fortunatissimas urbes in Europæ Asiæq; provinciis ac insulis incolunt &c.* scribit Philo in Flacc. Et Alexandriæ in Ægypto vixerunt tunc Judæorum multa millia. *Cum sciret civitatem habere duo incolarum genera, nostros homines & illos alteros, totamq; Ægyptum similiter; & quod non minus quam decies centena millia habitant Alexandriam, totamq; regionem, quanta patet â catabathmo usq; ad terminos Æthiopiæ &c.* ait idem Philo ibid. Fuit item tunc magnus numerus Judæorum *Antiochiæ* congregatorum, imo, *plane ingentem eorum numerum fuisse, ac nobilissimos quosq; utpote ex æquo cum gentilibus ejusdem civitatum municipes, & qui eadem Jura possiderent, &c.* testatur Joseph. libr. 2. contra Apionem. Sicut porro quod iidem *Græciam* tunc inhabitarint, testatur Philo, & constat abunde ex Actis Apost. ne nunc dicam quomodo etiam *Romæ* h. t. degerint, dicti TransTiberini, uti notum ex vita Tiberii. conf. Sveton.

His omnibus utpote *per Asiam, Europã ac Africam earumq; insulas*

*las dispersis Judæis* constat tunc temporis annunciatũ Evangeliũ Christi, & quidem duplici ratione. (1) *Per pium zelum*, â dispersis recens Christianis, ac ad suos fratres divertentibus, ubicunq; terrarum illi habitabant, conf. Act. 11: (2) *Ex invidia sacerdotum*, qui indigne ferentes Christum etiam remotioribus vulgari, mittebant *non modo Paulum Damascum* ad Christianos vexandos, Act. 9. *sed & viros eximios in terram omnem legaverunt, dicentes hæresin sectamq; Christianorum nullius numinis cultricem*, ἄθεον *extitisse &c.* scribit Justin. de ver. Chr. relig. Credibile igitur h.t. etiam in patria nostra fuisse Synagogam ac ad eam informandam aliquẽ ex tot millibus conversis Judæis, præconem Evangelii venisse. Et si vel maxime eorum nemo tunc temporis huc adpulit, quod tamẽ nos non concedimꝰ, sed saltem nunc ut hypothesin ponimus; potuerunt tamen nostri ex Græcia & Italia, ubi h. t. & Synagogæ extiterunt, & quo recentes Christiani pervenerunt; abunde doctrinam Christi discere, quod ibi in utraq; provincia, variarum rerum causa, illi tunc frequentes vagarentur. Et ita *ex fide morali* fuit argumentum alterum, arguens nostros hujus seculi annis non postremis, fidem Christi audivisse.

III. Adest quoq; in hanc rem manifestum testimonium Chrysostomi homilia quarta de laudibus Pauli, dicentis: *vix 30 annorum spatio & Romanos & Persas, & Parthos & Medos, & Indos & Scythas & Sauromatas & Saracenos, & omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis*, &c. Si igitur b. Paulus omne genus humanũ beavit informatione de Christo, sequitur eum etiam nostros Sveo-Gothos eadem fuisse dignatum; & porro: si Paulus id præstitit intra 30. suæ conversionis annum; sequitur pariter nostros Sveo-Gothos ante aut circiter annum Christi 60. teste Chrysostomo, salutarem Christi nominis conversionem percepisse.

IV. Ast hic illationibus nostris aut testimoniis aliorum nè

 fluctue-

fluctuemus; en adparet super hoc negocio testimonium divinum, *Dominus dabat sermonem, & ea, quæ annunciabant, exercitu magno canebant &c.* scribit David Psal. 68. 12. item, *quo emittente sermonem suum in terram, quam celerrime excurrit verbum ejus*, Psalm 147:15. conf. 33:9. Hæc olim fuit David de hac nova Evangelii prædicatione universali vaticinatus, & in eadẽ de celeri Evangelii promulgatione sic quondam est ille locutus. Nos autem videmus illis temporibus novi testamenti post adscensionem Christi, primis, statim omnia hęcce impleta, & jam tum diebus Pauli, subjugũ veritatis missas gentes plane omnes, conf. col. 1:28. Marc. 16. Matt. 28. Unde iterum illatio, & quidem *ex fide divina* facta, nostros Sveo Gothos hujus seculi annis prioribus h.e. circa 40. aut 50. annum Christi fuisse nova Evangelii luce beatos. *Atq; hoc ipsum est, quod post ruptum parietem intergerinũ inter Judæos & gentiles*, Eph. 2: 14. conf. Act. 10. *de tempore prædicati Evangelij apud nostros antiquos Sveo Gothos post gloriosam Christi adscensionem, nos nunc dicere possumus ac habemus.*

III. *Quæst. Quis vocationis illius fructus apud nostros?* Hic paucis rem expediam. Ea est natura verbi divini, ut sive inter spinas, sive in petram cadat, dum modo intelligibiliter proponitur, admitturq; ad animum, id semper pullulet, & suo modo germinet, Marc. 4. 17. Ut itaq; pluvia frustra non cadit in terram, docente Esaja; sic nec frustra prædicatur verbum DEI; & uno homine existente petra, altero via, tertio spina, non potest non quartum, quintũ &c. invenire, q. est instar terræ bonæ, Matt. 13. Christus quoq; colligit sibi Ecclesiã, quæ sit quasi lilium inter spinas, Cant. 2:2. Ex quibus adparet verbum Evangelii non tantum fructum ferre, sed & ibi fere maximum, ubi peccatum nec negari, nec excusari potest: nam ubi persvasio innocentiæ pharisaica, aut extenuatio peccati hypocritica regnat, ibi quoq; rarus Evangelii fructus; & contra ubi peccati vera confessio,

ibi

ibi Evangelii summus fructus. Vellem hic plura ratiocinari, & quoad illos nostres, certas positiones scribere, si scirem illas omnib9 fore gratas. Expende tu optime lector (1) *an succumbit Deus dum juxta hypothesin quæstionis secundæ, de nobis hominibus lucrandis cum diabolo contendit?* Vincit sine dubio, Deus Psal. 51. Rom. 8: 31. seqq. (2) *Quanquam omnia ordinate hic agat DEUS & per suum verbum; sicut salva medii h. e. divina verbi sui efficacia, ille potest efficienter ac principaliter actionem suam per idem illud medium intendere, uti factum in Paulo considerato quoad dona sanctificantia, Act. 9. annon ut proposito fine potiretur, ille tunc (loquor in ordine ad operationis modum ordinarium) similiter alibi vel actionem intendit in superiorem aliquem gradum: vel deniq; medio servato in suo ordinario modo, annon subjecta convertenda potenter sæpius disposuit ad eundem ordinarium medij modum subeundum ac accipiendum*, &c. hæc b. Brentio non improbantur: Ego tamen illa ben. lector tuo judicio pio ac prudenti penitus commendo, sicut porro rogo, ut me patiaris abundare judicio meo; nam spem meam *dum hæc adplico ad populares*, non credam fallere cogitationes hasce pias.

Alias quod apud gentes in genere, gratia præveniens concionum Evangelicarum h. seculo primo fuit solito fortior, videntur complura docere; (1) *Fiebant passim locorum miracula Christo nascente.* Romæ invaluit fama de rege ex oriente, adparituro, qui deberet rerum potiri, Tacit Annal. lib. 21. conf. Svet in Vespas. cap. 14. Oraculum Delphicum non modo mutum redditum, Arnob. advers. gentes lib. 3. sed & Augusto respondit: *me puer hebræus, Divos DEus ipse gubernans, cedere sede jubet, tristemq; redire sub orcum. Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris*, Niceph. Svid. & Cedren. In Arabia orientali servata ac lecta vaticinia vetera aut Balaam, Num. 24. aut Danielis, Dan. 7. seqq. & Christo pergente in Ægyptum, ad introitum ejus, collapsa ejus regionis simulacra pleraq; è Athan. lib. de incarn: Verbi. Adde hic de miracculis Chri-

ſti, Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum hoc ſeculo ubiq; terrarum vel viſis, vel certe auditis. (2) *Singulariter mulctati, qui Chriſto, Chriſtianisqvè male cupiebant*, ceu Herodes, Act. 12. Cajus, Sejanus, ſenatus Rom ſub Tiberio &c. vide Philon. Tacit. ac Sveton. (3) *Alij contra commoti ad Chriſtianos non modo ferendos, ſed & ſuis opibus ac conſiliis juvandos.* Auguſtus primum abominatur religionem Judaicam & ſuperſtitiones peregrinas ex urbe proſcribit, Svet. in Octav. cap. 93. at mox fovit Judæos, Philo de legat. ad Cajum. Tiberius non tantum Chriſtianis favit, de Chriſto certior factus â Pilato, vide Tertul. in Apog. cap. 5. & 23. ſed & Chriſtum ipſum cenſuit inter Deos referendum, Oroſ. lib. 7: c. 4. (4) *Anhelarunt gentiles* ipſi h. t. ad videndum Chriſtum Jeroſolymis, Joh. 12. Matt. 24. & illis non minus ac Judæis crucis figura ſemper reputata pro inſigni ſalutis, Forſan ſic ſenſerunt Judæi occaſione verborum, quæ habentur Ezech. 9. ſicut apud Ægyptios in eorum ſacris ſignum crucis ſignificaſſe vitam, ſcribunt Ruff. hiſt. l. 2. c. 29. & Socrates l. 5. c. 17. Et quæ plura argumenta adcumulari poſſent, oſtendētia Deum hoc primo ſeculo, non tantum ſua præveniente gratia egiſſe apud paganos, ſed & ibidem egiſſe fortiter; atq; ſic oppreſſos illorum multos Dei potentiâ, & opportunos factos accipiendo converſionis modo ordinario, ſi extraordinario modo agendi Deus non voluit uti, tandē ſubjectos in officina converſionis ejus gratiæ operanti, &c. Quæ ſingula pariunt id quod in theſi eſt, nimirum non vacuū tunc in noſtris fuiſſe divinæ vocationis ſermonem, ſed per illum, quamplurimos ipſorum mox converſos, ac poſtea æternum ſalvatos, conf. ſupr. l. 3. c. 4. ſeqq. Vos ergo ô *antiqui Sveo-Gothi* qui tunc vixiſtis, recordemini ſtatus veſtri prioris, & reputate animis, quomodo ab Aſiaticis hactenus diu fuiſtis decepti. Nunc illuxit vobis publice gratia ſalutifera, fortis ac ſtrenua, ut liberaremini â Sathanæ inſidiis: & illuxit illa vobis ſic mature, ut bene quoad tempus cum aliis remotis gentibus, de ejus gloria auderetis certare.

# CAP. V.

*Tradit hujus seculi articulos fidei, apud nostros olim aut recens conversos Sveo-Gothos.*

CApite superiori evictum argumentis pluribus, *tam moralibus*, *quam divinis*, nostros antiquos Sveo-Gothos fuisse seculo Christi primo ad veram pœnitentiam, & Evangelii exauditionem, vocatos; multos item eorum urgenti vocãtis nutui, tum pædagogicè aut paruisse, aut cessisse: unde cõclusum, non paucos eorum de novæ vocationis gratia fuisse gloriatos, &c. Scilicet ut dixit Paulus de se: fui persecutor, blasphemus, &c. ἀλλ' ἐλεήθην, 1. Tim. 1: 13. sic de sese tunc potuerunt nostri Sveo-Gothi dicere: fuimus idololatræ, blasphemi, &c. ἀλλ' ἐλεήθημεν. Imo, sicut Paulus αὐξητικῶς in codice Basiliensi infertur dicere ἀλλα καὶ ἐλεήθην· sic Sveo-Gothi inter primos vocati, dicere potuerunt: ἀλλα καὶ ἐλεήθημεν. Restat ut eorum articulos fidei nunc paucis memoremus.

*Articuli fidei* quoad hoc caput, & præsens seculum primum, post natum Christum, *fuerunt aut veteres*, *aut novi*.

I. *Per veteres fidei articulos intelligo eos*, quos Sveo-Gothi habuerunt â suis majoribus sibi traditos, quales cumprimis fuerunt, quos ex antiquissimis didicissent, h.e. quos â suis aut aliorũ Noachidis, percepissent. Numerari illi possunt ex ratione Ecclesiastica, qualis illa fuit ante diluviũ, & qualisquoq; post mansit, donec instituëretur fœdus mediatore Mose, cum populo Israëlitico, publicum quidem ac solenne; attamen singulare & majorem partem civile. Quibus postea adjecti sunt articuli alii, partim relicti ab antiqui fœderis doctoribus, ceu de circumcisione, jejuniis, observatione festorum &c, partim ab ejusdem fœderis imitatoribus additi plures alii, ceu historicus ille, qui de Mose habetur Hebr. 12: 21. quem fateor ex litera

scripta utcunq; posse arcessi, sed quem tamen ex traditione pia ac vera, absq; periculo credere possumus ad Pauli aures pervenisse.

II. *Per novos autem articulos intelligo eos*, quos Evangelii nova & universalis prædicatio fecit de Christo explicatiores: quales tunc fuere, ut verbis scripturæ sacræ eos collectim enunciem: Christum in temporis plenitudine natum de muliere, Gal. 4: 4. oportuisse pati & resurgere â mortuis, luc. 24: 26. eumq; esse qui tunc prædicabatur, Act. 17: 3. & 18. *virum prophetam, potentem in opere & sermone, coram Deo & omni populo, luc. 24: 19.* factum propitiationem pro peccatis totius mundi, 1. Joh. 2: 2. cujus sangvine pollicetur Deus nos iri purgatum ab omni peccato, 1. Joh. 1: 7. si pœnitentiam egerimus, Act. 17: 30. *in ipsum crediderimus, Act. 16: 31.* ac baptizati fuerimus, Act. 16: 33. Eum constitutum universi judicem, Act. 17: 31. in se credentes nunc misso Spiritu Sancto bonis spiritualibus replere, ac tandem æternum beare. Joh. 14. & 17. Et qui articuli fidei plures hic recenseri possent, ac quoq; deberent. In quibus omnibus conjicere est nostros Sveo-Gothos tunc Deo probasse suam fidem, illiq; ut æternum salvarentur, firmiter adhæsisse.

# CAP VI.

*Ostendit nuper conversos, item cæteros clarius informatos, in sacros cœtus semper propendisse; indicatq; quod eis nomen in istis sacris cœtibus.*

I. *IN cœtus coire est instinctus naturalis: religio vero Christiana tanto arctiores cœtus amat; quanto ipsa in capite Christo, nexibusq; sacris aliis, cohæret arctius Eph. 4. 1.* Legere possumus quomodo â tempore

pore Christi non extiterunt modo piorum cœtus, sed & quod existentiæ suæ rumorem diffuderunt quoq; ad gentiles, pariter ac religiosos. Tota historia Evangelica testatur in dogmatibus suis æq; ac historiis, *h. e. in scriptis epistolicis, æq; ac historicis*, religiosos Christi sacrorum causa, semper in unum convenisse, conf. Phil. 4. haud mirum igitur si res ut erat, percrebuit quoq; ad eorum gentiles: hinc ut alia nunc taceam, Rusticus Romanæ urbis præfectus ad Justinum: *in cujusnam eruditionis ac disciplinarum genere versaris?* &c. *qualenam istud dogma?* &c. *quem in locum convenistis?* vide Justin ipsum apud metaphrast. Langium.

Possent heic duo narrari. (1) *Locus ubi recentes Christiani conveniebant?* Temporibus liberis libere semper ac ubiq; sed locis aptis, conveniebant olim Christiani in mutuam sui consolationem ac admonitionem &c. quando autem persecutionum procellis agitabantur, jam latebras plerumq; quærebant, & quærebant illas anxie, nè intermissorum cœtuum aut privilegiorum unquam recte incusarentur: ac Romæ quidem sub furoribus sævientium imperatorum construebant Christiani sibi cœmeteria in arenariis cryptis, *quorum usus inserviebat non modo humandis defunctorum corporibus, ex quo & nomen est inditum, sed & persecutionis tempore ad latebras Christianorum. Mirabile dictu, vidimus, sæpiusq; lustravimus Priscillæ cæmeterium haud pridem inventum atq; refossum via salaria tertio ab urbe lapide, quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus præ ejus amplitudine, multisq; atq; diversis ejusdem viis, quam subterraneam civitatem quippe quod ejusdem ingressu primaria via ceteris amplior pateat, quæ hinc inde vias diversas habet, easdemq; frequentes, quæ rursus in diversos viculos dividantur & angiportus. Rursus ut in civitatibus statis locis, velut fora quædam, ampliora sint spatia ad conventus sacros agendos, eademq; sanctorum imaginibus exornata, nec desint li-*

*cet nunc obstructa, ad lumen recipiendum desuper excisa foramina. Obstupuit urbs cum in suis suburbiis abditas se novit habere civitates, Christianorum tempore persecutionis olim colonias, modo autem sepulchris tantum refertas: & quod legebat in chartis, vel videbat ex aliis cœmiteriis aliqua solum ex parte reclusis, tunc plenius intellexit. quæ enim de iisdem apud S. Hieronymum in Ezech. cap. 40. vel Prudent. Peristoph. in Hyppol. legerat, suis ipsius oculis intuens, vehementer admirabunda spectavit*, &c. scribit Bar. Annal. tom. 2. p. 82. (2) *Posset hic narrari quando iidem Christiani conveniebant?* Fuerunt primis Christi seculis conventuum sacrorum causæ variæ. Scilicet convenerunt tunc non tantum ad hymnos canendos, sed & ad alios instruendos, aut ad sese aliosq; confirmandos &c: & sic partim amoris causa conventum, partim charitatis; editaq; symbola, aut privata amoris, aut caritatis publica, &c. *Adplic.*

*Sicut jam Christiani Romanorum conveniebant, ubi potuerunt* statis vicibus, jam liberis, jam arctatis, ut modo dictum: sic conveniebant Christiani Sveo-Gothorum, servatis suis vicibus, ubi eis fortuna conventuum ullam faciebat copiam. nimirum quos nostrorum libertate sacrorum privavit hæc aut illa furens tempestas, illos recepit solitudo, si non ut Romæ subterranea, tamen ea quæ tunc benigna fuit ac eos condidit, aut in cavernis rupium, aut in vastis nemoribus. *Deinde ut ardor nominis Christiani ejusq; debitus zelus multos olim alibi terrarũ coegit sæpius*; sic putandum non infrequentius istos nostros convenisse, quod eodem ut alii, illi tunc inflammarentur devotionis studio. Et redit huc summa: Ut exterorum nemo alius potest definire, *ubi aut quando illorum Christiani singuli conveniebant*; quemadmodum id ipsum erudite ac ingenue *Rustico* respondet Justinus: sic nec nos possumus dicere, *ubi aut qn.* nostri singuli conveniebant: utriq; namq; angimur

mur probationis defectu: Et Christianorum Deus loco non circumscribitur, cum invisibilis sit, & cœlum atq; terram impleat: ubiq; igitur â fidelibus adoratur, & ejus gloria ubiq; collaudatur, uti ibidem ait Justinus Martyr.

II. *Cognomina v. conversorum h. seculo primo*, vix opus est recensere: dicebantur illi alibi (1) *discipuli*, Act. 11: (2) *Christiani* ibid conf. Gregor. Nyssen. de profan. Christi. non Chrestiani, ob commodum aliquod, uti talem derivationem deprecatur in Orat. ad Anton. Pium, Justinus. (3) *Fratres*, Matt. 23: conf. Tertul. in apolog. cap. 36. ubi hujus denominationis rationem reddit. (4) *Sancti*, Rom. 1: & 2. Cor. 13: (5) *Nazareni*, â Christo Nazareno, eorum capite auctoreq;. Qui titulus cum aliis fuit invisus, tum præcipue Judæis; qui ideo ter in die exurgentes, *mane*, & *meridie*, & *circa vesperam*, populum execrando, dicebant: *maledic Deus Nazarenis*, conf. Hieron. in Esa. cap. 49. & Epiphan Hæres. 29. (6) Dicebantur illi *catholici*; cognomine invento ad discretionem eorum â falsis quibusvis: ita sane loquitur Pacianus ad Sym. Novat. *Mihi Paciano nomen est Christianus, catholicus vero cognomen; illud me nuncupat. istud ostendit; hoc probor*, &c. Ut jam terrarum alibi, novis Christianis fuerunt sua cognomina, eaq; aut sacra, aut convenientia alia; sic credendum nostros tunc temporis Christianos suis sacris aut convenientibus nominibus aliis fuisse domi ornatos, quamquam nos h.t. eorum singula non valeamus exprimere; documentorum subsidio destituti. Et ita de illis nostris uti dicebantur inter sese, ac â piis & Christo deditis aliis.

*Deinde ut novi Christiani alibi terrarum multis nominibus improbis traducebantur per gentiles*, partim in sui contemptum ac ludibrium, partim in sui odium ac invidiam: sic minime dubitandum similibus calumniis lacessitos fuisse tunc tempo-

ris

ris nostros conversos. *Christiani apud Romanos dicebantur* (1) *Superstitiosi*, quia alii religioni, quam Romanæ fuerunt dediti & in sua exercenda non Romanis modo, sed & aliis quoq; gentibus flagrantiores. (2) *Dicebantur Christiani Judæi*, quia urbe excisa judæi latius in orbem terrarum vagantes ac perterve ubiq; sese gerentes, omnibus facti sint abominabiles: unde August. de Civ. Dei lib. 6. c. 11. *interim usq; eo sceleratissimæ gentis consvetudo invaluit, ut per omnes jam terras sit recepta*; confer Rutilium Clementianum in itinerario, qui canit:

*Atq; utinam nunquam judæa subacta fuisset,*
*Pompeji bellis, imperioq; Titi.*
*Latius excisæ pestis contagia serpunt,*
*Victoresq; suos natio victa premit.*

Ubi vides judæos in omnes terras fuisse proseminatos, ac sub judæis cumprimis intellectos Christianos. qui dicebantur hoc nomine, & quod judæorum Essenorum pleriq; ad Christi fidem accesserunt, & quod conversi alii hoc seculo primo ferme Essenorum judæorum vivendi institutum excoluerunt, uti id ipsum ex Philast. & joseph. ostendit Baron. annal. tom. 1. pag. 630. seq. (3) *Dicebantur Christiani Magi*, aut specialiter, *Mathematici*, *Astrologi*, &c. Penes antiquos *triplicis generis magos* fuisse tradit Eusebius apud Hieron. tom. 9. quorum *primi* erant doctissimi ac vere Philosophi, farina ac olere vitam trahentes. *Secundi* Sacerdotes, ut diu in Perside: *tertii generis illi fuere*, qui invocationibus malorum dæmonum intendentes, vel ad commovendos animorum affectus in contraria studia, vel ad futura prænoscenda & occulta divinanda, maleficia exercebant; dicti item

Ma-

Mathematici ac Astrologi. Et hanc magiæ Mathesios aut Astrol. speciem intellexerunt gentiles, quando Christianos nominarunt Magos (4) Uno verbo: *Christianum hominem, omnium scelerum reum, Deorum, imperatorum, legum morum. imo, naturæ totius inimicum nominarunt ac existimarunt gentiles*, uti id ipsum ostendit in Apolog. Tertul. c. 2. 35. & 40. His inquam, improbis nominibus traducebantur Christiani primi apud gentiles Romanos; non dubitandum igitur, quin ijsdem, eorumq; similibus flagitiosis nominibus aliis, nostri domi â suis nuncuparentur, ad datamq; quamlibet occasionem accusarentur.

# CAP. VII.

*Probat etiam hoc seculo Christi secundo per Sveo-Gothiam nostram fuisse passim locorum, religionem Christi veram.*

ECclesiam Christi hoc seculo ejus secundo, fuisse per totum terrarum orbem diffusam, probant variorum Auctorum testimonia. (1) *jam vero cum ecclesiæ tanquam clarißima quædam lumina suum splendorem per totum terrarum orbem (ergo etiam per Sveo-Gothiam) diffudißent, & fides in salvatorem & Dn. nostrum Christum Jesum in universo hominum genere magnopere vigeret, diabolus osor probitatis, inimicus veritatis* &c. ad annum Christi 120mum, scribit Euseb. Histor, lib. 4: c. 7. (2) Quod religio Christiana longe lateq; in toto terrarum orbe fuit h. seculo propagata, auctor est Justinus Philosophus, qui ait: *atqui ne*

*unum*

*unum quidem est genus mortalium, sive barbarorum sive græcorum, sive etiam aliorum omnium, quocunq; adpellentur nomine, vel Hamaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium, & cum pecoribus vitam tolerantium* (an hic Svéo-Gothos judicas exclusos; imo, an his censes justinum Lappones nostros exclusisse) *inter quas per nomen crucifixi Jesu supplicationes & gratiarum actiones Patri fabricatori rerum omnium non fiant:* hæc ad annum Christi 140, scribit justin. in Dial. cum Trypho ex vers. Langi (3) His consentientia habet jrenæus, lib. 1. c. 3. qui hoc ipso seculo claruit, cum ait: *Neq; hæ quæ in Germania sunt fundatæ ecclesiæ aliter tradunt, neq; hæ quæ in Hyberis sunt, neq; hæ quæ in Celtis, neq; hæ quæ in oriente, neq; hæ quæ in Ægypto, neq; hæ quæ in libya, neq; hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ: sed sicut sol creatura Dei in universo mundo unus & idem est, sic & lumen & prædicatio veritatis ubiq;* (ergo etiam in Sveo-Gothia) *lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis pervenire.* (4) Hic addere possumus Tertullianum, qui in fine hujus seculi secundi floruit. Is adversus judæos, cap. 7. & 8. *In quem* inquit, *alium universæ gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? Cui enim alij gentes crediderunt, Parthi, Medi Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Capadociam & incolentes Pontum, & Asiam & Pamphiliam, immorantes Ægyptum, & regionem Africæ quæ est trans Cyrenem. Romani & incolæ, tunc & in jerusalem Judæi, & gentes cæteræ, ut jam Getulorum varietates,*

*& Mau-*

*& Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo v. subdita, & Sarmatarum & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum & abditarum multarum gentium & provinciarum & insularum multarum vobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus. in quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat: utpote ante quem omnium civitatum* (Ergo etiam Upsaliensis &c:) *portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ: ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, & valvæ æreæ sunt apertæ. quamquam & ista spiritualiter sunt intelligenda, quo præcordia singulorum, variis modis à diabolo obsessa, fide Christi sint reserata; attamen perspicue sunt adimpleta, utpote in quibus omnibus locis populus nominis Christi inhabitet.* Et post pauca, instituta collatione inter regnum Christi, & regna variorum Monarcharum; *quis omnibus regnare potuisset, nisi Christus Dei filius, qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nunciabatur? Nam si Salomon regnavit, sed intra terminos Judææ; à Bersabe usq; ad Dan termini regni ejus signantur. Si vero Babyloniis & Parthis regnavit Darius, non habuit potestatem ulterius ultra fines regni sui: non habuit in omnibus gentibus potestatem. Si Ægyptiis Pharao vel quisq; ei in hæreditatem regni successit, illic tantum potitus est regni sui dominio. Si Nebucodonozar cum suis regulis ab India usq; in Æthiopiam habuit regni sui terminos. Si Alexander Macedo nunquam Asiam universam, & cæteras regiones postquam divicerat, tenuit. Si Germani adhuc usq; limites transgredi non sinuntur. Britanniæ intra oceani ambitum conclusæ sunt. Maurorum gens & Getulorum barbaries à Romanis obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum præsidiis imperium suum muniunt, nec trans ipsas gentes porrigere regni sui fines possunt? Christi autem regnum & nomen ubiq;* (Ergo etiam in Sveo-Gothia) *porrigitur, ubiq; creditur, ab omnibus gentibus supra numeratis co-*

 *litur*

*litur, Ubiq; regnat, Ubiq; adoratur*, &c. Hæc si vera sunt, uti vera eadem esse nos pie speramus, sequitur profecto testimoniis tot tamq; clarorum scriptorum ecclesiasticorum, seculo Christi secundo in nostris SveoGothis, fuisse Christo suam ecclesiam.

*Dicis: Scribunt isti auctores Rhetorice, & sine dubio aliquas gentes nominant, de quibus singulis non possent per inductionem ut ajunt, suam thesin probare.* Sed sciendum est hosce ecclesiasticos scriptores de hujus seculi fœcundissima propagatione scripsisse vel adversus hæreticos, vel gentiles, vel judæos: studuisse igitur inter scribendum, ut omnibus explorata proferrent, & non alia, nedum falsa, ne ab hostibus suis redarguerentur ullius mendacii. Unde Baron, de Tertulliano, qui scripsit ad Romanos Antistites, ad Scapalam Asiæ ProConsulem, attestatione facta ex literis Imperatoriis &c. *potestne quis* ait, *suspicari in re tam memorabili, cujus adhuc testes viverent, atq; coram redarguere possent, imo & coram illis qui Christianos alioquin ex levi causa deridere ac jurgiis insectari solerent, Tertullianum mentiri potuisse? cum præsertim gravissimam ageret causam, nempe fidei Christianæ defensionem*, &c. *cum â causa se penitus cadere intelligeret, si vel levioris mendacii ab ipsis argui potuisset*, &c, Annal. tom. 2. pag. 203. Supra veritatem igitur non scripserunt hi recensiti auctores; sed fas est moraliter credere omnes illas orbis partes ac provincias gavisas fuisse clara Evangelii luce, quas illi eâdem dicunt fuisse beatas.

# CAP. VIII.

*Recenset varios modos quibus ecclesia Dei tunc temporis propagabatur de provincia in provinciam, itemq; quomodo tunc ubiq; terrarum illa valde crescebat.*

DUo recepi me in hoc capite probaturum: Nimirum

I. Eccle-

*I. Ecclesiæ Christi propagationem maximam de provincia in provinciam, per totum terrarum orbem.*

*II. Ejusdem in qualibet provincia, multam fœcundamq; auctionem.*

Quod ad *prius membrum attinet de ecclesiæ Christi latitudine, quoad singulas provincias per orbem terrarum*, ac consequenter de ejus latitudine, per nostras *provincias Sveo-Gothicas*, hoc seculo Christi secundo.

Recoli hic debent argumenta ea, quæ seculo Christi primo hanc thesin abunde satis ostenderunt ac munierunt. Quibus addi possunt hæcce alia, quæ itidem præsentem thesin, quoad hoc seculum, probant muniuntq; perspicuè. Ergo heic reminiscendum est.

*I. Alexandriæ fuisse omnis generis homines*: nam Alexandria fuit instar *verticis* omnium civitatum, prout scribit Ammianus l. 22. Et fuit quoq; illa talis dum aut incolarum conditionem respicis, aut originem religionis. (1) Inhabitarunt illam varii populi, non vicini modo; sed & alii procul dissiti. *Video ait Chrysost: ego non solum Græcos apud Vos, neq; Italos, neq; à propinquis regionibus, Syria, Lybia Cilicia, neq; qui supra illos Æthiopes habitant, neq; Arabes; sed etiam Bactrianos*, Scythas *& Persas & Indorum quosdam, qui concurrunt, & semper apud vos versantur*, Orat. 32. ad Alexandr. Tu igitur hîc non negabis inter illos Scythas, fuisse aliquos Sveo-Gothos. (2) Ut Alexandria tunc temporis propter versionem bibliorum, fuit instar *matris*, quoad religionem sacram; aliis instillandam sic rursus minime negabis illam per eosdem istos Scythas, quicunq; illi fuerunt, aliis nostratium domi viventium, veram religionem fuisse impertitam.

*II. Est hic reminiscendum, judæos sub finem test. Veteris, ac sub initium T. Novi, fuisse per omnes mundi provincias ubiq; diffusos.* Ješ

*sos.* Jerusolymis tempore passionis Christi agebant judæi *ex omni natione, quæ sub cælo est,* Act. 2. 5. h. e. *nequaquam Palestinæ terminis continebantur, sed longe lateq; in Asia, Africa ac Europa habitabant,* teste Philone uti dictum supra, aut populosa ista natio, *non sicut aliæ gentes, unius regionis spatio comprehendebatur, sed totum pene orbem passim incolebat,* judice Bar. ad annum Christi 41. & ita ante urbem excisam. Excisa a. urbe, jam adhuc judæi latius diffusi sunt: *Latius excisæ pestis contagia serpũt, victoresq; suos natio victa premit,* ex Rutilio dictũ est supra p. 320. conf. Hylsem. de Aux. gr. p. m. 144. Quo a. illi congregati judæi postea iverunt, eo iverunt non tam simplices judæi, quam semiChristiani: *nam complures ex illis pertæsi judæorum infamiæ & gloriam Christianorum è contrario æmulantes, illis adhæserunt; sed ita tamen, ut non crederent* (singuli) *sicut illi, sed commixtione quadam, tanquam ex diversis generibus animantium, horrendum monstrum conflarent,* scribit Baron. ad annum Christi 74. Et sic etiam per hosce domum reversos, potuit Christus nostris prædicari, Phil. 1:

*III. Est hic reminiscendum, quomodo non pauci Christiani fuerunt, qui Stephano lapidato Jerusolymis una vice pellebantur,* Act. 11: 19. *sed fuerunt illi omnino multi:* imo, judice Baronio, ultra 15 millia. Nec *deinde* tenuis fuit eorum numerus, qui ingruente bello Romano, postea Jerusolymis fugerunt, antequam penitus interceptus esset egrediendi exitus. nam credi potest etiam tunc Deum metuentibus sese dedisse significationem, ut fugerent à facie arcus, ac liberarentur, uti habetur Psal. 59: *Hi singuli fuerunt fidei causa ita divisi, ut seminatoris frumenta effecti ad panem supracælestem, orbem peragendo* (ergo etiam terras Sveo-Gothicas) *vivificæ doctrinæ virtutes ac efficacias proseminarint, uti scribit Greg. Nyssen. serm. de S. Stephano.*

*IV. Apostoli autem uti singuli in eas orbis partes amandabantur, ad quas*

*ad quas S. Sanctus eos voluit proficisci*, sic quocunq; contendebant, â verbi Christi strenua prædicatione non ante cessabant, quam per se aut suorum alios, paucis annis totum terrarum orbem (Ergo etiam SveoGothiam) sub jugum veritatis misissent, conf. supr. pag. 302. seqq. Hæc vera sunt ex informatione codicis sacri: Non ergo dubitare convenit, quin Seculo Christi primo, aliqua in terris Sveo-Gothicis, ecclesia Christi fuit plantata.

*Plantatam vero eandem intra ejus seculi medium*, uti evictum supra, pag. 307. seqq. *ac excrescentem in sat populosam multitudinem*, uti probatum supra p. 317. seqq. *auxerunt hoc Christi secundo seculo*, (1) *Advenientes ad nos Christiani* per varias persecutiones, institutas ab imperatoribus Romanis, Trajano, Hadriano, &c. dispersi. (2) *Religiosi alii*, qui sub initium huius secundi seculi, inter sese commiscebantur in bello Trajani Dacico. (3) *Auxerunt ecclesiam nostram in partes orbis varias præcones emissi ab Apostolis aut eorum successoribus*, vide Niceph. lib. 5. cap. 26. Nam ut Anglia, Hispania, Gallia, Italia, Germania ac Scythia suis doctoribus beabantur, quod constat ex hist. Ecclesiastica: sic minime ambigendum, quin de illis in nostros aliqui transirent sæpius. Credi itaq; potest, per horum aliquos prædicatum esse Christum, ubi ille ante non sic fuit notus, & sic eorum adventu, in Sveo-Gothia nostra non tantum ecclesiam auctam; sed & plures factos Christi præcones. Ut vere per benignam Dei dispositionem tunc credamus fuisse factum, *ut secta Christianorum h. seculo secundo inveniretur non modo in omni orbis parte, sed & in omni civitate*, uti scribit Euseb. de Præpar. Evangel. lib. 6. cap. 8. ac consequenter, *ut inveniretur etiam in borea, ac in nostrorum Sveo-Gothorum civitatibus cunctis*: quod hic fuit indicandum.

*Posterius capitis membrum, de ecclesiæ Christi fæcunda propagatione in cunctis provinciis*, ut spero, *vix est difficile probatu.*

I. *Permissione Dei ruerunt tunc gentes longius in cæcitate sua ac vanitate, circa Deorum cultum*, quam ut cultus suus eis amplius placeret. Multos scilicet Deorum suorum illi fastidiebant, ac semetipsos porro circa aliorum cultum, recte & incusabant & condemnabant. *Admirabantur Romani* Vespasianum ac Hadrianum; imo, Æsculapium valde colebant: ut tamen postea illi experiebantur vana esse miracula, quæ jactabantur facta a Vespasiano ac Hadriano; sic pariter eis innotuit Deum Æsculapium, cujus celebre erat templum in insula Tiberina, cujusq; plurima solerti impostorum industria jactabantur miracula, sibi nulli fuisse utilitati, conf. Arnob. libr. 7. advers. gentes. Puduit igitur illos hujus Dei Æsculapii, ac pariter multorum inutilium aliorum, quos ante aut ipsi deificassent aut Deificatos ab aliis accepissent, conf. Lips. Antiquit. Inscript. orbe. 2. fol. 29. & Baron. ad annum Christi 139. Ut jam Romanos puduit quorundam talium suorum Deorum; sic minime dubitandum, quorundam suorum Deorum puduisse itidem istos nostros. *Deinde ut Romani quosdam Deos aperte rejiciebant ceu supervacaneos*, sic procul dubio censebant isti nostri suos Deos multitudine laborare; nam constat illorum non pauciores, quam 100 in uno Thoreri templo, apud West Gothos fuisse cultos vide Herwarer Sagun p. 32. facile igitur conjici potest quorundam in tanta copia, ceu nimiorum ac supervacaneorum eos pœnituisse. *Tertio ut Romanorum multos cepit pudor instituti cultus circa quosdam Deos alios*; sic minime dubitandum, quin & nostros pœniteret cultus quondam á se instituti, circa Deos

non

non paucos. Atq; ex hac consideratione, *vel inutilitatis apud Deos quosdam vel eorum multitudinis in universum quoad rationem rectam, vel deniq; ex consideratione cultus quoad aliquos minus honesti*, non potuerunt non nostri ingeniosiores, ut Romanorum sibi similes alii, præsentem δεισιδαιμονίαν aspernari, ac aliam præstolari.

II *Factum est Dei benigna providentia, ut invalescente præconio nominis Christi, oracula Pythica non modo cessarent, sed & Christum manifeste prædicarent.* Jovis Ammonis oraculum cessasse demonstrat Juvenalis Satyr. 6. dum sub Domitiano canit: *Quicquid Dixerit Astrologus, credent â fonte relatum Ammonis: quoniam Delphis oracula cessant; & genus humanum damnat caligo futuri.* Similiter quod Deorum oracula vocalia in Græcia ac maxime in Bœotia. h. t. cessarint, testatur Plutarchus in colloquio inter Cleombrotum & Demetrium, ubi porro adjicit *quid Pythiadi usu venit* *Descendit*, inquit, *in opertum oraculi invita*, & *animo minime alacri. statim autem in primis responsionibus adparuit ex asperitate vocis eam instar navis vento impulsæ non sustinere vim spiritus, adeoq; repletam esse spiritu maligno & muto. tandem prorsus exagitata cum terribili clamore ad exitum contendit, ibiq; sese projecit, ita ut non tantum consultores fugerint, sed & Nicander vates, & quotquot aderant osiorum* ·/. *Sanctorum. paulo post tamen ingressi, sustulerunt eam mente captam, ac supervixit paucos dies*, vide Plut. ipsum de orac. def. in fine. Scil. destruxit illam vis nominis Christi, qui venit dissolvere opera diaboli, 1. Joh. 3: Inhiantes ergo tunc gentiles religioni alii, in hanc pythicam minime amplius inclinabant, quæ jam non modo inraucuit, sed veluti exsiccatus amnis, inaruit ac exolevit. *Deinde quod oracula insuper Christum prædicarint, legere possumus non tantum ex historia Pii imperatoris, sub annum Christi 143. sed & ex Justini Apologetico.* Pius imp. noluit

in in-

in insontes Christianos gladio sævire; tamen quo avitæ superstitioni paulatim deficienti prospectum foret, quod intelligeret occasione *sibyllarum carminum, & aliorum gentilium vatum ac prophetarũ, qui multa de Christo prædixisse visi essent*, (en prædicat) complures â patria superstitione deficere, & ad religionẽ christianam confluere, ejusmodi librorũ lectionem penit⁹ vetuit, adposita pœna mortis, *verba sunt Baronii.* Justinus a. in cohortatoria sua ad gentiles scribit, *consulente quodam vestrum oraculum, ita vos ipsi narratis, quinam unquam extiterint vere pii & religiosi homines, tale responsum id edidisse dicitis: sol⁹ Chaldæus* (Abraham) *sapit, & judæus Apella. per se ipsum genitum, regemq; Deumq; colentes.* Vides hic oracula non tantum obmutuisse ut modo dictum, sed & suspensos gentiles ad Christum recte remisisse.

*III. Quin & hoc effecit Deus benigna sua gubernatione, ut ad adventum Evangelij Christi decresceret idololatria.* Romæ abrogavit seculo primo imperator Claudius multa sacrificia, multasq; ferias; quod iisdem ut ille censebat, major anni pars inutiliter absumebatur, non sine magno reip. detrimento, vide Dionem lib. 60, revera autem Numine cœlesti impellente sic fecit, ut statuta idololatrica minuerentur sub introitum prædicati Christi. Et pariter apud nostros eodem tempore multas ferias præsertim Friggianas, ceu inutiliores ac lasciviores damnavit Sterkoterus, eodem Spiritu itidem hic moliente aliud, quam quod reformator cogitabat.

*IV. Alias ut h. t. augerentur cœtus Christianorum, ursit non tantum vis Evangelii, sed & dignitas hætariarum, seu sodalitiorum sacrorum.* Scilicet conveniebant Christiani statis diebus ante lucem, carmenq; Christo dicebant: tum sese sacramento obstringebant non in scelus aliquod, sed ad peccatum omne vitandum, ac specialiter ne furta, nè latrocinia, ne adulteria committerent, nevè fidem fallerent, aut abnegarent

depo-

depoſitum, ſicuti eorum mores deſcribit Plin. jun. libr. 10. epiſt. ad Trajan. 97. Sic autem vivendo, haud mirum ſi alios ad ſui conſortium ſollicitarint: imo, ſufflante aura benignitatis divinæ in verbo, factum eſt, ut illis ſeſe plures adſociarent, converſiq; omnis ætatis, omnis ordinis ac utriusq; ſexus varij. Sicut igitur Plinius ſub imperio Romano dicit *non civitates tantum, ſed vicos etiam atq; agros hujus ſuperſtitionis contagionem eſſe* pervagatam: Sic ſperare poſſumus nos ejusdem (religionis) profeſſores in noſtris non minori numero auctos, & hic converſos omnis ætatis ac ordinis viros fœminasq;: Urbicos magno numero dediſſe Chriſto ſua nomina, ac pariter converſos milites multos, ſicut quoq; Trajanus non domi tantum invenit magnam Chriſtianorum copiam, ſed & in ſuis caſtris, una luſtratione Chriſtianorum undecim millia numeravit, vide Baron. ad ann. Chr. 108.

V. *Pugnavit etiam Deus hoc ſeculo prodigijs pro ſuis ſanctis.* Et totum quidem imperij Romani orbem Deus diverſis tunc cladibus adflictavit, ut manifeſtis ſignis atq; prodigijs declararet, ob perſecutionem ſanctorum, eſſe ſe gentilibus infenſum. Recenſet iſta prodigia Capitolinus in Antonino: Nec mihi dubium quin ſimiliter Deus aliquo malo concuſſit noſtros, qui novis ſuis Chriſtianis extreme adverſabantur. Facile ergo potuerunt noſtri videre hanc religionē alijs præſtare, cum hæc ſola, & non aliæ, vindice uteretur Deo ſummo.

VI. *Nonnunquam quoq; h. ſeculo coëgit Deus gentiles ad Chriſtianos confugere.* Fuiſſe penes gentiles ac Romæ præſertim, eorum multitudinem, qui â ſpiritu arriperentur, teſtatur Tertull. in Apol. qui plane porro ſignificat gentiles magnopere opus habuiſſe Chriſtianorum miniſterio ad pravos ſpiritus depulſandos, ac è corporibus ſuis expellendos; confer apud Capitolinum hiſtoriam Lucillæ, quæ ſponſa arripiebatur â

pravo spiritu, nec teste dæmone ipso, ab nullo alio medico aut aruspice potuit curari, quam ab Episcopo Hierapolitano, quem ille habuit infensissimum. Sicut jam Romæ ac in Asia Deus mirabili dispositione coëgit gentiles ad Christianos pergere, eorumq; preces ac facta suspicere: sic minime dubitandum, quin etiam heic ejus bonitas per talia ardua media, quosdam Christo negociaretur: ubiq; enim terrarum Dei permissione quovis tempore aliqui obsessi; & nostris tunc temporis non minor gratia data, quam Jtalis aut Asiaticis, Tit: 2: 11. conf. luc. 13: 5.

# CAP. VIII.

*Liberat præcedens caput (de ecclesiæ insigni incremento) â suis quibusdam objectionibus.*

Adversus Christianorum hoc seculo secundo fœcundam multiplicationem in cunctis provincijs, excipi possunt varia, potissimum vero urgeri potest

I. *Diaboli furor adversus hoc studium divinum, in augenda sua ecclesia terrarum ubiq;.* Sed ut diabolus reluctando, profecit nihil circa evangelij cursum, P. 147: 15. sic Deolaus, nec felicior fuit is circa Evangelij fructũ: Vana sine virib9 fuit tunc ejus ira, quia potenter Deus verbũ suũ emisit'& pariter vana nunc eadẽ quia potentèr adversus ejus furorẽDeus idem servavit. Fureret ergo ille tunc quantum posset; vis cœlestis tamen fuit superior, nec ei in prædam dati alij, quam qui eandem cœlestem gratiam contumacius rejecissent. Imo, non tantum Deus ipse sua potentia ausus diaboli refrenavit, sed & à corporaliter obsessis ejus expellendi donũ suis cultoribus varijs impertivit, uti modo dictum ex Tertulliano. *Inst. Non defuerunt impostores & circulatores, qui instar medicorum in curandis corporibus, urbes circumeundo, quæstus causa profitebantur artem pellendorum dæmo-*

*dæmonum*, *vide Ulpian.* lib. 1. ff de ver. & extraord. cogn. Sed virtus Christi semper eorum arte potentior visa: & per hanc cõplures sanati, quos illi curare nequiverunt, sicut hoc ipsũ gentilibus exprobat Justinus Martyr in Orat. sua ad gentiles.

II. *Urgeri hic possunt hæreses tunc excitatæ variæ, quæ videntur tot facile homines sua labe devorasse, quot alioquin vis evangelij convertit.* Dolemus autem nos ex animo hæreses complures tunc fuisse enatas: at gaudemus non minus dum unicuiq; hæresiarchæ videmus â Deo oppositos doctores plures. Quia vero prolixum foret hæresiarcharum ac piorum doctorum numerum hic inire, prolixiusq; adhuc singulorum intersese oppositorum studia explicare, hinc brevitati studentes postquam lectorem benevolum remisimus ad historicos Ecclesiasticos qui hoc argumentũ juste tractarunt, ad propositã objectionẽ respondemus verbis Baronii, quæ habentur annal. tom. 2. ad annum Christi 172. *Vides ex his* ait, *& plane intueris divinam erga ecclesiam, providentiam, quæ perditissimis hisce temporibus, quibus dictæ hæreses invalescebant, quæ ex diversis scholis Philosophorum prodierant, eruditissimos omniq; disciplinarum genere excultissimos viros dederit, qui non modo eorum procaciam infringerent, petulantiam reprimerent, omnesq; conatus frustrarentur; sed & eruditissimis commentarijs gentilium etiam in Christianos ut impios oblatrantium, impetum retunderent atq; audaciam coërcerent*, confer eundem Baron. ad annum Christi 175, omnibusq expensis probe, dic: *manus Domini fecit hæc omnia & est mirabile in oculis nostris, Psalm.* 117:

III. *Objici hic potest, cædes ac tormenta tot Christianos delevisse, quot possent unquam adijci: & sic exiguum semper eorum numerum in provincijs relictum.* Fatemur vero ultro (1) variis calumnijs infamatam fuisse religionem Christi terrarum ubiq; at nihilominus *stetit illa, imo crevit, tam apud barbaros, quam*

*græcos*, *tum propter gravitatem & modestiam*, *tum propter divinæ sapientiæ præcepta institutaq́;*, uti scribit Euseb. hist. lib. 4. c. 7. (2) Fatemur ingentem Christianorum vim cœdibus ac tormentis esse consumptam; sed illis malis non est eorum numerus imminutus, quia Christiani tantum abest ut consumantur cruciatibus, ut contra ijsdem multiplicentur. *Non esse qui exterreat & in servitutem redigat nos, qui Jesu nomine per fidem dedimus* (per terram omnem) *manifestum est. quod namq; dum gladio percutimur, & in crucem agimur & bestijs obijcimur, & vinculis & igne & tormentis alijs omnibus plectimur & excruciamur, à professione nostra non discedamus, satis constat. Et quanto magis ejusmodi tormenta quædam in nos expediuntur, tanto alij plures fideles & veræ religionis per nomen Jesu, fiunt cultores. quemadmodum vitis etc, ita nos etc. plantata namq; est à Deo & Salvatore vitis & vinea, populus ejus; & nos dum cædimur lætamur, persvasum habentes quod excitaturus nos sit Deus per suum Christum*, scribit Justin. in Apolog. conf. Euseb. lib. 4. c. 12.

# CAP. IX.

*Probat novis testimonijs seculo Christi tertio fuisse pro SveoGothiam, aliquam Dei veri ecclesiam*

Non hic repetimus argumenta ad seculum Christi primū alterumq́; producta, ostendentia ubiq́; locorum, atq; sic per SveoGothiam nostram, fuisse tum Christo suam ecclesiam: benignum lectorem rogamus eadem recolere, ac postea expendere, an sub tanta gratia missum prædicatumq; Evangelium Christi sic mox exolevit, ut sub sequens hoc seculū tertium nulla hic esset ejus memoria, nullus item fructus relictus: nos meliora speramus de majoribus nostris, gratiamq; divinam deprædicamus non minus in evangelio potenter servando, quam in eodem clementer serendo: præsuppo sitis igitur

igitur argumentis ante allatis, nunc tantum producimus ea quæ hujus ſunt temporis, & theſin dilucide hoc modo probam9

I. *Conſtat quod hoc ſeculo tertio ſacra biblia ſint in varias lingvas tranſlata ac lectitata locorũ ubiq;* (1) Habuerunt huj9 ſeculi homines non modo 70. interpretum verſionem, factam 280 annis ante natum Chriſtum, prout contra variorum calculos, ex olympiadibus videntur ſibi quidam recentiores exacte numerare: ſed & habuerunt ijdem ſacrorum bibliorũ verſiones alias & lingvis pluribus diverſas. nam poſtquam Hecathæus Abderita recenſione laudum gentis judaicæ, inflammavit omnium externorũ animos ad res judaicas penitius perdiſcendas, non modo mox nomine Ptolomæi, Demetrius illorum libros per 70 illos viros curavit verti, ſed & in idem ſtudium invigilarunt poſtea plures alij, ac præſertim quos donis ad id inſtructos concitavit aliquis propagandæ eccleſiæ zelus: Aquilam Ponticum intelligo, Symmachũ, Theodotionem, Origenem, Lucianum Martyrem, Heſychiũ, Hieronymum, Ulphilam Gothum & plures alios, per quos omnes Evangelium Chriſti eſt in multas provincias exteras feliciter perlatum: & longius latiuſq; in orbe propagata jam religio Chriſtiana, quam ut Romani imperij limitibus finiretur, uti recte ſcribit Baron. ad annum Chriſti 231. Et ſic fuit illa longe lateq; propagata, non tantum prædicatorum viva voce, ſed & per horum talium utiles verſiones. (2) Quod autem ſic varijs lingvis vera religio expreſſa, per *totum terrarum orbem* cœpit ſonare clarius, id docet non uno in loco S. Hieronymus. Præfatione in 4 Evangel. ſcribens ad Damaſum: *novum* inquit, *opus facere me cogis ex veteri, ut poſt exemplaria ſcripturarum toto orbe diſperſa quaſi quidam arbiter ſedeam, & quia inter ſe variant, quæ ſint illa quæ cum græca conſentiant veritate, decernam. Pius labor, ſed periculoſa præſumptio,*

*ptio, judicare de cæteris ipsum ab omnibus judicandum, senis mutare lingvam, canescentem jam mundum ad initia parvulorum retrahere*, etc. Fuerunt igitur jam tum Hieronymi ætate versiones bibliorum sacrorum *toto orbe, ac per consequens in arctoo*, dispersæ. imo, ut Augustinus Epist. 10 ad Hieron. testatur ejus *versionem quam citissime per totum orbem occidentalem fuisse vulgatam*; sic ipse Hieron. in Esa. lib. 16 præfat. docet 70 *interpretum versionem toto orbe lectam*, quamvis *triplici editione diversam*: ait *multos legere eam, quæ ab Origene fuit correcta, alios â Luciano emaculatam, & cæteros eam, quæ Hesychij diligentia pristinæ integritati fuit restituta*: conf. Eundem in præf. libr. Paral. Epist. 107. ubi ait: *Alexandria & Ægyptus in 70 suis Hesychium laudant auctorem. Constantinopolis usq; Antiochiam luciani Martyris exemplaria probat, mediæ inter has provinciæ palestinos codices legunt, quos ab Origine elaboratos, Eusebius & Pamphilus vulgaverunt.* (*NB*) *totusq; orbis hac inter se trifaria varietate compugnat* &c Quæ si vera sunt de duabus versionibus latina Hieronymi, & græca 70 Interpretum, nimirum replevisse illas sui lectione totum terrarum orbem, uti scribunt ijdem viri gravissimi, jam miraberis profecto minus, per illas ac pariter cæteras alias, sed cumprimis per *versionem Ulphilæ Gothicã*, cũ totũ orbẽ, tũ præcipue nostrũ arctoũ, luce Evangelij illustratum, quod nunc nos intendimus probare.

II. *Testatur Chrysostomus homil. 26 in 2. ad Corinth. universum orbem hac seculo clamare Christum vivere.* Ad irridendam Romanorum apotheosin circa quosdam suos imperatores, incipit aliquot domesticis recensitis, conferre Alexandrum Macedonem cum Christo; ait: *qui fieri potest ut Alexander Deus sit? annon mortuus est, & quidem misere.* Objicitis vero vos Christum æq; mortuum esse: *sed sciatis inquit, orbem universum ut olim & nunc quoq; clamare Christum vivere, tunc videlicet per*

*mirac-*

*miracula. nunc autem per eos, qui ad eum sese convertunt*: & post pauca testatur idem Chrysost. orbem universum hoc seculo clamare non modo Christum vivere, sed & ejus Apostolos vivere & sanctos alios. *quid Christū* ait, *commemoro, cum ipse discipulis quoq; suis, ut post mortem clari & celebres essent concesserit. Ubi nunc quæso Alexandri tumulus est? fac mihi eum ostendas, deniq; diē quo vitam cum morte commutavit? at Christi servorum tam splēdida sepulchra sunt* &c, *& dies noti atq; perspecti, ut qui festi â toto orbe agitantur. at illius tumulum familiares quoq; ignorant: hujus autem barbari quoq; ipsi exploratum habent.* iterumq; post alia ex errore de invocatione sanctorum, ubi scripsisset purpuram gestantes ad sepulchra (apostolorum &c) se conferre, ea exosculari, abjectoq; fastu supplices stare, & sanctos obsecrare, ut sibi apud Deum sint præsidio, &c: subdit: *ergone dic quæso, horum dominum mortuum dicere audebis, cujus servi etiam defuncti, eorum qui universo orbi imperant, patroni & defensores sunt*, &c Si jam Chrysostomi sententia totus orbis hoc seculo credidit clamavitq; Christum & ejus sanctos vivere, sequitur profecto idem credidisse clamavisseq; nostros priscos SveoGothos, quippe qui eodem illo orbe tunc comprehendebantur, ac in hoc loco jam nomine barbarorū ni fallor, quibus tamen tumulus Christi fuit exploratus, â Chrysost. traducuntur, jam ut in orbe certi Domini dignè extolluntur.

III. *Ad probandum veram religionem hoc seculo Christi tertio extitisse per totum terrarum orbem, ac consequenter per SveoGothiam nostram*, producimus testimonium Gregorij Nysseni, qui in vita Gregorij Thaum. *jam enim* inquit, *in omnem partem pervaserat divina prædicatio, & omnes tam in civitate* (intelligit Alexandriam) *quam in ea, quæ circumcirca sita est, regione, ad piam rectamq; dogmatis fidem erant traducti. Altariaq; & templa & quæ in eis fuerant simulacra, erant eversa &c omnes autem in*

*omni*

*omni loco in Christi nomine templa erigebant & oratoria, cum Romanorum qui tunc erat, imperatorem* ( Decium ) *subijt ira atq; invidia, propterea quod falsa quidem ejus patria neglectui esset superstitio. Augebatur autem mysterium Christianorum & per totum orbem terræ multiplicabatur ecclesia, per eos qui semper verbo adijciebantur crescens in magnitudinem*, &c, &c. Atq; sic ex Gregor. Nysseno tertium theseos nostræ luculentum testimonium; manetq; ex his & prioribus cæteris planum, per SveoGothiam nostram fuisse hoc seculo Christi tertio aliquam veri Dei ecclesiam, quod hoc capite fuit memorandū, & nos jam nunc clarorum virorum testimonijs dedimus sufficienter probatum.

# CAP. X.

*Inquirit in aliquot modos collectæ aut auctæ apud nostros ecclesiæ veræ, hoc seculo Christi tertio.*

I. *Ornavit Deus hoc seculum tertium clarissimis verbi sui doctoribus*, quos non modo illustrissimis locis præfecit, sed & eo pietatis fervore accendit, ut remotissimorum populorum aliorum, tantum non æq; ac suorum, curam summam diligenter agerent. *Ad Origenem Cæsareæ consveta disciplinæ munera exequentem, non solum multi ab indigenis, sed ab exteris etiam regionibus pene infiniti discipuli, patria sua relicta, adventarunt &c* scribit Euseb. lib. *6*. c. 23. & postea factus Origines Episcopus Alexandriæ(quæ non sita est in orbis angulo, sed veluti in theatro, quorsum ex quatuor orbis partibus varijs de causis confluxêre tunc varij ) sic præsentium suorum egit curam, ut tam docendo, quam scribendo etiam exteros in sacrosanctis Dei eloquijs fideliter juvaret. Quod hoc tempore Alexandriæ præstitit Origenes, id alijs in locis per Græciā, Jtaliā, Gallias, Hispanias, Gothias & Britanniā adnitebantur

tur facere ecclesiarum præsules alij: facile ergo sperare possumus per horum plures, ac omnino postea per suũ Ulphilam, nostros tunc temporis Sveo-Gothos hoc seculo tertio ut & quarto seqventi, domi fuisse literis nunciisq; sacris beatos.

II. *Sunt Deo sui fines gravissimi, cur ecclesiam suam malis temporalibus vexat, & cur eam jam peste urit, jam persecutionibus jactat.* Sunt ei ad hæc plures fines; at in eis nequaquam is postremus, ut hac ratione probati doctores, desperata causa suorum, divertant ad exteros, quod exemplis Cypriani ac Athanasii probare possumus, si quis hic probationem aliquã urgeat: persecutio namq; & mala alia ostendunt sacerdotem, uti Cyprianus scribit Epist. 58: Sicut ergo const t Deum tulisse hoc seculo tertio ecclesiam suam sæpius persecutionum procellis agitari, sub variis imperatoribus ethnicis, ac insuper (nè nunc alia tempora nominem) sub Gallo & Volusiano 10 annorum peste sævientissima uri, testibus Eusebio in Chron. ac Eutropio: sic putandum per istam Dei dispositionem semper factam doctoribus ut hominibus alijs, copiam excurrendi ad alios: credendumq; eorum non paucos, ad nostros Sveo-Gothos confugisse, ac pro hospitalitate civili, eis spiritualem mercedem numerasse, Baron. ad ann. Chr. 256.

III. *Superiori argumento adfine est hoc tertium, quod petitur ex commixtionibus gentium, factis hoc seculo temporibus bellorum.* Nihil attinet totum seculum percurrere; videamus saltem quid factum in Romano imperio, Valeriano capto. *Solvuntur repente undiq; permissu Dei ad hoc circumposita relictæq; gentes, laxatisq; habenis in omnes Romanos fines invehuntur: Germani Alpibus, Rhetia, totaq; Italia penetrata, Ravennam usq; perveniunt. Alemanni Gallias pervagantes, etiam in Italiam transeunt. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia Gothorum inundatione deletur: nam Dacia*

*trans Danubium in perpetuum aufertur. Quadi & Sarmatæ Pannonias depopulantur. Germani ulteriores abrasa potiuntur Hispania, Parthi Mesopotamiam auferunt, Syriam corradunt &c,* scribit Oros. lib. 7. cap. 22. conf. Trebell. in Gallieno. Et sic *primum* variorum populorum irruptiones in Rom. imp. Quomodo v. *deinde* hæ gentium in Romanum imperiũ irruptiones ac depopulationes ad Christianæ fidei propagationem magnopere contulerunt, audi Sozomenum lib. 2. cap. 5. scribentem: *Causa, cur omnes fere barbari Christianam religionem amplecti cœperint, fuere bella variis temporibus, utpote regnante Gallieno, & imperatoribus à quibus ei successum est, à Romanis & exteris hominibus administrata. nam cum infinita fere & promiscua multitudo gentium ex Thracia in Asiam trajecisset, eamq; incursionibus factis occupasset, alij barbari in aliis locis Romanis sibi finitimis idem præstitissent: multi sacerdotes Christi pariter captivi à barbaris abducebãtur. Qui quidẽ cum homines in illis locis morbis adflictatos sanarent & dæmonibus occupatos solo nomine Christi filij Dei invocato, liberarent &c, barbari eos cum vitæ, tum factorum mirabilium causa magnopere admirari* &c. *ac in Deo colendo* &c, *imitari* &c. conf. Niceph. lib. 8. cap. 33. Sperare igitur possumus per nostros externos Gothos tunc aliquos sacerdotes nostris in patriam missos, aut in illorũ castris militantes nostros domesticos, rectius informatos in Europa, aut in Asia ubi sub Gregorio Thaumaturgo in Ponto aliquamdiu vixerunt, domum revertisse.

IV. *Sed vide quomodo Deus nostros remotosq; à Syria populos alios, tunc feliciter verbi sui præconio benignus juvit.* Non tantum ante dedit Deus illis Apostolos ac mox viros Apostolicos; sed porro hisce annis fere ubiq; illis surrogavit doctores plures, qui quovis fato dispersi viva voce singuli verbum Dei prædicabant: ut tamen iidem rectius commissa tenerent, ecce nova Dei benignitas affulsit, dum ad informa

tio-

tionem sui, auxiliumq; memoriæ inveniunt singuli sacrum codicem suis linguis loquentem, &c. Quæ cuncta cum obtigissent *iisdem illis nostris*, uti antea & nunc pulchrè probavimus: cogitare igitur nequaquam convenit, illos nostros singulos in tenebris sedisse, quin potius firma fide credere aliquam apud se hoc tempore illos aluisse ecclesiã, uti capite superiori id ipsum ex clarissimis auctoribus audivimus narrari.

## CAP. XI.

*Adjicit nonnulla in confirmationem eorum, quæ modo sunt dicta de dispersione Ecclesiæ Dei, facta hoc seculo tertio.*

I. *Sicut Dagon Philistæorum Deus corruit inglorius arca Dei adpropinquante, 1. Reg. 5: sic hoc seculo ad illustrationem regalis sacerdotii Christi gentilitia superstitio multis in locis non modo cessit, sed & variis suis ornamentis est deflorata.* Alexander imperator ægre tulit aurum & argentum conferri templis: ipse igitur ne guttulam quidem aut bracteolam auri posuit, scribit Lamprid. in ejus vita: At vero illius successor Maximinus non modo ut Alexander, non obtulit, sed & quicquid auri aut argenti in templis fuit sedulus abstulit: *Templorum omnium donaria, statuæq; Deorum, heroumq; honores, tum quicquid publici operis & civilis ornamenti, aut materiæ deniq; fuit nummis idoneæ conficiendis, omnia pariter ignibus conflabantur*, scribit Herodian. lib. 7. Scilicet sic voluit consilium divinum, ut illucescente gloria Christi, vilesceret fucus Sathanæ: sicut quoq; ad preces Susannæ circa annum Christi 295, jovis statua scribitur in Martyrol. Romano in terram prostrata.

II. *Mulctavit Deus quandoq; insigniter eos hoc seculo tertio, qui ecclesiam ejus vexabant ac cruciabant, tam dæmones ipsos, quam quosdam principes ac populos.* De hominib9 rem certã faciunt sequen-

tia exempla: Plautianus Christianorum hostis infensissimus non modo ipse anno Christi 206 est occisus, & in viam publicam projectus; sed & liberi ejus mox in exilium missi, imo, ejus nomen abolitum & abrasum, ubicunq; scriptum reperiretur in tabulis lapideis aut aliis, teste Tertull. ad Scap. cap. 4. Severus imperator quæsitus ad necem â filio, obiit anno Christi 212. magis mœrore animi, quam morbo corporis, Herod. lib. 3. Cives Romani inclamare soliti: *Christianos ad leonem*, sævitia Caracalli per immissos milites, vindice Deo trucidati sunt magna strage anno Christi 214. Præterea Christianum sangvinem in persecutione sub Severo immaniter fusum, nesciens ultus est Antoninus imperator apud Alexandrinos, dum anno Christi 217. dato signo ut milites hospites suos occiderent, Alexandriæ magnam cœdem fecit, Spart. in Carac. Quin & post iidem Alexandrini Christianorum sævissi mi hostes (*quorum non sufficit iræ, occidisse aliquem, sed pectora, brachia, vultum crediderint genus esse cibi* &c uti Canit juvenalis) verso in suamet viscera furore, magna laniena se invicem consumpserunt anno Christi 252. Gallienus prodigio percellebatur ad reddendam ecclesiæ pacem. Aurelianus imperator subscripturus persecutioni, instinctu aliorum jam jam ciendæ in Christianos, per divinam ultionem repressus est anno Christi 273, brachiorum commissuris enervatis, Euseb. hist. libr. 7. cap. 24. Et quis potest omnes mulctatos recensere? Recte sane Tertull. ad Scapulam, cap. 3. *Doleamus* inquit, *necesse est, quod nulla civitas impune latura sit sangvinis nostri effusionem*, &c. *Hilarianus præses obiit misere, Vigellius Saturninus qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit* &c. *Claudius Herminianus solus in prætorio suo vastatus peste, cum vivus vermibus ebullisset: nemo sciat, ajebat, ne spe gaudeant Christiani. Cæcilius Capella in exitu By-*

*tu By-*

*tu Byzantino exclamavit: gaudete Christiani*, &c. omnes recte confitentes, aliorumq́, judiciis expendere relinquentes, sic se vapulasse per vindictam divinam, quod Dei servos vexassent. (2) Similiter quod Deus hoc seculo notabiliter mulctavit dæmones suis pœnis, docent ex multis hæcce exempla: Gregorius Magnus in nomine Christi dæmones sæpius ejecit, & templum quoq; eis clausit, vide hist. apud Baron. ad annum Christi 253. Cyprianus exorcismis illos itidem sæpius pulsavit, unde ad Demetrianum præsidem: *pudeat te ait, eos colere quos ipse defendis. pudeat tutelam de iis sperare quos tu ipse tueris; ô si audire eos velles, & videre, qn. à nobis adjurantur & torquentur spiritalibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, qn. ejulantes & gementes voce humana, & potestate divina flagella & verbera sentientes, venturum judicium confitentur*, &c. Et prædicatus Christus ubiq; locorum quos Deos gentilium non antiquavit ac annihilavit? Ex quo ait Porphyrius, *Jesus coli cœptus est, nullus sane mortalium publicam Deorum utilitatem persensit*; manifeste docens Christum suo adventu Deos gentilium potestate cassos reddidisse, & illorum cœtum non secus ac nocturnam catervã sole exoriente, in tenebras ire compulsum, uti docet Theodoretus. Quæ quidem ad primos Christi annos possunt reduci, sed nec â sequentibus hisce excludi; nam videtur divina providentia ordinasse, ut cum celebriora orbis oracula statim divina virtute obmutescerent, aliqua tamen ejus permissu, alicubi locorum adhuc extarent darentq; responsa: nec ita ab ullam aliam causam, nisi ut ex horum silentio postea Christi virtute iisdem imperato, quis vocalia ista famosissima idola tacere fecisset, recentiori experimento innotesceret, & Christi adversus dæmones vis & potentia novis exemplis gentilibus cunctis palam fieret, produceretur q́;

quasi sæpius dæmon in campum certaturus, ut de hoste devicto & prostrato Christus sæpius triumpharet ac gentilitatem simul sub suo vexillo, sæpius duceret captivam.

III. *Duxit Deus hoc seculo tertio religionem suam in urbes ac castra.* Anno Christi 220 statuit Heliogabalus Christianam devotionem Romam transferre, scribit Lampridius: At postea idem suis temporibus præstiterunt, Hadrianus, Alexander, duo Philippi, Zenobia orientis regina, ac Tryphonia Decii conjunx, qui omnes tanta felicitate Deo promovente, hanc rem procurarunt, ut recte *senatum, forum ac palatium Christianis fuisse repletum*, inde scriberet Tertull. in Apolog. cap. 37. ubi idem quoq; ille affirmat de Exercitibus Romanis, nimirum *refertos & illos fuisse militibus Christianis* Ac cumprimis ex Christianis militibus constitisse putant eruditi non tantum legionem fulminatricem, quæ sub hujus seculi initium militavit sub Severo, sed & de veris omnino Christianis fuisse illos milites, quos sub hujus seculi finem furor Diocletiani vel trucidavit in campis Coloniensibus, vel ad thermas Romæ fodiendas, æterno ergastulo adjudicavit, vide Baron. ad annum Christi 297. seqq.

IV. *Dedit Deus hoc tempore ecclesiæ suæ patronos reges ac reginas; imo, excitavit quoq; eos, qui veterem variorum Deorum religionem vanitatis damnarent.* Heliogabalus imperator renunciatus ut primum Romam venit, promovendi Elagabali, sui Dei, tanto studio fuit inflammatus, ut vellet omnes alios Deos cassare, omniumq; hominum religiones vel penitus antiquare, vel certe in hujus novi sui Dei rationem transmutare, conf. Lamprid. Patroni ecclesiarum recitati sunt paulo ante, h. e. articulo tertio, ac de singulis consule Tu Baronium, de Hadriano & Alexandro ad annum Christi 224. de Philippis ad annum Christi 253. de Decii conjuge Trypho-

nia

nia, ad annum Christi 269. de Zenobia ad annum Chr. 274. &c. Quæ vero contra hæcce de patronis ecclesiæ, *an ulli hoc seculo extiterint?* opponi possunt ac solent ex historia Constantini Magni, qui primus Christianus imperator vulgo salutatur, ea diluentur infra ad historiam seculi quarti, & cap. 16.

V. *Notari hic meretur, quomodo Deus hoc seculo tertio æq; ac tribus prioribus, fortius ex suo beneplacito egit, in hominibus vocandis ac convertendis*: Convertit namq; hoc seculo tertio varios gentiles & Philosophos, multos item truces imperatores, milites ac tortores, singulos cum maxime furerent contra ejus ecclesiam, sicut id ipsum notum est ex historia Ecclesiastica: haud igitur metuendum quin gratia Dei surriperentur, quos capiendos minor prostituit malitiæ obex.

Quæ singula cum recte perpenduntur, perpensaq; ducuntur ad modos capite superiori in nostris indigitatos, facile persvadent vera esse, quæ ex clarissimis auctoribus scripsimus supra de ecclesiæ Dei amplitudine, apud nostros antiquos Sveo Gothos hoc seculo Christi tertio.

## CAP. XII.

*Probat seculo Christi 4to heic locorum fuisse Dei ecclesiam.*

Ante sæpius dictum est ecclesiam Dei ubiq; gentium longe lateq; feliciter fuisse propagatam: Videndum nunc an sint auctores, *qui doceant eam hoc seculo Christi quarto itidem longe lateq; fuisse diffusam ac propagatam*. Arnobius alloquens gentiles, qui dicebant postquam in mundo gens Christiana esse cœpit, terrarum orbem periisse, multiformibusq; malis affectum genus humanum, scribit libr. 1. sub finem: *vel hæc*

*saltem*

*saltem argumenta credendi faciant vobis fidem; quod jam per omnes terras in tam brevi tempore & parvo immensi hujus nominis sacramenta diffusa sunt: quod nulla jam natio est tam barbari moris & mansvetudinem nesciens, quæ non ejus amore versa mollieverit asperitatem suam* &c. Chrysost. de Sanctis juvent. & Maximo depictis artibus juliani, ait: *augebatur quotidie scintilla hæc, ferebaturq; in sublime, & omnem undiq; orbem invadebat* &c. August. contra Parmenianum l. 1. c. 1. probat ecclesiam catholicam toto orbe diffusam existere, ac mox cum laudasset Ticonium Donatistam, qui adversus Parmenianum suũ Episcopum ausus fuit idem asserere, subjicit: *Ticonius omnium sanctarum paginarũ vocibus circumtusus evigilavit & vidit ecclesiam Dei toto orbe diffusam, sicut de illa ante per corda & ora sanctorum prævisum ac prædictum est*, &c. conf. Basil. Epist. 48. Orosius libr. 7. cap. 33. respondens gentilibus exprobrantibus Christianis clades ipsis illatas â barbaris, scribit de hoc argumento in hunc modum: *sed quid hoc ad consolationem proficit paganorum, qui palam pervident & in his quoq; persecutorem ecclesiarum* (imperat: Valentem) *fuisse punitum; Unus Deus unam fidem tradidit, unam ecclesiam toto orbe diffundit: hanc aspicit, hanc diligit, hanc defendit* &c. Imperator Theodosius contra Arrian. Eucherio & Syagrio Coss. scribit: *ac si quid erectio factiosa tentaverit, ab ipsis etiam urbiũ mœnibus exterminato furore propelli jubemus, ut cunctis orthodoxis episcopis, qui Nicœnam fidem tenent, catholicæ ecclesiæ toto orbe reddantur* &c. Hieronymus præfat. in lib. 3. Comment. ad Galat. adversus Celsum, Porphyriũ & julianũ, objicientes nullos nunc esse doctores &c, loquitur *hoc modo: quotusquisq; nunc Aristotelem legit? Quanti Platonis vel libros novere vel nomen? vix in angulis otiosi senes eos recolunt. Rusticanos vero & piscatores nostros totus orbis ioquitur, universus mundus sonat*, &c. Ambros. in prologo lib. 1. de S.

Sancto alloquens Deum dicit: *quantos Constantinopoli* (ejectis Arrianis) *quantos postremo toto hodie in orbe mundasti &c, &c.* Nam quid attinet auctores plures allegare? Scilicet non *tantum urbem Romam eiq; subjectas provincias Christianis hoc seculo fuisse confertas*, haberi potest ex Euseb. lib. 8 cap. 26; sed & his recensitis auctoribus credi *ubiq; gentium*, ac consequenter per Sveo Gothiam ac Lapponiam, *Christi ecclesiam longe lateq; feliciter tunc propagatam*, quod hoc capite fuit memorandum.

## CAP. XIII.

*Defendit ecclesiæ amplitudinem modo indigitatam, adversus ea quæ occasione variarum hæresium ac persecutionum solent vulgo moveri.*

Fuerunt equidem ut constat, hoc seculo quarto variæ persecutiones tam clandestinæ ceu juliani, quam apertæ ceu quorundam imperatorum aut Ethnicorum aut Arrianorum, quæ ecclesiam Christi variis in locis graviter sauciabant: Inundarunt itidem hoc seculo ecclesiam Christi hæreses multæ ac pestiferæ; sed quid aut persecutiones adversus ejus amplitudinem valebant, aut proficiebant hæreses? *Videbant persecutores res nostras morte martyrum fieri clariores, & ea causa non solum viros, sed & teneros pueros virginesq; nondum nubiles, & in summa ex omni sexu & ætate quosdam pro religione ad mortem prosilire* &c. *omnes ad martyrium quasi ad alvearium apes volare*, &c. *infestarunt tyranni ecclesiam & populi quoq; in nos insurrexerunt, cum adhuc parva religionis scintilla esset; eam tamen non expugnarunt, neq; confregerunt, sed ipsi potius confracti sunt. Augebatur quotidie scintilla hæc ferebaturq; in sublime, & omnem undiq; orbem invadebat. Cum occiderentur, adurerentur, suspenderentur, præcipitarentur, bestiis objicerentur fideles: carbones sicut lutum cal-*

*cabant, mare & fluctus sicut pratum intuebantur, ad gladium sicut ad diadema & coronam currebant, omniaq; tormentorum genera sic contemnebant; ut ea non solum gratiose & fortiter ferrent, sed & alacriter & volupe. Enimvero sicut palmæ rigatæ magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata magis floret, & seditione agitata incrementa sumit: neq; horti aquis irrigati ita germinant & fœcundi sunt, ut ecclesiæ si martyrum irrigentur sangvine* &c. verba sunt Chrysost. de sanctis juv. & Max. Sic vero invicta ubiq; locorum ac gentium manet ecclesia Christi, non ipsorum hominum numero, ac si singuli non possent deleri, nec eorum artibus aut meritis ullis, ac si deleri illi non commererentur, sed unice propter institutionem divinam, quæ eam benigne super petram inexpugnabilem posuit, Matt: 16: Nunquam igitur domatur nedũ extirpatur gens Christi, sed ipsa manet invicta, etiamsi mundi Imperatores ac Reges omnes quotidie cõtra eam insurgerent: Unde recte Epiphanius: *Fugantur sæpe Christiani ab his aut illis partibus, ne videatur restare radix sapientiæ, neq; planta fidei. at tametsi videantur omnes esse fugati, omnino tamen sunt illic fideles homines; non enim possibile est fidei fontem deficere,* &c. hæres. 70. de Gothorum exterorum Audæanis.

## CAP. XIV.

*Docet religionis veræ h. t. auctæ ac propagatæ modos non paucos.*

Hoc seculo Christi 4to æq; ac tribus prioribus *propter ecclesiam suam ejusq; incrementum*, in imperio Rom.

I. *Constrinxit Deus sæpe diabolos, eorumq; impetum variis in locis refrenavit.* Libet hic exempli loco exscribere historiam Nicolai Myrensium in Lycia Episcopi, quam habet Metaphr. in ejus vita. *Nicolaus ait, florens donis â Deo datis & morbo*

*omnes*

*omnes curavit, & fuit brevi clarus & gloriosus non solum apud fideles, sed & multos infideles; habebaturq; in omnium animis in majori admiratione, quam quæ possit verbis exprimi. Et ideo cum videret adhuc extare multas aras simulacrorum, & magnam dæmonum catervam in eis habitare, & non paucos perdere ex Myrensibus, divino Zelo incensus exurgit fortissime, & omnem illorum obiens regionem, si in aliquam aram aliquando incidisset, humi dejiciebat, & in pulverem comminuebat, & sic procul expellens dæmonum multitudinem, effecit ut grex pace tranquilla frueretur, &c.* nec â Dianæ templo ille abstinuit, sed & idem disjecit funditus, *quod erat pulchritudine admirabile, & alia superans magnitudine, & jucundissimum dæmonibus habitaculum &c.* ut mali *dæmones advenientem Sanctum non sustinerent, sed fugerent ac clamarent se ab ipso magna affici injuria ac invitos â rebus suis excedere &c,* Similiter obmutuit oraculum Daphnes, Chrysost. orat. contra gentiles. Dæmon nuncius Juliani præsentia unius Christiani detentus est, Vitæ patr. part. 2. c. 19. nec potuit dæmō respondere Juliano sese per exta consulenti, propter præsentiā cujusdā pueri Christiani, teste Prudentio in Apotheosi contra Judæos. Olympus noctu deseruit suum templum ad auditam vocem hominis Christiani, qui cecinit alleluja, Sozom. l. 7: c. 20. Fugati ergo aut vincti tūc sunt diaboli.

II. *Destruxit Deus hoc tempore varia Deorum templa, ut singula cum suis patronis ubiq; locorum damnarentur vanitatis.* Templum Fortunæ est Romæ incensum sub initium hujus seculi, Zosim. lib. 2. Templum Dianæ in Asia est prostratum anno Christi 318: Apollinis templum in Daphne est exustum anno Christi 362, Chrysost. advers. Gentil. tom. 5. & obruta Alexdriæ delubra Serapidis anno Chr. 389. conf. Eunapium in Ædesio & Aug. de divin: dæmon. c. 1. Nec non in locis aliis templa plura aut incensa aut diruta. præcipue tn. sunt templa ac oracula varia protrita per edictum Constantini, vetantis sacra pagana circa annum Christi 326. ulterius fieri. III. *Tulit*

III. *Tulit Deus superstitionem cæcam h. t. sic ruere in suis sacris, ut commentorum suorum facile jam pœniteret.* Romani angvem Æsculapium Epidauro Romam advectum impensius aliquamdiu colebant: sed illius nunc eos pudebat, dum prostritus â quodam monacho fecit fidem, se nihil â draconibus aliis differre, ipsiq; porro viderunt sic ab homuncione discerpi suum Deum, sicut naturales serpentes videbant discerpi ab hominibus aliis. Et annon in morte juliani qui Deorum vanis promissis ruit in bellum, perspexerunt idem gentiles, nim. impotentes esse suos Deos; privatum fulminibus jovem, Martem armis, Mercurium talaribus & caduceo, Herculem clava, Vulcani friguisse ignes, victoriam improbe factam transfugam &c. perspexeruntutiq;, ac ideo & indignabantur & erubescebant, vide Bar. ad annum Christi 363.

IV. *Affecit Deus hoc seculo quarto variis pœnis eos, qui ecclesiæ ejus machinabantur exitium* Maximiani furorem cum divinis superba oratione insultaret, repressit Deus immani prodigio, quod sub die medio ac sereno erupit in sonum multorum tonitruum, elisum ex nubibus ignem, profundas itē tenebras ac densam cum vehementibus ventis grandinem, circa hujus seculi initium; sicut mox tantum non eodem, certe simili prodigio, post septennium bonus Deus compescuit insaniam Maximini, vide Euseb. lib. 8. c. 18. Hermogenis sævitiam circa annum Christi 307. mollivit Deus carceris fulgore corusco. Crudelis Rectiovarus præcipitavit sese in ignem anno Christi 303, subiens quod multis tentare præcepisset. Diocletianus & Galerius abdicarunt sese officio, *mœrore confecti, desperatione devicti, robore suffusi, mente turbati ac regni pertæsi; ne faterentur se esse victos, illam in se ipsos vindictam intulerunt, quam indignissime â victoribus hostibus illatam accepissent. sed quod non satis hæc esse poterant ad effusionem sangvinis Chri-*

*nis Christiani, horum prior velut Cain tremens ac pavens miserrime vivens, diem postremum infelicissime clausit: posterior vero spontaneo laqueo se præfocās vitam abrupit,&c.* Sozom. Fame & bello egit divina ultio pro suis circa annum Christi 311. & nonnunquam quoq; per dæmones Christianorum injurias digna animadversione vindicavit Deus, sicut dum Pinianum per obsidentem dæmonem vexavit ac tandem extinxit, sub hujus seculi initium, aut anno Christi 301. Et quis potest omnia prodigia omnesve pœnas in contemptores religionis Christianæ recensere? addantur saltem hac vice, quæ contigerunt trigæ illi malorum comitum sub juliano: julianus avunculus interiit visceribus putredine exesis, Theodor. lib. 2. cap. 11. Felix crepuit medius, Ammian. lib. 23. & Elpidius bonis exutus, carceris squalore est enecatus, Niceph. l. 10. c. 29.

V. *Servavit Deus sæpe mirabiliter suos hoc seculo quarto.* Per angelum servavit Deus non tantum virginem Theophilam sub hujus seculi annum primum, si modo vera sunt, quæ scribit de ipsa ignatius ad Philipp. Epist. 8. sed & anno altero conservavit ille aliquot confessores pios. Irenem similiter protexit in lupanari ut intacta inde emitteretur anno Christi 304 & quæ sunt exempla plura; nam tentanti illa recensere facile ipsa multitudo quædam subducit, maxime si per totam periodum conetur expatiari. *Ita hoc seculo in imperio Rom. Sed an ita in eo solo?*

Certe hæc cuncta Dei omnipotentis potentiam ac bonitatem ubiq; gentium comendabant perspicue, ac porro gentiliū Deorum vanitatem ac stultitiam redarguebant clare; facile ergo ad Deum verum quærendum indirecte homines singula vocabant ac concitabant: Ne tamen inter eundum ulli vacillarent, ecce nostris æq; ac procul dissitis gentibus aliis, dedit bonitas Dei duces certiores. (1) *Inflammavit Deus pectora piorum doctorum, ut neglectis omnibus periculis ac laboribus studerent*

*propagandæ ad exteros ecclesiæ Christi*, Qua laude sicut clarus circumfertur Mennas Alexandrinus præfectus circa annum Chr. 307. & multi ejus similes alii, sic apud Gothos eodem hoc nomine commendantur Eusebius Samosatenus, Theophylus, Ulphilas, Saba, & ambo Nicetæ, &c. de quibus infra. (2) *Fecit Deus milites cogi sub Constantino ex variis gentibus collectos.* Collegit copias ex redactis in potestatem *barbaris & Germanis & aliis Celticis nationibus, item ex Britannia collectis copiis*, scribit Zosimus l. 2. Facile ergo credere possumus in illis aliquos nostros fuisse, atq; sic saniora Dei consilia eosdem edoctos, cum mercede temporali spiritualem prædam in patriam ad suos reportasse: imo, constat Constantinum anno secundo imperii sui, *omnia babarorum genera circa fluvium Rhenum & Oceanum versus Occidentem incolentia, ausa sese movere, repressisse, & alia quibus vitam pacificam non posset persvadere, ab imperio prorsus exturbasse*, teste Euseb. lib. 1. cap. 19. In quibus credere possumus fuisse itidem martiales nostros Sveo-Gothos, quod cum illis æq; ac Sauromatis, ex Sozom. lib. 1: cap. 8. sciamus Constantinum anno Christi 318. percussisse fœdus. Fuerunt igitur tunc temporis nostris Gothis multi à qbus semina veræ religionis possent audire. (3) *Vertit Deus sub persecutionibus, multorum Christianorum fugam ad barbaros, quos mollivit, ut advenientes benigne exciperent*: unde factum ut *pro tutela vel hospitio, divinis iidem barbari* (SveoGothi) *donis bearentur*. Exscribam de hoc argumento verba Constantini in edicto apud Euseb. l. 2. c. 51. *Eo tempore* ait, *terra revera lacrymas effudit, mundus res universas suo complexu coërcens tabido cruore inquinatus fletum dedit: dies etiam ipsa præ lugubri prodigii calamitate obscurata est. Sed quid ista memorem? Barbari inde jam gloriantur, qui quidem eos, qui per idem tempus à nobis aufugerent, in tutelam receperunt: & licet illos tenuerint ut captivos, tamen humanissime tractarunt: nam non*

*solum in ea securitate collocarant, ut salutem, sed etiam ut religionis suæ instituta ac ritus retinere possent, &c.* Vides piis doctoribus divertentibus ad barbaros sub sævientibus procellis persecutionum, factum fuisse suæ religionis exercitium, ac per idem mollitos eorum hospites: Optima igitur nos de hujus seculi nostris popularibus posse sperare; quod credere fas sit superioribus annis complures supplices Christianos ad ipsorum tuguria confugisse. *Et tantum de nonnullis modis tam directis, quam indirectis, quibus religio vera hoc seculo quarto, ad nostros potuit propagari: adduntur mox certiores alii.*

# CAP. XV.

*Probat certis auctoribus hoc seculo quarto Gothos fuisse ad veram fidem conversos.*

Ante evictum est *generalibus argumentis*, in nostris hoc seculo fuisse Deo suos cultores: videndum nunc annon *specialiora ac magis propria argumenta* inveniantur, quæ idem docere possunt. Occasione bellorum & persecutionibs imperatorum, gentilium semper magnam factam fuisse ad fidem Christianam, accessionem, dum Christiani vel ducerentur captivi â barbaris, vel metu tormentorum illuc confugerent, non uno in loco est urgendum. Quod vero hoc seculo 4to Gothi per eandem occasionem Christo sese manciparunt, id testatur Sozom. lib. 2. cap. 5. hisce verbis: *Cum ad hunc modum per universum imperium Romanum se dilataret ecclesia, Christiana religio etiam ad ipsos barbaros pervasit: nam gentes circa Rhenum adcolentes fidei Christianæ se dediderant. Celtæ enim & populi Galliæ ultimi, qui proximi ad Oceanum habitant,* Gothi *etjam & gentes illis finitimæ, qui ad ripas Istri habitaverant, jam pridem fide Christi recepta, se ad cultum & humanitatem converterant.*

Causa

*Causa autem cur omnes fere barbari Christianam religionem amplecti cœperint, fuère bella variis temporibus (utpote regnante Gallieno & imperatoribus à quibus ei successum est) à Romanis & exteris hominibus administrata, &c.* hæc ad annum Christi 327 refert Bar. Ad annum v. Christi 344 cum inter se exacerbatis animis certarent Persæ & Romani, illi rege Sapore, & hi impp. Constantio, juliano ac joviano, scribit idem sic ex Cyrillo Jerusolymorum Episcopo: *Persæ &* Gothi *& omnes gentes testantur Christum, morientes pro illo, &c.* Vbi vides iterum integris literis nominari Gothos, ac utroq; testimonio recte eos dici conversos. imo, Gothos circa annum Christi 370 Christianorum Catholicorum cœtibus fuisse refertos, in suis provinciis monasteria habuisse ac in eis multos monachos aluisse, omnes sub inspectione certorum episcoporum pie viventes, testantur Oros. lib. 7. c. 7. Theodoret. lib. 4. c. ult. & Hieron. in Chro. Christianos ergo tunc dedit Gothia, ac in eis plerosq; suos Gothos, quod hoc capite gravissimorum auctorum testimoniis fuit narrandum, conf. seqq. Capp.

## CAP. XVI.

*Liberat nostram thesin propositam modo, ut & ante in variis locis sæpe motam, à suis exceptionibus gravioribus.*

I. *Obj. Si primum Gallieni & imperatorum ipsum insecutorum temporibus Gothi gentesq; aliæ inundarunt imperium Romanum doctoresq; veros abduxerunt, &c, uti modo vidimus ex Sozomeno:* sequitur temporibus ac seculis anterioribus, hic in Sveo Gothia nullam fuisse auditam religionem veram, nullum gustatum Evangelii fructum, &c. Rx. (1) Hæc Sozomeni verba *qua Evangelij proseminationem*, non sunt exclusive legenda: nam

nam longe ante Gallieni tempora vulgatam fuisse Evangelij famam per totum terrarum orbem, dictum est supra testibus Apostolo Paulo, *Irenæo*, *Justino Martyre*, *Tertulliano & aliis*, qui facile retundere possunt auctoritatem Sozomeni, si heic illa pro exclusiva ratione vehementius urgeatur. (2) Juvat igitur Sozomenũ recte intelligere. at is nihil scribit aliud quam *Gallieni temporibus & post, pios doctores per barbaros varios esse abductos*. Sicut igitur tunc multi religiosi abducebantur; sic ante propter persecutiones (taceo hac vice causas alias) alii sponte sæpius excurrerunt: vide constantini edictum supra p. 352 modo recitatum. Eratq; prioribus spontaneis nunciis non minor gratia data, quam his, qui nuncire cogebantur, & utrisq; divinum studium augendæ ecclesiæ Christi.

II. *Obj*: *Constantinus Magnus dicitur* (1) *fidei auctor & religionis fundator*, in veteri inscriptione quæ Emeritæ legitur in Hispania, conf. Ald. post Schol. in Comm. Cæs. ac vide Bar. ad annũ Christi 302. (2) Dicitur Constantinus *primus Christicola*, apud Theod. lib. 5. cap. 20. ut & in Paulini versibus apud Dungalum, vide Baron. ad annũ Christi 336. ℞. (1) Antoninus Heliogabalus fuit qui primus constituit Christianam devotionem in urbem Romanam transferre, ut est apud Lamprid. in ejus vita, & Christianis templa posuerunt Alexander ac Hadrianus, vide eundem Lamprid. in vita Alexandri: Item fuerunt duo Philippi Pater & Filius, Christiani ante Constantinum, vide Jornandem c. 16. At hi omnes seculo tertio vixerunt; non potest igitur illis qua hosce actus pios, præponi Constantinus, qui demum vixit post illos, seculo hocce sequẽti (2) Vulgo tamen dicitur ac creditur Constantinus *primus Christicola, ut & religionis veræ auctor* inter imperatores Romanos, quod præ omnibus alijs Christia-

nam rem is impense juvit ac promovit Nam Constantinus *&* inclinavit *totus* sequentibus annis in Christum, ubi Antoninus propendit totus in suum Elagabalum, & ubi Alexander æq; propendit in Apollonium, Abrahamum, Orpheum &c. atq; in ipsum Christum, uti testatur ibidem Lamprid. β. Sic celebratur laudibus Constantinus, quia ecclesiæ pacem restituit suo tempore perennem; & quia ecclesiam ipsam multis donis, immunitatibus ac privilegiis ornavit, nec non quia illam omnibus modis cum in imperio, tum ad exteros, veluti ad Iberos caucasæos, &c propagare studuit, vide ejus histor. alibi, ac cumprimis consule ejus disertissimum panegyristam, *Prædicatur itaq; Constantinus religionis & fidei auctor, non quod Christianæ pietatis posuisset fundamentum, sed potius quod ejus illustrator esset* atq; *mirificus propagator*, uti ad annum Christi 312 scribit Baronius.

III. *Obj. Frustra trahuntur ad nostros Gothos, quæ de exteris Gothis circumferuntur: & exteris Gothis conversis ad fidem Christi an statim conversi nostri domestici?* ℞ Non est molestum probare nostros cum Græcis hoc tempore communicasse: nam planum id ipsum est *partim ex legibus nostris visiGothicis tit. de hæreditatibus, partim ex inscriptionib⁹ lapidum Runicorum, quæ nostrorum in Græciam profectiones & commercia cum illis gentibus quondam exercita, memorant abunde*, uti scribit Claris. Verelius in notis ad Gaudrek Saga pag. 10, & ad Hervarar Saga pag. 5. & 11. Nec singuli SveoGothi magis sic excurrerunt ad Græcos, aut ad exteros suos populares, veluti Sterkoterus Helsingus, qui natus seculo Christi primo vixit secula fere 4 integra, & bis fuit in Britannia, semel in Russia, at ter contendit in Græciam, auctore Johanne Magno, & qui alij plures sigillatim excurrisse recitantur in monumentis lapideis pro Patriam nostrã etiamnum residuis, vide lapidem

Ubsal-

Ubsalensem & Botkyrkensem &c. sed & quandoq; illuc nostri universi bello indicto scribuntur convolasse, veluti cum Gothi Rege Angantyro ad **dilgiudaal och till dunherde**/ exirent pugnatum cum Hunnis, Herverar Sagu cap. 19. h. e. cum exirent ad Danubium usq; pugnatum cum Hunnis, jam indignantibus se â Svecis pulsos, insuper regni possessione mulctari, uti in notis ad Hervarar sagu c. 20. commentatur Verelius. Ex quibus omnibus liquidum evadit, nostros Gothos domesticos cum exteris illis tunc vixisse conjunctos, ac frequens inter utrosq; usurpatum commercium laborum ac studiorum. Quo evicto facile affirmare possumus de domesticis, quæ dicuntur de exteris; & credibile porro æq; domesticos incidisse in spiritualem prædam portantes, atq; in eosdem incidebant exteri, tot idem sub ferventibus persecutionum furoribus huc in Sveo-Gothiam ex sanctis convolasse, ubi possent longinquitate itineris sibi rectius consulere, quam qui in locis propinquioribus audebant ante subsistere.

# CAP. XVI.

*Adfert de Gothis exteris quædam particularia, spectantia eorum ecclesiam, prout illa extitit seculo hocce quarto.*

Gothos exteros fuisse catholicos hoc seculo quarto, dictum est modo auctoribus viris summis: nunc videndum quomodo in sua sancta fide iidem Chistiani sese gesserint.

I. *Constat monachismum h. e. sanctum & solitarium vivendi studium, susceptum ex voto aut per necessitatem, hoc seculo replevisse totum orbem; ac pariter in eundem statum hoc tempore consensisse nostrū Gothicum.* Scil, non tulêre tantum Gothi apud se vivere qui instar Eliæ â facie Achabi undiquaq; fugerant; sed

ceu benignos patronos decuit, illis domos ædificarunt. Videntur Monachi Gothiam ingressi circiter annum Christi 328 Sic canit Paulinus qui tunc vixit, in reditum S. Nicetæ ex borea revertentis. Versꝰ sunt: *Te patrem dicit plaga tota boreæ, ad tuos fatus Scytha mitigatur &c. ô vices rerum, bene versa fama!* &c. At sunt tamen eorum pleriq; ejecti circa annum Christi 370 per regem Gothorum Athanaricum, uti testatur Epiphan. hæres. 70. Ceterum quamdiu ibi morabantur, fuerunt eorum *monasteria tanquam tabernacula plena divinis choris Psallentium, legentium, orantium,* &c. uti loquitur Chysost. &c. Subsequentibus tamen annis factum est, ut non pauci eorum seducerentur per *Audæum* quendam senem, qui eos in anthropomorphitarum hæresin induxit, ac postea secum patria ejecit, inter quos ejectos præcipui fuerunt *Uranius & Sylvanus*, ambo in Asia facti postea Episcopi, ac cum illis fere tota secta mox extincta, conf. Epiph. dicta hæres. 70.

II. *Fuerũt Gothis nostris exteris hoc seculo celebres Episcopi*, utpote: *Theophilus, Eusebius Samosatenus, Ulphilas, Nicetas*, &c, &c. *Theophilus* vixit sub initium hujus seculi & nomine Gothorum in Synodo Nicœna, una cum cœteris orthodoxis condemnavit Arrium: vide Episcoporum subscriptionem. *Eusebius Samosatenus* collocavit multos labores in doctrina Apostolica divulganda; non tulit ergo ipsum Arrianus imperator Valens, sed ipsum in Thraciam ablegavit, ubi Eusebius ceu vigilans Christi minister alias ecclesias docuit, alias visitavit, idq; fecit habitu modo pastorali, modo militari, omnia ut res propter ecclesiæ bonum, eum verti jussit, conf. Theodoret. lib. 4. cap. 12: seq. *Ulphilas* transtulit sacra biblia in lingvam Gothicam, ac ut vir fuit eruditissimus, in lingvisq; exercitatissimus, sic minime dubium, quin ista sua translatione Gothis nobilissimũ thesaurum vulgaverit reliqueritq;. *Nicetas*

vero

vero vulgo deprædicatur h. t. Gothorum Apostolus magis quam Episcopus. Sic in reditum ejus canit S. Paulinus, dicens: *Te patrem dicit plaga tota boreæ, ad tuos fatus Scytha mitigatur, & sui discors te magistro pectora ponit. Et Gethæ currunt & uterq; Dacus qui colit terræ medio vel ille divitis multo bove pelliatus, accola ripæ* &c. & qui plures eorum Episcopi fuerunt.

III. *Quin & martyres non pauci fuerunt Gothis exteris hoc seculo Christi quarto*; h. e. invaluerunt h. t. eorum quidam sic in vera fide, ut nullis minis, nullis item pollicitationibus ab ejus observantia recederent: in exemplum præter varios monachos passim trucidatos & ejectos, sunto *Saba ac Nicetas*, de quibus in tabulis Eccles. Romanis, qui ambo egregii doctores sanguine cruciatibusq; veram doctrinam confirmantes, ostenderunt quod Γότθοι τὰ χριστιανῶν νόμιμα σεβόμενοι, περιεστέλλουσιν οὐδενὸς ἧσσον, uti habetur in discriptione Ponti Euxini, quæ desideratur apud Procop. lib. 4to belli Gothici.

Sicut jam Gothi exteri Christianorum legem colentes, eam adcurate tuebantur, ut modo ex Procopio dictum: sic minime ambigendum nostros domesticos itidem eam adcurate observasse. Communitas sangvinis, quotidianumq; commercium faciunt nobis hanc spem, quæ hic nos non fallit: nam (1) Si omnes occidentalis *borealisq;* orbis provinciæ una cum insulis admiserunt Deo disponente, hoc seculo Monachos, uti id ipsum videtur adfirmare Hieron. Epist. 3. ad Heliodorum, dum scribit: *Indus, Persa, Gothus, Ægyptius Philosophantur. Bessorum feritas & Pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, stridorem suum in dulce crucis melos fregerunt.* & quod expressis verbis de Borealibus affirmat Paulinus ut modo scriptum: sequitur profecto etiam nostros Sveo-Gothos tunc eos admisisse, prout nunc cœpimus narrare; conf. Baron. ad annū Christi 328 (2) Si

Christiani ubiq; locorum, Deo sic benignius providēte nunquã destituuntur suis curatoribus, qui ipsos exhortentur, consolentur &c, Matt. 28: Act. 10: 2. Cor. 1, sequitur nec nostros tunc domesticos Christianos suis Episcopis caruisse, qui circa curam animarum ipsos reficiebant ac pascebant. Et si tales aliunde advenientes nulli tunc adparuerunt, certe in vacantium cœtuum Christianorum curam involarunt præsentes eorum monachi; nam constat hoc seculo monachos moribus ac peritia Theologica excellentes, non modo variis ecclesiis â piis Episcopis esse præfectos, ut quoq; Jornandes ex Monacho factus est Gothorum Episcopus: sed & in defectu Episcoporũ ecclesiis suam operam ipsos sponte obtulisse, suaq; sic instituta monastica cum officiis ecclesiasticis aut commutasse aut conjunxisse, vide Ambros. ad Euseb. Episc. Vercellensem lib. 10. Epist. 82. nec non Athanasium Epist. ad Dracontium. Ex quibus evictis affirmare audemus etam heic locorum fuisse Christo suos veros cultores, ac in eis quosdam largiente Spiritus gratia, sic inflammatos, ut instar Sabæ ac Nicetæ apud exteros, pro Christi gloria trucidari non recusarent.

## CAP. XVII.

*Inquirit in exterorum Gothorum fidem, & narrat quamdiu illi eam sanctam, incorruptamq; habuerint.*

Constat auctoribus gravissimis, utpote Hieronymo in Chronico, Augustino de C. D. lib. 18: c. 52. Orosio lib. 7. cap. 7. & Epiphan. hæres. 70. Athanaricum regem Gothorum Christianos tam monachos quam alios, in gente sua crudelissime persecutum, eorum alios ob fidem interfectos ad coronam martyrii sublimasse, & cœteros in Romanum solum aut alio abegisse: Sic autem credunt multi eum fecisse, quod

inse-

infectos Arriana hæresi suos subditos non posset diutius tolerare, aut quod ipse prorsus gentilis nollet eorum nomen amplius audire; Et fere sic rem hanc narrant Socrates lib. 4. cap. 27. nec non Sozom, lib. 6. cap. 37. Sed sciendum hanc eorum narrationem sibi non constare, & ob aliam causam, quam ob religionis errorem, Athanaricum in suos sævisse. Trahebantur in diversa studia reges Gothorum Athanaricus ac Phritigernes, cumq; hic succumberet, Valentis imperatoris Arriani societate ultro oblata, se ipsum refecit, pacto fœdere, si semet juvaret adversus suum popularem Athanaricum fore ut in ejus Arrianam sectam quam tantum verbis â sua opinabatur discrepare, cum omnibus suis subditis is statim descenderet, quod & factum est. Id indigne tulit Athanaricus, ac quia in fide Christiana parum fuit confirmatus; in suos igitur vere Christianos cœpit sævire, ac si fidei professione illi Valentem adversus se armassent ac porro juvissent, uti habent iidem historici Socrates & Sozomenus Et hæc vera fuit causa persecutionis hujus Gothicæ. Unde liquet (1) in hoc usq; belli tempus, quod incidit in annum Christi 370, conversos Gothos vere Christianos extitisse, sicut quoq; non tantum nullius defectus ante hunc diem arguuntur ab Epiphanio, qui hoc tempore vixit, sed & expressis verbis in hoc usq; tempus catholici vixisse scribuntur ab Augustino lib. 18. de C. D, nec non â Theodoreto lib. 4. c. ult. (2) Liquet inde partem tantum Gothorum nimirum subditos saltem Phritigernis, in Arrianam fidem idq; ex pacto Valentis, concessisse; & cœteros non item (3) Docent hæc eadem persecutione hac Gothica nihil vexatos Arrianos; qui vixerunt sub imperio Phritigernis, cui Athanaricus jam fuit inferior; Sed consequenter (4) vel solos probos fideles sub Athanarico tunc exagitatos, vel iis saltem

admix-

admixtos paucos pravos, utpote quibus arrisit popularium vel fraus Audiana, vel perfidia Arriana.

*Duo hic dicis*: I. *an cum gloria civili voluerunt Gothi Phritigerniani commutare suam pietatem*? *&* II. *annô Ulphilas Gothorum Pseudo Apostolus*? Joh. Magn. lib. 15: c. 1. de hisce sic disserit: WestroGothi ab OstroGothis jam per Hunnos auctis diversi, ut suæ libertati consulerent, *missa legatione ad Valentem imperatorem*, *&c. postularunt ut trans Danubium Thraciam, Mæsiamq; habitare permitterentur*, *&c. & ut illis fides major esset, promisêre Christi religionem accipere, si doctores quorum lingvam intelligerent, ad eos imperator mittere vellet*, *&c.* Permissi transire &c. accepere *Arrianæ hæresis Episcopos & doctores, non sine maximo Christianæ reip. & Romani imperij detrimento. Inde enim infinitus fidelium numerus enecatus crudeliter, plurimi pontifices in exilium missi, & quod omnia exuperat incommoda, etiam innumerabiles animæ perierunt. Serpsitq; hoc perniciosum dogma in omnem Gothicam nationem. Enimvero WestroGothi non tam Christiani quam Arriani effecti Ostro-Gothos & Gepidas congentiles suos fermento quod exuxerant corruperunt, idq; per Ulphilam suæ gentis Episcopum, quem etsi credebant esse verum Christi Apostolum; erat tamen sub pelle ovina veræ fidei hostis & indubitatus AntiChristus. Hic ut suam insignem impietatem stabiliret, primum omnium divinarum literarum sacratissimum thesaurum in Gothicam lingvam transfudit, immixto quod imbiberat, veneno*, *&c. per quem & ejus sequaces in gente Gothica pessimum seminarium citius quam salutiferum late germinabat, perveniens usq; ad Vandalorum latissimam nationem, quæ & ipsa in Arrianam perfidiam collapsa, catholios severissime tam in Hispania quam Africa persequebatur*; hactenus Joh. Gothus. In cujus discursu nos non minora improbamus, quam adprobamus. Quia (1) Non tam VestroGothi subsidiū petierunt à Valente, quam Valens ab ipsis, uti docet Theodoretus l. 4. estq;

(2) id

id factum aliquot annis postquam illos bello pertentasset, uti doces Ammianus lib. 27. Falsum igitur quod illi cupiebant immitti in Thraciam, quod armis eam jam tum occupassent, nec inde per Valentem possent expelli. (2) Etsi verum est legatos Phritigernis de religione egisse cum Valente; non tamen illico putandum recepisse illos tunc se velle Christi religionem accipere, quippe quam jam pridem accepissent, ut hactenus dictum est auctoribus pluribus quam sexcentis; (3) Neq; est ipsis Ulphilas doctor missus â Valente, uti scribit Johanes, sed hic Ulphilas fuit, qui nomine eorum legatum egit ad Valentem, uti habet Sozomenus, & res ipsa loquitur: Certe linguæ Gothicæ peritum magis convenit ex Gothis credere egressum, quam ad illos putare aliunde immissum &c. & â Justiniano temporibus post acceperunt Gothi ex suo voto sacerdotem, non autem nunc â Valente. Credendum itaq; ut paucis rem complectar, *factos istos Gothos Arrianos, non per stipulationem aliquam nec per insidias subornati Ulphilæ, falsi doctoris: sed ex occasione* fœderis, quod imprudentes pepigerunt cum Valente, amicitiam eorum ambiente, ac per Eudoxium illis persvadente, inter se Arrianos & catholicos non nisi verbalem controversiam motam, uti habet Oros. lib. 7. & Theodoret. lib. 4. cap. ult. Atq; hinc factum, ut ipsi postea ignorarent, Arrianam nè secuti essent perfidiam, an aliquam aliam. εἴτε δὲ τῆς ἀρείου δόξης ἐγένοντο ποτε οἱ Γότθοι οὗτοι, ὥσπερ τὰ ἄλλα Γοτθικὰ ἔθνη, εἴτε καὶ ἄλλο τι ἀμφὶ τῇ δόξῃ αὐτοῖς ἤσκητο, οὐκ ἔχω εἰπεῖν, ἐπεὶ οὐδὲ αὐτοὶ ἴσασιν, scribit Procop. loco paulo ante citato. *Ulphilam igitur, ut quoq; ad alterum respondeatur, non tam malignum fuisse, ut eum depingit Johannes; sed statuendum potius simplicem virum fuisse, & qui etjam sub maximis literis â cœtu Arrianorum non novit suos servare.* Facteor Arrianismum ista occasione ac ex eo Vestro-Go-

thos populosq́, multos alios inundasse; sed an statim illum intendit paciscens tum Gothorum nomine Ulphilas? aliter dicere possumus & quoq; debemus, quamdiu (ut mihi hactenus factum) fermentum aliquod notabile non vidimus in ejus versione. Neq; Deo laus sic inundavit tunc Arrianismus, ut illico occuparet omnes orbis terrarum provincias. Nulla inveniuntur hodie rudera ejus in provinciis nostris Sveo-Gothicis; sperare igitur possumus eum nec huc unquam fuisse delatum, sed fidei sanctitatem Deum in suis hic servasse incorruptam, aut quoq; eandem intendisse per ejectos ab Athanarico pios præsules ac doctores: Ferbuit ut constat, ejus persecutio per triennium, & quamquam *ejectorum plurimi tunc fugerunt in Romanorum solum, non trepidi velut ad hostes, sed certi quod ad fratres*, ut habet Orosius: credere tamen possumus non pauciores sangvine comitatuq́; domesticorum invitatos huc in Sveo-Gothiam divertisse, ac requiem suis malis invenisse.

## CAP. XVIII.

*Inquirit in Gothorum exterorum studia Philosophica, & iisdem recensitis disquirit, annon similibus studiis nostri domestici excelluerint?*

Ante dictum est ex jornandis c. v. statim post fata Pythagoræ, Gothos habuisse præceptorem *Samolxem*, virum eruditionis miræ ac raræ, postea *Zeutam* quendam itidem insigniter eruditum, forsan Seuthen Thracum regem, amicum Atheniensium, quem Ephicrates regno restituit, uti habetur in ejus vita apud Cornel. Nepot. Inde *Dicenæum* habuerunt circa tempora Syllæ & Marii, tum *Comosicum*, ac postea infinitos eruditos alios conf. pag. 358. seqq: nam non defuisse ipsis, *qui eos sapientiam docerent*, testatur expresse jornand. cap. eodem 5to Quid tamen horum singuli præstitissent, difficile est indicare; nec

re; nec fortassis facilius affirmare quod Gothi dependerint sine interrupto tenore ab ore antistitis prioris, donec exurgeret alius. Quid Dicenæus præstitit ipsis consiliarius datus, juvat exscribere ex ejusdem Jornandis c. 11: ubi is pro suo captu in hunc modum loquitur: Dicenæus *cernens eorum animos sibi in omnibus obedire, & naturale eos habere ingenium, omnem pene Philosophiam eos extruxit. erat enim hujus rei magister. Nam Ethicam eos erudivit, ut barbaricos mores ab eis compesceret. Physicam tradens, naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas usquam nunc conscriptas bellagines nuncupant. Logicam instruens, eos rationis supra cæteras gentes fecit expertes. Practicen ostendens, in bonis actibus conversari suasit. Theoricen demonstrans, signorum 12 & per ea planetarum cursus, omnemq; astronomiam contemplari edocuit, & quomodo lunaris orbis augmentum sustinet, aut patitur detrimentum, edixit. solisq; globus igneus quantum terrarum orbem in mensura excedat, ostendit, aut quibus nominibus aut signis in cæli polo vergentes aut revergentes 344. stellæ ab ortu in occasum præcipites ruant, exposuit. Qualis erat, rogo, voluntas, ut viri fortissimi quando ab armis quatriduum usq; vacassent, doctrinis Philosophicis imbuebantur. Videres unum cæli positionem, alium herbarum frugumq; naturas explorare, istum lunæ commoda incommodaq;, illum solis laborem attendere, & quomodo rotatu cæli raptus retro reduci ad partem occiduam, qui ad orientalem plagam ire festinarit, ratione accepta quiescere*, &c. Ut jam in plerisq; Philosophiæ partibus illos exercuit suo tempore Dicenæus, sic similem operam eis postea locavit in Philosophia Comosicus, qui Dicenæo *solertia non erat impar*, ut loquitur ibid. Jornandes. Factum igitur cum eorum opera, tum aliorum, qui post venerunt, *ut pene omnibus barbaris Gothi semper sapientiores extiterint, Græcisq; pene consimiles*, uti ex Dione scribit Jornandes cap. 5. to sæpius citato; h. e. contigit, ut præceptorum suorum omni-

um opera *Philosopharentur*, (ac sine dubio excellenter) uti paulo ante scripsimus ex Hieron. Epist. 3. ad Heliodorum, vide supra cap. 16. Boni ergo Christiani, nec non præclari Philosophici extiterunt tunc Gothi exteri: Unde possumus sperare propter nominis communitatem, quotidianumq; inter utrosq; familiare commerciũ, in iisdem versatos fuisse nostros domesticos, ac forsan quoq; excelluisse. Imò, sicut constat Sacrorũ bibliorum Ulphilæ versionẽ statim huc esse deportatã, & literis quoq; aureis quoad quædam puncta exscriptam, uti de quodam exemplari scribit Petrus Undalensis, quod seculis aliquot post affirmat fuisse in Islandia repertum, vide descript. Norveg. c. 33. p. mihi 168. Sic minime dubitandum quin nostri in divinarum humanarumq; rerum scientia tunc fuissent exercitati: erudit quippe animum in utroquè studii genere sedula bibliorum lectio; nec ulli creduntur talis lectionis amantiores, quam qui ejusdem normam quoad quædam puncta aureis literis conati sunt cum multo labore magnisquè sumptibus servare sanctam.

# CAP. XIX.

*Probat manifestis documentis nostros domesticos Sveo-Gothos, tunc temporis fuisse bonos Christianos ac Philosophos.*

Antiquorum nostrorum plerosq; parum vacasse scribendis historiis ob rei militaris cultum, & cœteris qui huic studio indulserunt, derogatam fidem ob rerum narratarum magnitudinem apud similium ignaros, notum est indiciis apud Antiquitatẽ haud obscuris, conf. Wormii præfat. in Snorronem: Unde factum, ut suarum rerum historias nostri veteres habere neq; possent, neq; vellent: Et qui exterorum scribere de nostris voluerunt, ea tantum de istis attigerunt, quæ ipsis fuerunt cognita, quæquè bellorum injuriis læsi

pro-

producere sustinuerunt. Rara igitur antiquissimarum nostrarum rerum historia, ac vix in punctis quibusq; centesimis notata, nostris ob metum falsi uti dictum, illam scribere indignantibus, & cœteris ob odium dicam in injuriam, memoria fermè omni eam dedignantibus. Egit tamen altior vis omnia gubernans, nè prorsus careremus omni in rebus antiquis notitia: & ita aliqua memorabilia consignata ac ad nos posteros transmissa; per quæ ceu rudera intelligere possumus, qui, quales, quantiq; fuissent, de quorum nomine ac sangvine nunc gloriamur ac lætamur. Scil: etsi interierunt jam pridem vetustissimi gentis nostræ scriptores, utpote Dexippus, Dion, Priscus aliiq;, idq; non sine magno rei literaturæ malo, uti scribit Vulcanius in sua ad jornandē dedicatione: Et quāquā porro monetæ vetustissimæ, item olim latæ leges ac literæ scriptæ nec non fictæ quondā cantilenæ, quæq; alia vetustatis ornamenta mobilia dives Svecia ante habuit plurima, jam sint majorē partē aut Italorum invidia aut Danorum fraude sub certis occasionibus ut ait Joh. Gothus, nobis nimium credulis subducta, aut deniq; per se naturæ ruinis jam jaceāt sepulta. Tumuli certe demortuorum in suis collibus, depicti item ac magno labore excavati Lapides Runici, sunt qui jam gregiam vetustatis apud nos paginam faciunt; superstites, aut quod auferri non possent, aut quod â ruinis eos utcunq; servavit hactenus solidior eorum constitutio. Erit de *Collibus* dicendi locus alibi: Et hac vice inspiciemus saltem quomodo præsenti instituto nostro inserviūt *lapides Runici*, qui multi variiq; per patriam visuntur, ac fere quotidie plures aut ex ruderib effodiūtur, aut alias inter deambulandum, feliciter notantur.

*De lapidibus ergo nostris Runicis observa hæcce sequentia*:

## I. Qua rationem nominalem.

Dicuntur lapides non juxta vocis rationem specialem

prout illi plerumq; solent cautibus, petris ac rupibus contradistingui: quia hi nostri Runici tot ferè cautibus ac immobilibus petris inveniuntur inscripti, quot alioquin in mobilibus saxis leguntur incisi, uti docet αὐτοψία. Runici vero dicuntur iidem, quod literis Gothorum antiquis, dictis Runicis, sint exsculpti: quod addo propter rudiores, qui nesciunt distingvere inter Runas historicas, quæ multæ in Cantilenis ac præsertim hic locorum, uti dicunt, etiamnum circumferuntur; & inter improbas alias, acceptas â dæmone aliquo, propter absentium notitiam, aut in proximi damnũ & quod quoq; addo propter eos, qui nunquam credere volunt â stylo aut idiomate dici nostros lapides; omnia quod falso sibi ante persvasissent, nihil aliud in eis tradi, quam artem quorundam improbam. His posterioribus ego precor saniorem mentem, & illis prioribus doctiorem, ne minis civilibus ecclesiasticisve quosvis cantantes territando, pulcherrimam servandarum genealogiarum ac historiarum antiquam rationem, metu artis improbæ, imprudentes extingvant.

Hi lapides Runici quot sint ( de eorum antiquitate agetur infra) per totam patriam, difficile est novisse. Amplissimus Buræus qui ex recentioribus studio cognoscendorum eorum feliciter invigilavit, postquam literas Runicas aliquot seculorum socordia damnatas, modernis Musis utcunq; adjunxisset, plures quam 48. lapides sagaci industria investigavit, quos probè exscriptos postea typis vulgavit, ut quibus non vacaret loca eorum adire, quod & molestissimum foret, cum sparsim in variis provinciis reperiantur: eis tamen paucis paginis versis, sub iconibus singulorum videndorum esset copia. Ex eo sunt semper plures inventi fere singulis annis, speratq; S R. M.tas diversis suis clementibus literis,

nuper

nuper datis ad provinciarum Gubernatores ac Episcopos, ut etiamnum plures luci notitiæquè nostræ restituantur, si in fundandis ædificiis, atq; inter deambulandum per agros ac lucos, attentos oculos circumferamus.


Loca ergo horum lapidũ communia, in quib. hactenꝰ notati visuntur, dant tantum Svecia ac Gothia: nam exceptis Dania ac Norvegia ubi itidem multi legũtur, neq; hic in Fenlandia, neq; in provinciis adjectis alijs, quod mihi constat, ulli repeńuntur. Propria vero eorum loca, possunt fere pro conditione ipsorum lapidum, dividi in sacra & profana: nam sic visum fuit piis majoribus nostris, qui vixerunt sub evangelij continuati periodum publicam ac universalem in patria, ut quos mobiles plaustrisq; aptos invenissent, eos templorum aut cœmiteriorum suorum muris inferrent: cœteros a. paterentur sub dio esse: Possunt igitur nostri lapides minores â loco dici sacri, & majores profani; quamquam si horum usum spectes, cum testes sint virtutis, ac insuper monumenta demortuorum, etiam hi sua ratione sacri dici possint. Proceditquè sic hæc observatio, ut fere non plures reperiantur ex minoribus suis primis locis inhærentes, quam quos veteres aut propter adclivia loca non potuerunt transferre, aut quos propter tumulata ibi corpora, de locis suis movere nollent.


Nomina propria ac distincta hi nostri lapides non habent; saltem a suis locis suavè mole denominationem illi accipiunt. Inter eos qui â Buræo notati sunt (1)mus est Upsaliensis sub templi columna. (2)dus Löstensis in Bälinge. (3)tius Falebroensis. (4)tus Hillesiöensis in rupe. (5)tus Råstadensis in paræcia Sponga. (6)tus Holbergensis in Daalby. (7)mus Råstadensis in Spång. (8) Salaensis in muro cœmiterij. (9) Askensis in Waßunda. (10) Waßundensis. (11) Rupes Skånilensis ad molam. (12) Stabyensis in cœmiterii muro. (13) Sundbyens-

byensis in Fundbo. (14) Spångensis (15) Norbyensis Petra in Paroecia Rusticorum ad Upsala. (16) Hargensis. (17) Selångerensis. (18) Niurundensis. (19) Jersiönsis in villa pastoricia apud Helsingos. (20) Hökchusoensis. (21) Stabyensis. (22) Fundboensis in templi pavimento. (23) Äkerbyensis. (24) Wiålsätrensis / (25) Lodebyensis. (26) Ballingstadensis. (27) Enebergensis in Fröszlunda. (28) Råbyensis in Hätuna. (29) Hätunensis. (30) Granensis (31) Alsikensis. (32) Lapis inter Edby & Örby. (33) Skråmstadensis in Waszunda/ (34) Smedbyensis in Waszunda. (35) Steningensis. (36) Bristaensis in Norsunda. (37) Hamarbyensis in Wikensi prato. (38) Elfborgensis. (39) Skipsäensis in Ost-Gothia.(40) Lapis mirabilis forsan propheticus (41) duo Botkyrckenses. (42) Forsensis templi annulus in Helsingia.(43) Holmensis ad flumen.(44) Rogstadensis in Helsingia. (45) Ramsiöensis in Hwittinge Uplandorum.(46) Rökensis in muro coemiterii. (47) Witsamnensis in Wallersta Ost-Gothorum.(48) Tunensis in Helsingia: Et hi omnes sunt typis exsculpti cura b Buræi. ejusq; positu nunc recensiti, forsan juxta ordinem,quo illi lapides hi innotuerunt & non secundū ordinem eum quem provinciæ singulæ aliæ post alias, facere possunt. Illis v. nunc alij lapides adjiciūtur,utpote Sparlösensis in West-Gothia, & Slakensis ac Jernstadensis in Ostro-Gothia nec non Furestadensis in Smolandorum Wesbo/ & qui plures nominari possunt, ab antiquitatisq; Collegio verè brevi ut spero,nominantur ac indigitātur. *& tantū de ratione nominali.*

## II. *De lapidibus Runicis attendis ad hæcce seqventia* circa eorum rationem realem.

Quam vellem hic singulorum lapidum effigiem ac scripturam quisquis es, oculis tuis haberes subjectam, non tam nè onere scribendi lever; quam ut te teste seqventia hæcce mea, ut vera sunt, pro veris habeantur: ac nè tuo testimo-






## 4. Hillesiö strandhäll.


Ad pag. 370.



5. Råstadh i Sponga Sochn.




E. Roberga i Dahlby.



7. Råstadh j Spång Sochn.







Jerfzö Siö Prästegård i Hesingland. 






26. Ballingstadh.



28. Råby i Håtuna.




29. Håtunå.






Hasce icones sculpsit, & pro suo arbitrio ex 48. Bureanis electas adposuit Respondens Jacob. Ljbeck.



Lapis mirabilis.



Characteres sunt detriti.

ſtimonio eadem deſtituta pro ſemiveris, aut forſan incommodis, apud te traduci cogantur. Aſt cum illud hac vice haberi non poſſit; rem ut eſt, bona fide exponere adnitar, certus quod ut ipſe non conſtitui ſciens quicquam in hiſtoriæ fraudem adferre; ſic ſi quæ adferantur per infirmitatem minꝰ certa, fore ut tuo experimẽto eadem facile corrigantur; cum ſui lectione falſa dicentẽ lapides ipſi queant corrigere ac refellere. Ergo lapidum Runicorum, quorum icones hic eſſent inſerendæ, hæc eſt ratio, quantum ego intelligo hujus mei inſtituti eſſe, ut in eis notentur. *I. Serpentes. II. Sententiæ ſerpentum corporibus inſcriptæ. III. Ipſorum circulis inſcriptæ cruces. IV. Adpoſita ſæpius varia animalia; V. In quibusdam expreſſi viri, cum campona corona; &c.*

I. *De Serpentibus.* not. ſeqq. (1) Poſſunt ſerpentes naturales in multos varioſq; gyros ſe circumagere: & pariter non uno modo expreſſi videntur ſerpentes, qui in lapidibus noſtris Runicis multi viſuntur. Alii ſunt aliis circulatiores, ac in multis pauci admodum cæteris ſimiles: pleriq; vero eo artificio notati, ut ego meiq; ſimiles alii eorum pulchritudinem magis admirandam, quàm vulgo imitandam aut ſtylo delineandam credamus. (2) Ne tamen prorſus naturales eos putaremus, ecce pleroſq; depictos aliquo adpoſito attenuato aut detracto membro deformarũt noſtri antiqui. Caput aliquibus dederunt oblongũ, aliis prominentes aures aut adpenſas ſetas. multos pinxerunt cum ungulatis pedibus, nec pauci ſunt, quos aculeata cauda privarunt, ut quoquè multos in longum diffiderunt, &c. In quibus omnibus aliquo modo qua naturalium ſerpentum indolem, viciatis, ut viſum fuit majoribus noſtris ſua epitaphia ponere, ſic in pleriſq; locis illam ſedulita-

temadhibuerunt, ut pauca omnino epitaphia invenias, quæ non ſerpentibus ſint inſcripta. (3) Sunt tamen multi ſerpentes in monumentis, in quibus nihil leges inſcriptum; ſed hi qua picturam, ſunt minores: igitur diſtingvendum eſt inter ſerpentes in monumentis, majores ac minores. Soli majores in monumentis, ſunt qui ſcripturæ dant baſin ac codicem: & minores qui in plerisquè iconibus plures inveniuntur, ſunt tantum adpoſiti, aut ornatus cauſa, aut deniquè ob cauſam aliquam aliam. (4) Nequè eſt hic præter eundū obſervare, in deſcriptis â Buræo lapidibus Runicis (cæteros ego non vidi, unde nec illos hic in explum ſiſto) quo modo non in plerisq; ſolum, ſed fere in ſingulis adſint depicti ſerpentes, ut pene non ſint alia monumenta, quam quæ ſunt ſerpentibus notata, ac conſeqventer quomodo fere omnia veterum ſepulchralia ſint ſerpentibus inſerta. Buræus producit 48 monumenta, in quibus omnibus loco codicis ſic regnant ſerpentes, ut tantum ſex ſint, nimirum monumentum 22. 38. 39. 42. 46. & 47. in quibus illi non adpareant exſculpti. idq; ut conjicio, quod moleſtia an tædium dicam, excavandi ſerpentis in re manifeſta dehinc auctores vinceret, aut deniquè quod monumenta ipſa ſerpentum parum eſſent capacia, utpote monumentum 22. i.e. Fundboenſe poſitum in gladio, cruce ac columna. 38. h.e. Elfborgenſe in leone ac cruce. 39 ſeu Skipſäſenſe in templi pariete. 41mum in tumulo Bootkyrckenſi, ac ſequens in annulo templi Forſenſis. 46tum in depicto muro, ac 47 notatum in magna crucis area quadrata. (5) Id autem notatu digniſſimum eſt in hiſce noſtris lapidibus Runicis, ut quot ibi leguntur humati homines, tot quoquè inveniantur exſculpti ſerpentes majores, ut recte ab externa facie, quæ numerum ſerpentum prodit, audeamus ſtatim dicere numerum ſepultorum. nimirum

rum si tantùm unus serpens est, sive totus is fuerit sive fiss9 (sub quo schemate multi reperiuntur, nec tamen plus valent singuli, quam unus integer) jam tantum unus homo ibi humatus, & contra si picti plures serpentes; jam conditi ibi plures homines. Vis expla: Unus serpens notatur pictus in monumentis 1. 5. 6. 12. 15. 17. 20. 21. 24. 25. 29. 30. 32. 33. 42. 43. & tantum unus quoquè homo sub iisdem singulis legitur sepultus. Duo serpentes adparent in lapidib. 4. 7. 8. 10. 11. 14. 27. & tot quoquè ac non plures, ibidem leguntur sepulti. Proceditq; sic hæc observatio, nisi me lectio nimium fallit, ut pauci tantum sint lapides qui contrarium doceant, utpote numerus mihi incertus in monumento 13: unus vir sed duo serpentes in monumentis 2 ac 28. & contra plures personæ sub uno serpente, lapidibus 19. 23. & 34. Quod cur sit factum rationes non contemnendæ addi possunt: ego tamen meas hac vice dissimulabo, expectans quid de iisdem lapidibus aut eorum similibus aliis censeant eruditi, de ipsa observatione per me nunc facti certiores.

II. *De sententiis inscriptis hisce serpentibus, ac paucis quibusdam monumentis Runicis aliis traditis à Buræo*, pauca tantum habeo dicere à me observata (1) Lapis 38 in Leone caret in totum characterib. (2) Cognosci non possunt seqventes, quamquam characteribus sint aut olim fuerint ornati. 1.mus ob sui partem magnam, templi columnæ subjectam. 4tus ob lateris sui rupturam. 6. ob fracturam verticis. 12mus alter ob situ obfuscatas literas. 42. 45. & 48. ob suas vetustate penitus confectas literas: nam in illis de justis characteribus vix tantum est residui, quantum quis demptis vocalibus ac consonantibus, de hebræa lingva per solas accentuationes habere posset. Hisce exesis vetustate addere cogor monumentum 42. in annulo Forsensi ubi frater meus N. Bång h. t. est Pastor, &

46 in muro Rökensi, illud quod exinde nullum commodum sensum elicere queam, & hoc, quod crudioribus literis sit exsculptum (3) Legi vero deinde possunt monumenta cœtera, sed neq; eo magis singula sensum commodum subdunt, aut quod olim â scriptore non sint recte exarata, aut quod postea non sint bene typis expressa. (4) Ea monumenta inter Buræi 48. quæ sensum præ se ferunt, sunt pleraquè historica, memorantia â quibus illa sunt posita, ut & quibus defunctis. Unum nifallor, idq; in ordine 4.tum, loquitur de hæreditate, jam ante facta mentione demortuorum. Ad lapsus considerationem expresse remittit tantùm nos lapis 47. (5) Sequentes autem lapides historiis subnectunt vota pro defunctorum animabus. utpote lapis 12. 26. 27.28.& 36. dicentes: **Gud hielpi sel aut ont hāna aut hons.** Christi vero expressam mentionem subjiciunt in votis suis 4 sequentes. 21mus dicit, **Krist hielpi siel Emgels.** 32 **Gud hielbi ant hans for Kristi.** 33. **Gud hielpi at hans auh alum Kristnum.** 39 **til nade allom Kristnom.** (6) Solus vero lapis 40 videtur magis propheticus esse, quam historicus; nam ut propheticus circumfertur ille **grōndōl**ensis, ab Amp. M. Laurentio Andreæ regni ArchiEpo olim exscriptus, ac postea in cantilenam solēnem redactus, sic ejus similis nisi me omnia fallunt, est noster hic 40: utrumquè autem ego prætereo, & **grōndalen**sem quidem, quod hisce meis 48 non sit â Buræo adjectus, & hunc nostrum 40, quod illum parum intelligam. Restituant ejus ac aliorum lapidum lectionem, qui huic studio sunt dediti, nobisquè porro explicent quæ hactenus passim fuerant minus obvia. Sed ego in hisce meis pergam.

III. *Membrum in lapidibus monumentisq; nostris Runicis expendendum, faciunt cruces, quæ notantur adjectæ in eorum iconibus plerisq;* (1) *Legũtur tales cruces in* 35 lapidib9 sequentib9: 2.12.13.14. 15. 16.

15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 40. 42. 43. 44. 45. 47. 48. & haberent forsan eas lapides cœteri omnes, nisi aut sua indole eas exclusissent, aut sub clara luce artis auctores illas neglexissent. (2) Qua situm sunt cruces pleræq; ad superiorem serpentum aliquem gyrum scriptæ. aliquæ etiam supra serpentes ipsos pictæ; imo, multæ sunt quæ imminent serpentum capitibus, & quod mireris, non pauciores, quæ suâ basi gravant onerantq; ipsos serpentes, veluti vides factum in lapidibus 20. 23. 28. 29. 30. 34 35. 36. 37. 40. 45. (3) Sunt etiam cruces, quæ per se absolvunt monumentum, idq; vel in quadrata area uti fit lapide 47. vel in circulo, uti fit lapide 38: &c.

IV. *Notanda veniunt animalia quæ in quibusdam lapidibus ad scripta inveniuntur*, veluti factum est lapidibus: 8. 14. 20. 25. 26. 38. 41. & 44. Hæc quæ sint qua speciem, dicant qui artem pictoriam probè callent, ut & quid singula portendant, interpretentur qui in antiquis vere sapiunt. Mihi hoc loco suffecerit indicasse, occurrere eadem tam in lapidibus cruce carentibus, vide 8. & 38. quam in aliis eadem ornatis, veluti fit lapidibus: 14. 20. 25. 26. & 44.

V. *Notandum quod quoq; in duobus lapidibus adpositi legantur homines*. Lapide 16 super sepulcro stat quidam tunicatus, capiti suo habens imminentem coronam, illi adstat quidam alius pulsans campanam, qui ambo agunt sub cruce in altum benè erecta. Lapide 45. stant super summitatem crucis magnæ tres viri, quorum intermedius videtur evaginatum gladium manu tenere, qui â dextera ejus est, jaculatori in gestibus non dissimilis est: sinister v. jacet totus prostratus &c: Atquè hæc fere fuerunt quæ de monumentis nostris Runicis benevole lector, ego tibi propter iconum defectum narrare debui, respiciens ad meum ut dixi, institutum; imo, quæ

etiam iis ostensis, narrare volui, partim ut obvios passim per patriam lapides eorumve icones felicius cognosceres, partim ut sequentia mea circa adplicationem, rectius intelligeres: nam in hisce antiquis tabulis ego multum sapientiæ credo reconditum, nec puto quicquam à majoribus in iisdem relictum, quod non ad altioria nos ducat, inq; iisdem cognoscendis nos magnopere juvet. Et tantum de lapidum descriptione. Sequitur nunc ipsorum monumentorum mea qualiscunq;

## I. EXPLICATIO.

I. Potuissent nostri antiqui in suis epitaphiis Runicis, aut cum Chinensib. scribere deorsum, aut cum Hebræis sinistrorsum, aut deniq; cum populis aliis, suaq; in cœteris recepta consvetudine, dexterorsum: at hic modus eis displicuit in hoc argumento, & (1) in circularem rationem, eamquè schematis serpentini, illi hic toti propenderunt, idquè non aliam ob causam, quam ut per eandem sui lapsus subinde recordarentur. (2) Fieri vero potuit ut non quivis hanc schematis interpretationem assequeretur, quod non omnes simus æqualibus donis beati: Ergo nè quis opinaretur naturalem serpentem solum ibi intelligi, voluerunt iidem suum depictum aliquo luxuriante aut decurtato membro exprimere; & qui sic commonefaceret per obsessum â diabolo serpentem ipsos esse seductos: vicium igitur illi additum sæpius non per alias notas expresserunt, quam per inusitati animalis pedes ungulatos, prorsusquè eos, quibus etiamnum utuntur, qui vanis terriculamentis infantes in Norlandia volunt circumvenire, deceptos persuasionibus ante, ac si his solis pedibus & non aliis, diabolus in assumpta forma Physica,

ſica nunc ac ſemper adpareat. (3) Quod vero tot ſerpentes majores Characteribus ſubjectos, noſtri pinxerunt in quolibet monumento, quot ſub eodem ante homines ſepelivíſſent; & contra quod non plures quam homines humaſſent, ubiq; locorum ſerpentes notarent, id ego interpretor non aliam ob cauſam factum, quam ut innuerent quemlibet demortuum noviſſe ſuæ mortis cauſam fuiſſe obſeſſum ſerpentem: adeoquè ſicut ex propheta Habacuk ſcribit Apoſtolus Paulus *quemquè vivere fide ſua*: ſic hic puto quoad articulum de lapſu ejusquè origine ac cauſa, voluiſſe eos quemlibet debere fidem ſuam declarare diſtinctè.

II. Vota vero pro defunctis, quæ hic in quibusdam lapidibus leguntur nuncupata, annon Chriſtaniſmi ſunt manifeſta indicia? Ego profecto aliud intelligere nec poſſum nec volo. Et facile id ipſum perſe unicuiq; perſvadent lapides 4. ſeqq. videlicet. 21. 32. 33. & 39; qui Chriſti aut Chriſtianorum expreſſam faciunt mentionem, atq; ſic ſtylo ipſo Chriſtianiſmum evincunt. Sed nec cœteri 5q;, videlicet, 12. 26: 27. 28. & 36. animabus pia precentes, aliud docere poſſunt apud illos, qui obſervant quomodo non modo ſerpentibus eorumq; notis myſticis modo indigitatis, illi ſint notati, ſed & inſuper ſinguli S. Crucis nota coronati: perquæ omnia con junctim ſumpta, illi fere haud obſcurius Chriſtianiſmum loqvuntur, quam 4. priores, qui integris literis illum clamarunt.

III. Nec convenit opinari fruſtra crucis figuram olim in pleriſq; lapidibus eſſe adpoſitam, quin credere poſſumus eandem ibi Chriſti Salvatoris crucem notare. idquè (1) quia juncta reperitur illis notis, quæ lapſum noſtrum repræſentant abunde. (2) Quia ad ſuperiores ſerpentis partes, imo etiam aliquando ſupra ipſos ſerpentes invenitur depicta; quod ſecus

fuiſſet

fuisset factum, ut auguror, si ex more gentilitio fuisset adposita. (3) at dum basin suam demittit in serpentes eorumq; capita, q d aliud docet quam punctum semen mulieris conterere caput serpentis. (4) Ubi vero absquè serpente schema totum illa explet, ibi crucem Christi κατ' ἐξοχὴν notat. Facile ergo ex adposita cruce ceu ex certa Christianismi nota externa, possumus colligere tunc in nostris fuisse Christianismum, cum illa pingeretur in hunc modum ac notis articulorum aliorum sub functionibus sacris prudenter adiungeretur. imo, forsan ibi quoquè notavit ceu symbolo locum sacris esse mancipatum, juxta legem imperatoris Leonis, qui edicto de Episc.& clericis vetuit signum crucis alii loco quam sacro inferri. *Decernimus ait, ut posthac neq; monachi &c. in ædes publicas, vel in quæcunq; loca populi voluptatibus fabricata, venerabilem crucem &c. inferre conantur &c.* conf. plura cap. seq.

IV. Animalia adposita in monumentis cruce Christi ornatis, non credo paganismum ullum loqui: sed saltem docere ibi locorum fuisse defunctum, ubi ipsa inveniuntur quæ exsculpta sunt. Exempli gratia, animalia Asiatica adposita esse in lapide Bothkyrkensi, quod sub eadem sepultus jaceat fran Asia Swenst Swen/ uti ibidem habetur scriptum. Fieri tamē potest ut alicubi vel notent studiū defuncti in sese venandis, ejꝰ nomen, vel deniq; se fuisse victimam â defuncto aut ejus aliquo superstite olim consecratam Sed hoc charactere ultimo vix unquam abundant, quando sunt inserta monumentis, quæ præter doctrinam lapsus, restitutionem crucis habent adjunctam.

V. Quid vero portendant viri, qui tres conspiciuntur lapide 45, non ita facile est dictu: conjici potest non impie: Christum ibi medium stare inter latrones cum quibus crucifigebatur, quod eorum alter utpote credens rectè collimet ad Christum, & alter ceu improbus recte jaceat

pro-

proſtratus; aut quæ alia ſana expoſitio poteſt excogitari Lapidem autem 16. indicium Chriſtianiſmi ponere, non ibit inficias qui ipſum paulo penitius inſpexerit: Adſunt ibi non tantum ædes ſacræ cum ſuis adjunctis, campana ac humili precatore; ſed imminet quoquè precantis capiti demiſſa cœlitus corona. Fecit fateor, vanus Odinus ſuis olim ſpem ut apud ſeſe bene exciperentur, at nusquam addidit quod ibi poſt mortem coronarentur: hanc igitur coronam tantum abeſt, ut ego referam ad gentiliſmum Scythicum, ut contra credam eam primi apud noſtros Chriſtiani ritus eſſe Symbolum certiſſimum. *Et tantum h. l. de ſqq. hiſce, quæ dixi obſervari debere in lapidibus noſtris Runicis: adjiciuntur de iisdem mox plura capite ſeqventi, ubi horum elenchus proponitur. Interea ſequitur ex hactenus deductis hæc*

## II. APPLICATIO,

I. *Si veteres noſtri Sveo-Gothi ſic potuerunt non tantum pingere ſed & de rebus abſtruſis Philoſophari, jam utiquè ſapientes Philoſophi fuerunt: &*

II. *Si ſic potuerunt iidem explicare ſtatum ſui lapſus per ſerpentem aliquo modo variatum: ſtatum ſuæ reſtitutionis per crucem Chriſti absq; omni auxilio aut prementem caput ſerpentis, aut in altum erectam, &c. nec non ſtatum glorificationis per coronam verè precantis capiti imponendam; jam utiq; boni Chriſtiani fuerunt:*

*At hæc omnia potuerunt noſtri antiqui Sveo-Gothi*, nimirum de rebus abſtruſis Philoſophari, & ſtatum ſuæ ſalutis cum antecedentibus ac conſequentibus ſobrie rimari, uti hactenus indicatum in ipſorum lapidum deſcriptionibus, & fuſius poſtea oſtenſum in eorundem expoſitionibus: *Sequitur ergo noſtros domeſticos Gothos aut SveoGothos hoc ſeculo Chriſti 4to fuiſſe bonos & Philoſophos & Chriſtianos*, uti ſub initium hujus capitis

 recepi-

recepimus nos velle probare, ac jam probatum tui ipsius αὐτοψία affirmat ut spero, verum esse, hisce nostris concitata ac erecta.

# CAP. XX.

*Liberat præcedens caput â suis potioribus objectionibus.*

Duo sunt quæ adversus præcedens nostrum caput lapidumquè in eo factam deductionem, possunt præcipue moveri; quorum unum est historicum, & alterum Chronologicum. Ergo

## I. Objectiones contra historiam.

I. *Obj. Inveniuntur serpentes etiam ubi pagani sunt sepulti; imo, inveniuntur quoq; ibi numero sepultis pares: exemplo esto lapis Jærmstadensis in O Gothia & territario* Daal, *ubi excisus unus serpens, & humatus unus idololatra Asgutus, postquam gigantis cœsi loricam Odino Deo duro ante consecravit, uti scribit pingitquè Clarissim. Verelius in addendis ad Hervaror* Sagun; *& qui plures lapides alij extra Buræanos, ceu* Förestadensis *ille in Smolandorum Vesbo,* &c. *idem docere possunt.* Resp. Lapsus notitiam habuerunt omnes nostri majores sibi familiarem, tam pagani quam qui ulla luce verbi Dei essent tunc illustrati; Nam ut vere religiosos eam hausisse novimus ex Dei verbo ante illis prædicato; sic constat cœteros per Pythagoram â Pherecide Syro informatum mediante suo præceptore Zamolxi non tantum immortalitatem animæ, sed & rationem lapsus probe didicisse: Fieri itaquè potuit, ut non minus pagani h. t. quam Christiani, in suis epitaphiis ad rationem lapsus indicandam, vellent serpentes, imo, serpentes sibi humatis pingerent numero pares. De Pherecide Syro Pythagoræ ac Samolxis præceptore vide Chron. Noriberg.

II. *Obj.*

II. *Obj. Crux fuit nota boni ominis apud omnes veteres paganos, imo, apud Ægyptios in eorum sacris significavit vitam, testibus Ruffino hist. lib. 2. cap. 29. & Socrate lib. 5. cap. 17.*

℞ Hæc habuerunt pagani ab Ægyptiis, Ægyptii vero hujus periodi per longam traditionem habuerunt eadem à suis majoribus, institutis quondam à Josepho, cui vis crucis bene fuit cognita. Sic confessi sunt ipsi Ægyptii cum converterentur ad fidem Christi, nimirum crucem inter literas ἱερατικὰς, sibi à majoribus commendatam, pro signo vitæ venturæ stare: unde factum ajebant, ut facilius converterentur ad Christum, qui hujus traditionis tunc recordabantur, quam qui eadem neglecta, veterum præstigiarum machinis delectabantur, imo, sunt qui suspicantur Ægyptiorum Serapim fuisse simulachrum ipsius Josephi, (1) quod scriptura Gen. 41. testetur nomen ejus mutatũ, & sicuti conjiciunt, Josephum Serapim dictum, vel à Sara cujus pronepos fuit, & Api quodam eorum rege antiquo, vel à σορῷ i.e. sepulchro quod ibi is esset humat⁹. (2) Credunt iidem Serapim fuisse Josephum, q̃ capiti modius fuit superimpositus, ad significandum uti rursus conjiciunt, eum recte in Ægypto, modio suo frumentum distribuisse. ac (3) quod in imo diruti post delubri, lapides signo crucis incisi essent reperti, conf. Socratem loco citato, ubi de cruce multa differit, ac illi adde Julium Maternum c. 24. ubi de modio Josephi ejusq; mutato nomine multa scribit ad Constantini filios: confer item Baron. ad annum Christi 389 Sic inquam, vivus docuit de cruce Joseph, & sic post fata ejus, manavit ad posteros vis crucis Christi: factum tamen est, ut fere nihil sequentibus temporibus memoria Messiæ deperdita, de crucis vi salutari Ægyptii intelligerent, sed ut saltem eam pingere scirent cum tenui reminiscentia *esse in illa aliquid sacrum ac hieroglyphicum* hæcque langvi-

da ac imperfecta notitia fuit quæ inde in gentes varias spargebatur postea. At in nostris dum sic crucem epitaphiis suis inscripsêre, certior fuit crucis notitia, item salubrior. Sc. ubi veteres Ægyptii crucem supponebant, expectantes eam exoriri: ibi nostri eam extollebant, scientes jam esse exortam: Et dum illi ignorarunt crucem serpenti (diabolo) opponere, nostri eam non solum illi opposuerunt, sed & eadem ejus jam corpus, jam caput &c, subegerunt ac confecerunt. In gentibus ergo tantum fuit notitia crucis *materialiter*, observata qua externam figuram, & qua confusum quendam valorem: At in nostris hisce fuit illa *formaliter*, quoad certum fructum, propter ejus distinctam, ut spero, in Christo Jesu scientiam salutarem.

III. *Obj. Sunt quibusdam monumentis ejusmodi sententiæ inscriptæ, quæ expresse Odenum nominant.* ℞. Ut illæ facile indicant hominem paganum; sic sunt aliæ, quæ ipsis expressis verbis loqvuntur hominem Christianum: Cæteras vero quæ sensus sunt ancipitis, veluti dum habetur: *servat Deus fidum suum, notum aut famulum &c.* sic ego interpretor, si inveniuntur notatæ in lapide cruce ornato, ut Deum verum ac æternum semper significent; imo, ut quoq; hæ sententiæ sensus dubii absq; crucis nota Deum significent æternum, nisi eo certiori indicio alia aliqua adjecta aut adpicta fuerint, quæ easdem ad impostorem Odenum referre cogant.

IV. *Obj. Quid aliud docent adpicta multa monstrosa animalia, quam crassum paganismum? & annon quæ adparent animalia impura, pro demortuorum salute fuerunt Diis oblata?* ℞ (1) Non omnia animalia sunt monstrosa aut impura, sed quædam quoquè pura: uti nec omnia peregrina, sed quædam quoquè domestica. (2) Sicut igitur objectionis illatio non potest certis documentis roborari; sic singula animalia ego explico

ex præ

ex præſentia aut abſentia crucis: & fero ſi crux abſuerit in lapide, & adverſarium vehementem habuerim, ut animal ſortem paganam ibi notet; ſecus velim idem ad Chriſtianiſmum referre, quocunq; titulo idem lapidem ibi ſignat, ſive ut teſtimonium peregrinationis, ſive ut cognominis indicium, aut deniq; ob aliam aliquam cauſam adpoſitum.

V. *Obj. Viri in lapide 45 annon indices ſunt paganiſmi:* ℟. Eſt petitio principii, & poſſunt illi tam ibi ſignare Chriſtianiſmum, ſicut eundem ſignant lapide 16. Libentiusq; ſi modo qualemcunq; ſacram expoſitionem de eis feceris; ego eos ad Chriſtianiſmum refero, quam ad paganiſmum, quia ſtant ſuper crucem, quæ in noſtris ſemper ſine dubio, notat crucem Chriſti, & quia charitas omnia ſperat, 1. Cor. 13: 7.

## II. Objectiones contra Chronologiam,

I. *Obj. Credi poſſunt noſtri lapides Runici eſſe ſeculorum poſteriorum, & qui ſic non debeant reduci ad hanc poſt natum Chriſtum 4 ſecularem periodum; Nam ſicut per fata ntura ipſi lapides ſenio exeduntur, ſic tanto magis ſitu, aëre &c exuruntur literæ.* ℟ Sunt ſine dubio hi lapides noſtri ſeculorum variorum, & forſan quoquè aliqui eorum, ſeculorum inferiorum: nam non uno tempore eos eſſe erectos, facile arguunt dictio, ſtylus ac character, quæ in eis multum variant. Quod autem ſinguli aut certe pleriq; antevertant ſeculi noni initium, quando S. Ansgarius lucem Evangelii publicam noſtris reſtituit, videtur arguere non tantum myſtica pingendi fingendiquè ratio, quæ exolevit advenientibus myſtis peregrinis, ſed & quod exarati in cautibus duriſſimis, jam non parum in quibusdam locis contabeſcant quaſi ſenio, ac annis deficiant. Tempus ergo ſingulorum definiant alii, ſi poſſunt. *Ego illos ad ſeculum Chriſti quartum refero* (1) Quod ut vulgatum

 tunc

tunc amplius per nostras oras Evangelium Christi non potuit non Christianis notis passim signari: sic est credibile cruce Christi in ejusmodi epithaphiis ad separationem ac confusionem hostium, tunc id heic fuisse signatum: (2) Credibile amplius, quod sicut seculo Christi quarto imperator Constātinus M. cœpit omnia feliciter agere sub vexillo crucis: sic ad exemplum illius cœperunt mox alii, ac quoq; hi nostri, crucem extollere, sibiq; usui ac saluti vertere: Sicut (3) rationem excavandorum nominum in lapidibus, constat abunde in Scythis esse antiquissimam, conf. plura infra in cap. seq. ac in hypomnematibus.

II. *Obj. Plerią tamen alii referunt Evangelij prædicationem in nostris, in seculum Christi gnum.* ℟ Consule nostra priora testimonia tam divina quam humana, & postea de Berone qui Ansgarium in Sveciam vocavit ac advenientem liberaliter fovit, dic quod de suo Constantino Magno dicunt Romani, dum eum primum Christicolam ponunt, vide supra pag. 355.

# CAP. XXI.

*Inquirit in illorum Sveo-Gothorum Christianismum, spectatum qua vitam eorum ac pios mores.*

## I. De Episcopis.

1. *Seculo Christi primo introducti sunt varij ordines ecclesiastici, ab officiis fere distincti*, teste Euseb. l. 6. c. 33. non dubitandum itaq; quin eorum aliqui statim intrarunt ecclesias nostrorum Gothicas. Pontificij 7 ordines recensent v. g. *Ostiariorum, lectorum, Exorcistarum, Acolytorum, Diaconorum atq; Presbyterorum*, quos qua gloriam antiquitatis stabilire volunt auctoritate Cypriani ex Epist. 55. & Ignatij ex Epist. 10. ad Smyr-

Smyrnenſes: Sed ſicut hi patres ſingulorum ordinum ibi non meminerunt; ſic ſingulos jam tum introductos dicere non audeo, ac tanto magis reformido in omnes terras ad Chriſtum converſas ſtatuere eosdem ordines ſingulos tunc fuiſſe receptos.

*II. Qui ad docendum in noſtris tunc aſſumebantur, eos credo per preces pias ac manuum impoſitionem, ſuis officiis ſanctis fuiſſe initiatos.* De precibus quin adhiberentur, nullnm eſt dubium: & credibile denique quod manuum impoſitio non negligebatur, quod illa paulo ante gentibus æq; ac Judæis eſſet ſolemnis. Impoſuit Aron manus ordinandis Levitis Exod. 29, & Numam ſuum per manꝰ impoſitionem ceu ſimia Dei, ordinavit Diabolus, Liv. lib. 1. Haud dubie igitur morem ubiq; ante receptum ſervarunt noſtri in ſuis ordinandis, maxime cum eundem ab eccleſia veteri viderent non tantum mutuatum, uti ſcribit Hieron. ad Evagrium Epiſt. 85. ſed & ſibi ſuisq; poſteris ab Apoſtolis eum intelligerent imperatum: Per preces itaq; ac manuum impoſitionem credibile eſt quod illi noſtri eſſent pie ordinati.

*III. Hoc modo ordinati, ut officio in exterioribus eſſet ſua dignitas, induerunt illi torquem ac brachialia*, habitum quem Gothi ante ſui converſionem uſurparunt, ac quem quoq; poſt retinuerunt, uti docet exemplum Valentis Epiſcopi Petavionenſis qui ad Gothos tranſivit, & hunc ornatum Epiſcopus apud eos factus, mox induit, *Quid dicemus*, ſcribunt Patres Synodi Aquilejenſis in ſuis literis circa annum Chriſti 381, ad imperatores, *de Valente, qui cum eſſet proximus &c declinavit ſacerdotale concilium, ne everſæ patriæ perditorumq; civium cauſas præſtare ſacerdotibus cogeretur. Qui etiam torquem ut aſſeritur & brachialia impietate Gothica profanatus, more indutus gentilium &c quod ſine dubio non ſolum in ſacerdote ſacrilegium, ſed etiam in quocunq;*

*cunq; Christiano abhorretur more* (NB) *Romano, nisi forte sic solent idololatriæ sacerdotes Gothorum prodire* &c. ubi dicti patres Valentem persequuntur quod patria relicta, vitasset Synodum, & quod habitum Gothicum pro Romano sumsisset, conf. Baronium ad annum Christi 383. ubi non has modo literas recitat, sed & subjicit, variis exemplis probari posse etiam alibi terrarum Episcopos maxime Arrianos, quandoq; torquatos consvevisse incedere.

*IV. Magna itaq; fuit primorum Episcoporum in ecclesia Dei dignitas, ut mirari non subeat, quod ad eam potiundam, viri Clarissimi honores sacros quandoq; ambiverunt.* Voluit seculo primo imperator Titus pontifex fieri, & seculo secundo Caji pontificis avunculus fuit imperator Diocletianus; Seculo vero tertio est tiara sæpius cum sceptro conjuncta, teste Zosimo lib. 4. idq; non solam nè offenderentur gentiles, hactenus assveti regibus, qui pontificatus titulum cum insignibus imperii con junxissent; sed & quod tantæ functioni fuit sua in exterioribus dignitas; cumprimis vero ne per alios titulo religionis, ultra quam fas esset, redigerentur in ordinem, conf. Cicer. de natura deor. lib. 2. & de legibus lib. 2. item Tacit. de moribus Germ. l. 1. c. 23. In nostris itaq; viros egregios fuisse pontifices aut sacrorum antistites, res est admodum probabilis.

*V. Reditus præterea fuerunt huic dignitati ac officio olim ampli, vixissentq; illius temporis ecclesiarū ministri splendide si voluissent de decimis ac oblationibus aliis sibi liberaliter factis.* Decimæ non tantum sunt jure divino per Mosen imperatæ, sed quoque observatæ ante legem latam â populo Dei, veluti cum Abraham daret decimas Melchisedecho, Gen. 14. Et pari modo in decimarum erogationem propenderunt semper gentes quæq; ex quadam dicam naturæ lege, an per religionis impulsum? Herculi certè solverunt gentes olim decimas, Jovi itidem

ac Dia-

ac Dianæ &c. vide Cic. de natura Deor. l. 3. & Plutarchum probl. 99. Quod jam præstiterũt olim judæi ac gentiles quiq;, id hoc tempore non intermiserunt facere nostri Sveo-Gothi, maximè cum viderent idem præceptis Apostolicis sibi inculcari, vide Act. 2 imo, non tantum tunc decimas ministris suis nostri aliiq; solverunt: verum sic effusi fuerunt, pro divino suo zelo, in iisdem solvendis, ut ministri accepta earum parte non minima, utpote quæ sufficeret sibi, peregrinis, viduis, pupillis, ægrotantibus, incarceratis, exulibus &c cogerentur reliquam partem remittere, ne pretio redemptam religionem culparent gentiles, uti loquitur Tertull. in Apol. cap. 39. Cum decimis certarunt iisdem temporibus oblationes aliæ, destinatæ itidem in usum eorum, qui Evangelio ministrarunt, vide Hieron. in Malach. 3. Aug. de Tempor. Serm. 215. & 219. nec non Chrysost. in 1. ad Corinth. hom. 43. Conjunctæ ergo hæ ac largiter effusæ non suffecerunt modo ministrorum usibus necessariis, sed & ipsum officium commendarunt, ejusq; dignitatem non minus ac torques in exterioribus ornarunt.

*VI. In hunc modum ordinati, declarati ac sustentati nostrorum sacerdotes, pro jure sui officii* verbum Dei annunciarunt, sacramentaq; Christi administrarunt: *qva tempus*, non solum in summis festis, & diebus Dominicis, mox sacrorum usui consecratis: sed & in festis minoribus aliis, qvæ recepit sacrisq; destinavit emergens tunc passim locorum Christi ecclesia. *Qva locum* vero defungebantur illi suis officiis, ubicunq; commodam occasionem eis fortuna fecisset: *olim cum carerent commoditatibus, & cum vexarentur persecutionibus aut malis aliis, jam singula loca ad singula adflictionum genera præstituta (ut ager silvestris, solitudo deserta, navis fluctibus jactata, diversorium publicum, horridus carcer &c.) opportuna videbantur in qvibus sua festa*

 *latis*

*lætis animis celebrarent*, ſcribit Euſeb. lib. 7. c. 17. Habuerunt tamen ſæpius certas domos, in qvibus ſynaxes egerunt cum ſuis, & ita ſeculo primo re Chriſtiana nondum ubiq; bene firmata: Seculo vero ſecundo uti religio Chriſtiana indies multis incrementis augebatur; ſic in ea additæ aliæ atq; aliæ ordinationes: & pro ædibus privatis tunc erigi cæpta templa, dicta *tituli*, non tantum qvod ſub ſui inaugurationem, ſigno crucis illa notarentur; ſed & qvod ex eo, cuilibet templo publico unus preſbyter eſſet præfectus, nomine ſui templi titulatus aut notatus, vide edictum Theodoſii, qvi crucis titulum in inaugurandis ædibus ſacris adprobat, & edictum imperatoris Leonis, qvi vetat ullas alias ædes publicas aut privatas ſigno crucis notari, niſi publico Chriſtianorum uſui eſſent mancipatæ, conf. ſupra de cruce, p. 378.

*VII. Hoc qvoq; obſervandum eſt, miniſtros naſcentis eccleſiæ contra crucis Chriſti hoſtes, qvi tunc varii fuerunt, obluctando, non tantum prædicâſſe crucem verbis, ſed & ſignis & factis*: ut ejus intuitu obtunderentur iidem, ac pariter ut ad eamdem ceu trophæum Chriſti, exhorreſcerent diaboli. Sic loqvuntur Ignat. ad Phil. epiſt. 8. & Baſil. de S. S. c. 1. Non qvidem ſic legitur præceptum in S. ſacra, ſed ejus rei *prætendebatur traditio auctrix, conſvetudo confirmatrix & fides obſervatrix; proceſſitq;* ſic excogitata ceremonia, *ut ad omnem progreſſum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina & cubilia, ad ſedilia, & qvocunq; nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo teramus*, prout ſcribit Tertull. de Coronâ mil. c. 1. 2. adde Cyrilli Jeruſol. Catech. 13. Theodoret. libr. 3. hiſt. c. 10. & Hieron. Epiſt. 22. qvi fatetur *conſveviſſe fideles ſigno crucis notare non tantum ſe, ſed & ſua cuncta.* Sicut jam terrarum alibi contra gentiles ac diabolum, pii eccleſiarum miniſtri cœperunt cruces erigere;

sic est credibile in eandem ceremoniam inclinasse& nostros, qvam primum ad Christum essent conversi; imo, sicut hæc ceremonia intravit Christianismum seculo primo, sic est credibile aut cum Christianismo ipso eam sese in gentem nostram statim infudisse; aut porro alibi cœptam paulo post in gentis nostræ sacra irruisse: Atq; hinc crucem, qvæ conspicitur in antiqvis nostris runicis lapidibus, credo nihil aliud significare, qvam crucem Christi, pictam ut eadem confunderentur hostes & percellerentur diaboli, conf. sup. p. 377, & 381. *Et tantũ de illius temporis Sacerdotib. in gente nostra, per spem illationis.*

## *II. De Laicis.*

*I. Laici vero horum seculorum primorum uti effusi fuerunt in bonis suis erogandis Christo. sic facile ostenderunt, qvomodo hospitalitate tessera Christianorum certa, essent devincti.* Fuerunt hospitalitates per tesseram mutuam pactæ etiam apud gentiles, vide Plaut. in Pænulo, nec non Lucianum de peregrino: at multo arctior fuit hospilitatis contesseratio inter primos Christianos. Et qvi hanc tesseram olim habuit, qvocunq; incedebat, â piis recipiebatur ornabaturq; ut legitimus ecclesiæ filius, conf. Tertul. de præscript. c. 20. Hoc contesserationis signum cœperunt hæretici postea adulterare, ac in fraudem suam usurpare; coacta igitur est Synodus Nicœna jubere idem ex eo in literas referri, qvas dixerunt *Formatas*, &c. vide acta Synodi. Nycœnæ.

*II. Hi porrò veteres Christiani dum orabant in suis templis,* (1) *conversi stabant freqventius ad orientem*; Idq; non propter antiqvam plerarumq; gentium consvetudinem, sicut id ipsum docet Porphyr. apud Cœlium Rhodig. lib. 12. c. 1. & Lucianus de domo; sed ut ostenderent se diversos esse â judæis, qvi orabant spectantes occidentem, vide Ezech. 8. ac Hieron.

ron. in idem caput, ac quoq; ut innuerent se orare ad locum lucis, nec non paradisi, uti ex Justino scribit Athanas. l. 9. q. 14. Scilicet ut hæc ambo loca sunt ex oriente aut versus orientem, sic ea inspectantes veteres Christiani in suis precibus non potuerunt non orientem versus precari: Atq; hoc dum solliciti fecerunt, jam sæpius insimulabantur â gentilibus qvod Solem venerabantur, vide Tertull. in Apol. cap. 16. (2) *Orabant iidem sæpius stando*, idq; diebus dominicis & tempore qvod est inter Pascha ac Pentecosten, cum resurrectionis Dominicæ recordarentur, docente Tert. de Coron. mil. c. 3. (3) *Cum vero delictis precarentur veniam, jam orabant genibus flexis ac manibus aliquando expansis*, conf. Justin. Mart. oratione ad Antonin. nec non Tertull. de orat. c. 11. & 12. (4) *Semper vero summam verecundiam, modestiam animiq; demissionem* inter orandum præ se ferebant, teste Cypriano libr. de orat. *Suspicientes in cælum nos Christiani oramus manibus expansis, qvia innocuis, capite nudo, qvia non erubescimus, deniq; sine monitore, qvia de pectore oramus*, scribit Tertull. de corona militis, & de idolol. c. 15. Ut hinc ex situ, corporis habitu ac gestibus, eorum singularem devotionem statim intelligamus.

III. *Id autem meretur observari, qvomodo primi Christiani abhorruerunt â gentilibus in vita ac morte.* Gentiles coronarunt sua templa ac postes frondibus, & sacrificaturi domos suas intrarunt coronati teste Tertull. sicut insuper coronatos tauros obtulerunt, Act. 14: 13. Hisce vanitatibus non infamarunt sese primi Christiani: sed ut vivi ab iisdem toti abhorruerunt, sic pariter in morte ac post mortem voluerunt se ab eorum fructu separatos prorsus. Scilicet noluerunt humari in loco ubi gentiles essent sepulti, ducentes nefas post obitum commisceri, â qvibus vivi abhorruissent. Discreta

igitur

igitur gentilium ac Christianorum sepulcra olim, nec hisce justum visum illorum cœmiteriis inferri, ut qvoq; Anno Christi 258. Martiali Episcopo crimini magno datum est, qvod filios in profanis gentilium sepulchris sepelivisset, vide Cyprian. Epist. 68. Atq; hæc causa est nisallor, qvod in tumulis congestis super concrematas olim integras familias (intelligo ättehögar) in nostris terris *quod sciam*, non inveniantur ulli lapides runici cruce notati: nimirum ut cruciseri illi nostri fugerunt gentiles in vita, sic post obitum ne cum illis etiam suis majoribus, viderentur communicasse, alia ac propria funeribus suis eligerunt loca.

*IV. Atq; hæc loca aut fuerunt extra civitatem juxta 12. tabulas, vide Cic. de legib. lib. 2. aut intra civitatis mœnia & ædibus sacris vicina, uti olim instituit Lycurgus, vide Plutarchi apophth.* Nostros non invenio qvicqvam de locis sanxisse: credi igitur potest passim locorum eos esse humatos, nec tulisse ut sub libertate Christiana, ullis institutis Romanis aut Spartanis vincirentur. Fortassis tamen sæpius extra mœnia sepeliebantur, non tantum qvod â contagione gentilium ibi liberiora conditoria haberent; sed & qvod hæc consvetudo videatur arrisisse antiqvis Gothis, dum Theodoricus Gothus Rex Italiæ, legem Romanam de efferendis urbe cadaveribus, usu antiqvatam, pristino vigori restituit, uti scribit Cassiodor. c. 3.

*V. In funeribus utebantur veteres Christiani vestimentis nigris*, non quod tantopere cuperent servatum morem gentilium, qvi ita jam pridem instituissent, nimirum ut viri nigris, & fœminæ albis essent amicti, testibus Herodiano lib. 4. & Plutarch. qvæst. Rom. 26. Sed qvod is habitus modestior decentiorq; videretur, dignusq; ab illo sumi, qvi â moribus vulgi discretus, altiorem affectaretur philosophiam, uti docent variorum Martyrum acta.

*VI. In quotidianâ vero vita fuerunt primi Christiani tam laici, quâ clerici sancti & moribus ac gestibus inculpabiles*: quia nomini sanctam virtutem volebant inesse ad pie Philosophandum ac feliciter obterendum libidines carnis. *Credisne* (sic loquitur Tiburtius ad præfectum Fabianum) *hunc Torquatum esse Christianum, qui in sui lenocinio moliendo, capitis fimbrias admittit, qui tonsorem diligit, qui scapulis molliter gestit, qui fluxum gressum improbo nixu distendit, qui neglectis viris fœminas curiosius intuetur; nunquam tales pestes Christus dignatus est habere servos* &c vide acta Zetarij ad annum Christi 286 apud Baron. Similiter ex signis exterioribus Julianum cum adhuc sub pallio Philosophico sese occultaret, notavit Ambros. lib. 1. off. c. 18. & Hieron. Epist. 22. Pseudoclericos, dicens: *omnis cura de vestibus, si bene oleant si pes laxa pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti de annulis radiant, &c. tales cum videris, sponsos magis existimato, quam Clericos*, &c. Simplices ergo ac vita moribusque inculpabiles fuerunt primi Christiani, locorum ubiq;.

*VII. An nostri præterea abstinuerunt aliquamdiu â sangvine, dicere non habeo.* Vetuerunt ut constat, Apostoli in concilio Hierosolymitano, Christianos recens conversos frui sangvine ac suffocato, Act. 15: 29. illud ne viderentur colludere cum Judæis, & hoc ne culparentur agere cum gentilibus. Fuit igitur eorum istud præceptum prorsus temporarium, ac usurpandum non diutius, quam invalesceret res Christiana: Factum tamen est, ut non ante seculum 9 idem antiquaretur per Angliam: & nescio an hodieq; sit abrogatum plene per Germaniam, cum pingviũ animalium cruorem patiantur plateis, non vasis excipi. Nostros non credo diu illi præcepto obtemperasse, aut quicquid sit de primis nostris Christianis, id verissimum est, quod hodie illud habeamus abrogatum, ac quod forsan gustu boni cibi notato, abrogarunt pridem nostri majores,

*VIII. Hoc est certissimum quod barbam non habuerunt nostri primi Christiani rasam.* Sacerdotes Deæ Syriæ sacrificarunt glabri, h. e. capita raserunt, supercilia & barbas, testibus Apulejo ac Luciano: Vetiti ergo Hebræi, ut ab illis Syris essent diversi, caput ac barbam simili modo radere, Levit. 21. Ezech. 4. At ex eo rasit ecclesia occidentalis semper suos, sicut contra orientalis voluit suos non rasos, nisi quod tantum paucos in gratiam Romanorum aliquando tonderet, raderetq;. Nostri vero SveoGothi ex occidentalibus soli fuerunt, quibus stetit sacrum, barbam demittere ac saltẽ comas tondere more peregrino, idq; ut conjicio, non aliam ob causam, quam ut quoque hac ratione unde rudimenta religionis accepissent, qualitercunq; ostenderent, in habitu Græcis quam Romanis addictiores: *De Græcis* vide Dion Chrysost. orat. 36. *De Latinis* consule Gellium l. 3. c. 4. *& de nostris Gothis* consule Ennodium Ticinensem, qui suis versibus vehementer exagitat quendam, quod more Gothorum prolixam gestaret barbam: sic enim habet in Jovinianum: *barbaricã faciem Romanos sumere cultus miror, & in modico distinctas corpore gentes* &c. præterq; Theodahatũ regem Gothorum imbellem, qui vixit circa annum Christi 534 & in rasa barba pristinos Romanos est imitatus, non legitur quisquam Gothus quod sciam, barba rasus; quia *apud Gothos perinfame supplicium erat barbam radi*, uti de Paulo Tyranno capto â Wamba rege Gothorũ scribit Baronius ad annum Christi 674. Demiror igitur ego cum res bonorum auctorum testimoniis ita sese habeat, nimirum barbatos vixisse nostros priscos, quomodo audeant quidam Longobardos facere Germanos & non potius Gothos. Certe *si â bard* iidem sumant argumentum, uti facit Camerarius, jam erunt Longobardi tam cito Fenni atq; Germani, quod illis æq; atq; his barba dicatur bard: *Ast si porro ad barbæ prolixitatem iidem respiciant*, jam

statim

ſtatim convincuntur, quod de Germanis illi non fuerunt egreſſi: quippe quod his fuit prolixa barba, ſecus quam illis fuit in more poſitum eam geſtare aut alere.

# HYPOMNEMATA
## ad Libr. 7:timum.

I.

QUanquam ignoremus in æternum, quinam illi fuerunt qui verbum Dei in *Sveo-Gothia, Fennia, Lapponia* &c, ſeculo Chriſti primoprædicarunt; non tamen dubitandum eſt, quin illud actu ipſo ſit hic prædicatum; quia ſcriptura teſtatur Apoſtolorum clarum ſonum exiviſſe in omnem terram, & verba eorum in fines terrarum orbis, Rom. 10: 18. ſeq. conf. Coloſſ. 1. 23. Marc. 16: 20. NB. Sic h. t. contra Calvinianos, Calvinizantesq; in hoc argumento quosdam alios ſcripturarum aut immemores aut ignaros, *docemus Theologi Lutherani. Confer Reverendiſſ. D. D. Stigzelium Præceptorem meum æternum devenerandum in Diſp. de Gratia Vocationis, & ingenioſiſſ. D. D. Hylſeman. de aux. Gratiæ p. m. 142. ſeqq.*

II. Actiones Dei viſas in imperio Romano circa eccleſiæ collectionem, propagationem &c. ducimus non temere omnino ad noſtros majores; non quod eædem in noſtris eſſent factæ; ſed quod credibile eſt Deum tunc ſimilibus noſtros ornaſſe, cum quod noſtrorum pater is erat æq; ac Romanorum; tum præcipue quod ſub novam hanc Evangelij repetitionem, is non minus dignabatur noſtros ſancta vocatione &c. atq; Romanos, 1. Tim. 2. 4: Et quod ubi ex eo gratia oblata non cognoſcitur rejecta, ibi ſperari poteſt in ſpiritualibus gentem genti non eſſe prælatam, Eph: 1: 10. 2: 14. & 4: 1. ſeq.

III. Nemo mortalium poteſt noviſſe ſingulos modos, quibus

bus Deus usus est olim in hominibus vocandis. Ordinarie ac semper vocat convertitq; Deus per verbum; ut tamen verbi auditu potiamur, auditumq; verbum missis præjudiciis ut accipiamus animis, si usquam certe hic mirabiliter sæpe Deus disponit, Eph. 3:20. *Bileam & Saul vaticinātur, Num. 22. 1. Sam. 10:10. Samuel videtur trahi per ventriloquam, 1. Reg. 28. Elias, Ezechiel, Habakuk, Philippus vehuntur per aërem, Ezech. 8:3. 11:1. Dan. 10. 35. Act. 8:39. In somno adparuit Deus Alexandro, & Thamo inclamatum:* ὁ μέγας Πὰν τέθνηκεν. *Costo Persarum Regi data per fusionem figura hominis crucifixi, &c. vide supra pag. 280. seq. Juliano sacrificanti ex extis animalium oblata crux coronata, Greg. Nazianz. Orat. 1. in julian. imò Dæmones ipsi confessi aliquoties Jesum &c.* Act. 16:17. Matth. 8:29. Quæ singula si vera sunt, (de biblicis nullum est dubium) dicendum utiq; Deo fuisse olim varios modos in hominibus vocandis ac corrigendis. h. e. *Deus novit multas & mirabiles salutis vias* (circa actus pædagogicos) *inusitato modo aperire, ad humanitatem & misericordiam propendens*, uti ibid. scribit Greg. Nazianz. Neq; tamen ad hanc vocationis promotionem referimus ea, quæ in natura existunt ferè ordinarie, licet inusitate, sicut opinatur Cholerus lib. 16. c. 8. ubi exempla in mineralibus subjicit *de Johane & Maria suspicientibus icona crucifixi Christi*: item de *icone baptizati Christi in jordane* &c. nam quamquam eorum plurima sint mirabilia, ac pleraq; talia quæ per sui aliquam dispositionem possunt doctos de cruce Christi &c. admonere; tamen eadem per gratiam Creationis producta, debere ex intentione Dei crucem signare ac suo modo concionari, id ipsum est, quod hoc loco pernegamus, conf. Joh. 1:10. & 18.

IV. *Exorcismus qui olim fuit in usu, non caruit suo fructu*, si plurimum adjuvit fides obsessi. *Adjurati diaboli per verum Deum â nobis, statim cedunt & fatentur, & de obsessis corporibus exire co-*

guntur. *Videas illos nostra voce & operatione Majestatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propugnantis extendi, ejulare, gemere, deprecari. Unde veniunt & quando discedunt (ipsis qui se colunt audientibus) confiteri, & vel exiliunt statim vel evanescûnt gradatim, prout fides patientis adjuvat, & gratia curantis adspirat,* scribit Cyprian. de idolor. vanit. confer. Minut. in Octavio. *Duplex vero fuit olim pellendorum dæmonum principium*: Nam pellebantur (1) *per radicem monstratam à Salomone*, si fides est Josepho adhibenda, qui Antiquit. lib. 8. cap. 2. ait præsente Vespasiano id esse ab Eleazaro feliciter tentatum, conf. de bello Judaico lib. 7. cap. 25. & (2) pellebantur iidem *per virtutem nominis tetragrammaton*, si cui illud scire ac effari licuisset, confer. Epiph. hæres. 30. ac lege explumin Scævæ filiis Act. 19. *Hacce duo principia constabant fere solis principibus in gente judaica*, & sic pene illos fere solos olim pellendorum dæmonum arcanum; aut quod illi soli radicem illam noscerent, aut deniq; quod sub Jehova Christum illi soli recte intelligerent. Postea vero & in ecclesia Christi sunt dæmonia ejecta per apertum vivificum nomen Christi Jesu, Marc. 16: 17. Luc. 10: 17.

V. In probanda existentia ecclesiæ Christi apud nostros antiquos SveoGogothos, fere non habet seculum ullum testes alios, quam qui sui temporis essent: productiq; in rei fidem cujusq; seculi auctores optimi.

VI. Jupiter Pluvius de quo Baron. ad annum Christi 176. convenit in plerisq; suis effectis cum nostrorum veterum Thorero. Scilicet ut is fuit *nubicogus*, *grandistrepus*, *pluvius*, *fructifer*, *descensor*, *fulminator*, ὄμβριος ζεὺς &c. sic fere iisdem coloribus olim apud nostros notabatur Thorerus.

VII. Quo modo seculo octavo in Biarmia destruebatur Jomala, vide supr. pag. 263. seq. eo modo destruebatur seculo

culo Christi 4to in Ægypto Serapis, vide Baron. ad annum Christi 389.

VIII. Primis seculis traducebatur per gentiles religio Christiana, ac si non diutius duraret quam per 365 annos. *Cum viderent eam tot tantisq; persecutionibus non consumi, sed potius sumere incrementa, ut conceptum mœrorem aliquo solatio lenirent, nescio quos versus græcos excogitaverunt, tanquam consulenti cuidam divino oraculo effusos, ubi Christum quidam ab hujus tanquam sacrilegij crimine faciunt innocentem, Petrum autem maleficia fecisse subjungunt, ut coleretur Christi nomen per 365 annos, deinde completo memorato annorum numero sine mora sumeret finem*, scribit Aug. de C. D. libro 18. cap. 53. at durat Deo laus etiamnum, Matth. 16.

IX. Grandiora sua numismata ab usualibus nummis distincta, erogabant in suos olim Imperatores ac Reges; atq; hæc calendis Januariis missa cumprimis, postea â tempore dicta sunt strenæ seu Nyåhregåfwor. Manetq; antiquissimi hujus usus adhuc penes Christianos quædam imago, dum iisdem calendis Januariis, vel etiam alicubi die Natali Domini, beneficentiæ causa nummi ab hominibus dignioris conditionis inferioribus donantur, conf. Baron. ad annum Chr. 353.

X. Notari meretur quomodo Deus sub quamvis Evangelij promulgationem auxit multos vita longæva. Tempore antediluviano longævi fuerunt primi patriarchæ, & post diluvium Semus aliique: post emissum vero Evangelium Christi in totum terrarum orbem, itidem multorum ætas in annos plurimos sæpius Dei beneficio est producta: exempla possunt legentibus passim esse obvia, nec mihi animus in re confessa diu morari. Inde saltem observo, *plerosq;, Christi Apostolorum discipulos, ceu Dionysium, Ignatium, Quadratum, Hermam, Polycarpum, aliosq; qui Dominum vel viderunt in carne vel videre potuerunt, vitam ducere potuisse non solum ad Trajani & Hadri*

*ani tempora, sed & ulterius, Domino eorum longævam ætatem disponente, ut Dei ecclesiæ esset consultum adversus hæreticos tunc emergentes. Quid enim Apostoli credidissent & quæ alios docuissent servanda, hujusmodi gravissimi & veracissimi testes rogantibus certo certius tradere, & quæ oculis aspexissent, verissime affirmare potuerunt,* prout recensitis aliquot exemplis longævorum ad an. Chr. 76. scribit Bar. Nec sic prorsus absurda ætas nostri Starkoteri.

XI. Seculo Christi primo fuit receptum in imperio Romano nomina saxis incidere, uti de Domitiano testatur Dio & Macrob. Saturn. l. 1. c. 12. facile ergo inde eadem consvetudo brevi ad nostros potuit derivari. Imo, quia Domitianus qui Gothus fuit, sic nomen suum saxo inscripsit; inde probabile eundem morem apud cœteros nostros Gothos fuisse frequentem: ac per consequens in lapidibus exsculpendorum nominum rationem recte in secula Christi prima referri, nostros item etiamnum superstites lapides eandem rationem si primi sunt exprimere, aut saltem referre si juxta modum ante receptum, saltem post illi putentur excavati.

XII. Sicut hujus periodi secula singula habuerunt suos hæreticos, & aliqua eorum eos, qui honores divinos affectarunt: *Seculo primo fuerunt hæretici Simon Magus, Ebion, Cerinthus, Nicolaus &c. Seculo secundo Manes, Basilides, Marcion. Seculo tertio Donatistæ &c. seculo 4to Arriani, Nestoriani, Eutychiani &c. Honores autem divinos* involarunt *Simon Segus forsan Hercules, Nerva, Commodus, julianus &c.* Sic credibile ac tantum non certissimum, â similibus pestib. nostros Sveo-Gothos tunc domi vexatos: Hæretici ac idololatræ fuerunt Upsalienses eisq; similes alii; & in Deorum numerum post sua fata, ut de inferioribus aliis nunc non dicam, relati Reges *Nearchus ac Frotho*, de quibus historici civiles, & nos quoq; supra pag. 300.

XIII. Sicut ecclesia Christi alibi terrarum hac periodo

jam

jam premebatur variis malis, jam ex iisdem utcunq; respiravit: sic putandum ecclesiæ SveoGothicæ tunc itidem fuisse suas vicissitudines, & ei quandoq; pacem datam, quandoq; intentata mala: omnia prout Deo visum fuit suos temporaliter benignius aut asperius versare. Nam neq; in imperio Rom. semper floruerunt Christi servi sub Imperatoribus bonis, neq; vexati sunt semper sub malis: Impurissimus Commodus dedit ecclesiæ pacem, quam sustulerunt ante commodiores Trajanus, Hadrianus, Antoninus, &c: Et rarius olim contigit, ut fureret persecutio per totum imperium. Pari modo credendum, nec nostros singulis intervallis fuisse laxatos aut constrictos; sæpeq; tam commodis usos eos malis Regibus, quam bonis, quia ut per hos illi ornabantur comptius, sic per illos dispergebantur ad plures felicius, Deo utrobiq; regimen suum mirabile declarante propter suum excelsum nomen.

XIV. Rogo in hoc Hypomnemate sequentia hæcce recte excipi. (1) Jornandes non est postponendus Beroso qui circumfertur: Ergo supra pag. 187. linea 6 est tempus præsens, *ferat*, commutandum in imperfectum *ferret*, nisi idem tempus præsens malueris explicare per conditionem impossibilem, &c. (2) Supra pag. 276. linea 6. numerando sursum, loco particulæ *ergo* substitue vocem *gentes*, ut quoad inferiora constet sententiæ suus sensus. (3) Qvæ sup. p. 236 scripsi de *Asgardia*, video ipse esse tenuia: rogo ergo benignũ lectorẽ, ut de eadem consulat alios, ac stylum meum corrigat juxta p. 297, ubi inter pagos Trojanos eam recenseo. Qvâ occasione etsi sententiâm Plinii de Turcis ad Tanaim &c, suspiciam non possum tamen non (4) indicare, probabile videri veterem Amanuensem in Herwarar Sagun/ pro Teukrar in suo Svetico exemplari scripsisse Tirkiar, facili lapsu propter vocum

affinitatem, aut quod hoc pacto vellet ille vocem Teucrar restituere: nam ut scivit illos esse Asiaticos; sic non opinabatur fore alios, quam Tirkiar Saracenos, qui ad Constantinopolim cæsis O Gothis post cædem Valentis, passim inclaruerunt rerum gestarum gloria, vide Socrat. lib. 5. cap. 1. Sozom. lib. 7. cap. 1. ac qui tanto magis cœpti sunt circumferri, ex quo in eadem cum Gothis exteris pugna, quidam eorum visus est interfecti hostis jugulo admovere labra ac effusum inde cruorem haustu excipere: *Sarracenorum cuneus,* ait Ammianus l. 31. *ad sortem magis expeditionalium rerum, quam ad concursatorias pugnas habilis, recens illuc accersitus* (per Dominicam Valentis uxorem) *congressurus, barbarorum globo repente conspecto, à civitate fidenter erupit, diuq; extento certamine pertinaci, æquis momentis partes discessere. Sed orientalis turma novo neq; ante viso superavit eventu. Ex ea enim crinitus quidam nudus omnia præter pubem, subraucum & lugubre strepens, educto pugione agmini se medio Gothorum inseruit, & interfecti hostis jugulo labra admovit, effusumq; cruorem exhausit. Quo monstroso miraculo barbari territi, postea non ferocientis more cum agendum appeterent aliquid, sed ambiguis gressibus incedebant &c.* Sic inquam facili conjectura, dum omnes Asiaticos existimavit Turkar (ut quoq; etiamnum vulgus per patriam Asiæ incolas non putat alios, quam Turkar som åta folck &c) ille pro Teukrar voluit restituere Tirkiar juxta seculi sui sonum: Sed hæc & hujus generis alia remitto ad alios in hoc studii genere laborantes. Et sic mihi, in civilibus hisce parum exercitato & quod plura hic addere non libeat,

LIBRI SEPTIMI FINIS.

# PARTIS GENERALIS LIBER OCTAVUS ſeu ULTIMUS.

## De Eccleſia Sveo-Gothica â tempore emigrationis Longobardicæ ex Scandia ſub rege Gotharo, ad Evangelii reſtitutionem publicam ſub Berone 3tio aut 4to. Ubi occurrit periodus annorum 400, reſpondens periodo Civili apud Romanos, quæ eſt inter ſecundam Romani Imperii diviſionem factam inter filios Theodoſii, & inter ejusdem diviſionem tertiam, factam ſub Carolo Magno inter ejus filios.

## CAP. I.

*Narrat paucis hujus periodi hiſtoriam civilem.*

EGreſſis propter intolerabilem famem Longobardis, fuerunt domi uſq; ad 7:timam Regnorum ſeparationem, Reges: *Gotharus*, *Faſto*, *Gudmundus*, *Adelus*, *Oſtanus avarus*, *Ingemarus II. avari filius ſed probus* & victor per Livoniam, Ruſſiam ac Hyberniam. Sic Septimum ſeparata regna ſub *Gotho Holſtano I.* qui diſceptavit cum Sivaldo Dano de Scania & Hallandia; *& Sveco Biernone* ſecundo, qui accepta in matrimonium Hoſtani filia, regna rurſum conjunxit, ſed qui conjugem amiſit per Snio Danorum regem &c. Poſt eum fuêre Reges: *Ravaldus I. Hartmannus & Tordo II.* omnes tres etjam Danis imperitantes, victis ante ac mulctatis quod Reginam Biernonis abſtuliſſent. Tum per Arthurum Anglum

glum ablati Dani, & domi Sveo Gothis facti Reges: *Rodolphus*, qui relicto sceptro patrio divertit in Italiam ad popularem suum regem Theodoricum, nec non *Hathinus* II. qui sedem Regiam in Hathuna celebravit. Hos excepêre: *Attilus*, *Tordo III.* & *Algothus* princeps clarus domi ob moderatas leges, foris autem ob devictos Subpolares nec non Russos. Inde Rex fuit *Ostenus III.* princeps malus, sed mox secutus *Arthus* Rex optimus. Post hos fuêre Reges: *Haqvinus* III. *Carolus* IV. *Carolus* V. *Birgerus*, *Ericus* VI. *Thorillus* vecors utpote qui præter facinora mala alia, etiam delubra Upsaliensia suis bonis expilavit. Additi *postea Biorno* III. princeps tranquillus, filius mox *Alaricus* Danis amicus, nec *non Biorno* IV. Caroli Magni amicus, sub quo, (si non ante) reformatores religionis, aut verius Evangelij Christi publici præcones, Ansgarius & Herbertus scribuntur venisse in Sveciam. *Confer de hisce Regibus Historicos Johannem Gothum ac Paulinum, quos ego hic æq; ac in superioribus sum probe secutus, jam non ignorans pro Regibus eorum substitui alios Reges in Langfægatan ut adpellant, & alios in* Herwarar Sagun. *Historici vero Civiles despiciant an illa Regum nomina possint conciliari, nec non qui Regum catalogus nectendus?*

## CAP. II.

*Docet in genere varios modos propagatæ hoc seculo quinto, religionis veræ.*

I. EXornavit Deus etiam hoc seculum variis miraculis, per quæ ceu stupenda opera perculsi multi gentilium, q. â Deo expugnati ad datam prædicationem Christo nomina sua dederunt. Porphyrius* Gazensis Episcopus exclusus ab urbe post multam siccitatem precibus hymnisq; instar Eliæ, impetravit de cœlo pluviam effusam, scribit in ejus vita Marcus ejus diaconus.

Per

Per 80 annos in sua columna innumera mira præstitit *Simeon Stylita*, *orbis terrarum magnum miraculum* ut ait Theodoretus, & notus non solum iis qui fuerunt in imperio Romano, *sed etiam Persis, Indis, Æthiopibus, Scythis ac Nomadis*, uti scribitur in ejus vita, conf. Baron. ad annum Christi 460. Et quot quantaq; miracula post eum fecit *S. Lupus* & ejus discipulus *Polychronius* qui gratia curationum præfulsit? quot item miracula fecit Deus ipse hoc seculo immediate? Judæum quendam non tantum lavit â sordibus spiritualibꝰ per baptismum, sed & sanavit â paralysi anno Christi 408. Fecit mortuos reddere sanctis viventibus sua Chirographa, vide historiam (si vera est) de Synesio & Evagrio Philosopho apud Baron. ad annum Christi 411. fecitq; elingves martyres loqui sicut volubilibus lingvis, vide Baron. ad annum Christi 484. &c, &c. Ad quæ omnia non modo conversi gentiles, sed aut adclamatum: *κύριε ἐλέησον. megnus Deus qui facit mirabilia, & talem tantamq; promissionum suarum* evidentiam dat servis suis uti ad Chirographum Synesii adclamatum scribit Leontius; aut responsum; *Christus solus Deus, ipse solus vicit*, uti ad miraculum Porphyrii portis apertis responderunt Gazenses. Et sic *primum miraculis* capti gentiles pariter ac alij intra ecclesiæ externæ gremium constituti.

II. *Ejecit hoc seculo varios de suis sedibus sæpius vulgatus persecutionum rumor sub Arcadio, Valentino &c. nec non Christianorum persecutiones veræ sub Gothis, Vandalis aut Romanis Arrianis*, qvando multis exulibus, cum domi subsistere amplius non auderent, qvæsitum est refugium inter exteros. Et sic *alter per dispersos Christianos* h. seculo propagatæ ecclesiæ modus.

III. *Inflammavit Deus hoc seculo piorum animos ut de loco in locum, studiorum sacrorum causa, ferrentur ferventes*, qvomodo ab ultima Hispania in Africam ad Augustinum, & inde in

Asiam ad Hieronymum, ivit studiorum causa *Orosius*, teste August. Epist. 102. Et qvomodo Româ in orientem contendit *Studius*, â qvo monachi Studitæ vel ἀκοιμῆται circa annum Chr. 459. &c, &c. Atq; sic per hos tales *tertius modus* propagatæ h. sec. ecclesiæ Christi.

IV. *Effecit Deus hoc seculo per bellorum commixtiones, ut multi converterentur ad Christum.* Cum sacra vasa Romæ reportarentur in Basilicam Petri jussu Alarici Gothi, jam *plurimi pagani Christianis professione admiscentur, &c, &c. & per hoc ad tempus evadunt Christiani*, scribit de qvibusdam Orosius lib. 7: 39. Plura exempla sunt recensita supra in seculis prioribus: Atq; sic *nobis 4tus modus* h. sec. propagatæ ecclesiæ Christi.

V. *Habuit hoc seculum Clarissimos Theologos per qvos ecclesia fuit itidem multis in locis non aucta solum, sed & vulgata.* Scil. vixerunt isto tempore; *Lupus* vir miraculis clarus. *Simeon Stylita* doctrina, integritate ac miraculis toti orbi notus, ut modo dictum. *Pammalius cunctis sapientior, potentior, nobilior, magnus in magnis, primus in primis* ἀρχιστράτηγος *monachorum*, uti scribit Hieron. Epist. 26. *Chrysostomus orbis desiderium. Humilis Severinus* Noricorum doctor, *Ambrosius*, *Hieronimus ac Augustinus*, qvos celeberrimos patres etjam defatigatus recēsendis plurimis, aliis omnibus præponere debui. Per hosce inqvam, modos propagavit Deus hoc seculo 5to ecclesiā suam in gentibus multis aliis: non desperandum igitur qvin per eosdem aut eorum similes alios, idem tunc propitius juvit quoq; nostros Sveo-Gothos.

# CAP. III.

*Ostendit qvomodo nostri SveoGothi per suos populares Gothos exteros, itidem hoc seculo potuerunt juvari.*

Hoc seculo agebant Gothi exteri in *Pannonia*, *Græcia*, *Asia*, *Italia*, *Hispania &c.* ubi Clarissimi doctores tunc vixerunt,

legatur

legatur historia exterorū nostrorūCivilis acEcclesiastica. Nostri itaq; passim locorum eos invisentes non potuerunt non in orthodoxos Theol. incidere; tenetq; me spes certa factū, ut qvoties exierunt, toties doctores invenirent veros, & qvo unqvam ad eos contenderunt, ibi pios ac religiosos viderent sibi paratos. Scilicet credo non tantum nostros confidentius â suis cognatis qvæsivisse religionis arcana, juxta Ezech.24:17.seq. sed & eos de nostris informandis fuisse solicitos ad exemplum Pauli, qvi ostendit qvomodo circa sacra amor curaq; nostrorū nos recte versat, Rom 9:2. *An v. nostri exteros suos* h.t. *inviserint, non est dubitandum*: etenim virtus eorū bellica ut & gloria rerum gestarum jam magnitudine quasi laborans, cum tot incolerent subactas provincias nobiles, cum non modo latis imperiis dominarentur orbi; sed & in imperio Romano jam consules dicerent, jam nominarent imperatores; facile extimulavit nostros ut etiam concitato cursu justis agminibus ad eos advolarent. Avitum virum egregium constituit Theodoricus Gothus Imperatorem anno Christi 445. Ricimer Gothus dixit Consulem Herminianum suum clientem anno Christi 465. imo, Theodoricus ipse Rex totius Italiæ tulit se salutari Consulem anno Chr 484 &c Ad hanc igitur gloriam suorum popularium visendam ac degustandam exiverunt hoc seculo nostri Sveo Gothi frequentes, sicut id ipsum etiamnum docent *in lapidibus*, *cantilenis*, *monetis ac libris* monumenta certa.

*Obj. Si Sveo-Gothi h t. exiverunt, jam Ariani sunt facti; quia Arrianismus ut constat h t inundavit plenis velis totum orbem ac præprimis Imperium Romanum, ubi tunc Gothi victores vagabantur.* ℞ (1) Inundavit quidem tunc plerasq; orbis provincias Arrianismus, at non illico in omnibus provinciis quas inundavit, singulos ille homines infecit. In Africa sub Vandalis ad

mixtisquè iis magno numero *Gothis*, fuit is admodum crudus: attamen sub illis & inter illos fuerunt etiam Christiani orthodoxi quam plurimi, uti constat ex eorum persecutione circa ann. Ch. 439 confer Victorem de persecutione Vandalica lib. 1. & 3. sub finem. In Europa ergo & in Imperio Romano apud Gothos uti is fuit lenior, sic orthodoxorum fuit patientior; imo, hic non parum fuit ille attenuatus tam per orthodoxos, quam per advenientes ex Africa exagitatos pios. (2) Sicut in Africa jam Zenonis Imperatoris intercessione, jam miraculis Christianorum fervens ille Arianismus est cohibitus per Hunericum Regem, nè sæviret in sanctos circa annum Ch. 480. vide eundem Victorem lib. 2. sic mansit ille tanto remissior in Europa, qvod moderatiores hic viverent Principes, & qvi nullis præterea Donatistarum fraudibus concitarentur ad bellum. (3) Qvin & id constat ad reprimendum Arianismum Imperatores Romanos ceu Arcadium, Theodosium &c. varia edicta promulgasse, ut spes omnino sit in Europa eum tunc fuisse aut attenuatum, aut qvoq; per gratiam Dei in multis locis expugnatum. In sanos itaq; Deo dirigente, potuisse nostros incidere. (4) Ac qvid præstiterunt h. t. S. Episcopi, qvi passim per orbem doctrina ac miraculis floruerunt clari? laborarunt tam in revocandis ab Arianismo Gothis, Scythis ac Nomadis, qvã fuerunt occupati in servandis ac restituendis Romanis, Græcis, Persis &c. Qvid *Chrysostomus* præstitit, exscribam verbis Theodoreti qvæ habentur historiarum l. 5. c. 30. *Cum videret* ait, *gentem Scythicam doctrinæ Arianæ laqveis irretitam teneri, molitus est sedulo eam inde eripere. Ad qvam prædam capiendam, hanc viam excogitavit: Complures qvi eadem lingva loqvebantur, Presbyteros, Diaconos & lectores ordinavit, illisq; unam tribuit ecclesiam, qvorum opera multos errore lapsos ecclesiæ reconciliavit.*

*ciliavit. Nam ille ipse plerumq; ad eam ecclesiam profectus cum illis locutus est, interprete utriusq; lingvæ perito usus, aliosq; dicendi facultate instructos ad idem ipsum faciendum induxit. Ista qvidem in illa urbe præstitit, compluresq; errore imbutos veritate doctrinæ Apostolicæ explanata, reduxit. Itemq; cum accepisset Schytas qvi Nomadæ vocantur, qviq; propter Istrum incolebant, sitienter qvidem salutem adpetere, sed habere neminem qvi sitim suam salutaris doctrinæ fluentis restingveret, viros laborum Apostolicorum imitatores conquisivit, eosque illis erudiendis præfecit. Literas autem ejus ad Leontium Ancyræ Episcopum perscriptas, qvibus cum Scythas ad fidem conversos esse significabat, tunc orabat ut viros idoneos ad rectam salutis viam illis monstrandam mitteret ipse quidem legi &c.* hactenus de Chrysostomo Theodoretus. Et quid circa medium hujus seculi præstitit *Leo Pontifex Romanus?* Indixit per Hispanias concilium generale adversus Arianos, ac tamensi in unum locum singuli Hispaniarum Episcopi propter diversos principes non conveniebant; habita tamen sunt passim locorum concilia provincialia, ceu *Bracarense, Tarraconense, Toletanum* (ubi West-Gothi) *Celenense* &c. & in singulis ex informatione Leonis (*diversas esse tres in divinitate personas, Patrem, filium & S. Sanctum, & non unum Deum tantum tribus nominibus efferri*, &c.) non modo damnata hæresis Priscilliana, sed & ad Arrianismum ac Macedonianismum excludendum in perpetuum, superadditum fidei Symbolo de Spiritu Sancto, *quod à Patre Filioq; procedat*, vide Leonis Epist. 97. cap. 1. & seqq. Hæcq; religio tunc constituta mansit ex eo semper integra apud West-Gothos, sicut id ipsum expressis verbis docent eorum concilia posteriora diversis temporibus habita, conf. Concil. Toletanum 4. 8. 11. 12 13. ac consule legum VisiGothic. lib. 12. cap. 11. apud Isidorum. Per eam igitur aucta multũ in Gothis ecclesia Chri-

sti h. e. *Symboli ita aucti* (S. Sanctus procedit à Patre filioq;) *confessione facta est magna ad religionem Christianam accessio: etenim & Gothi & VisiGothi aliaq; barbaræ nationes, quæ Hispanias occuparunt, atq; longo tempore possiderunt ex Arianis sub ejusdem Symboli confessione redditi sunt Christiani*, scribit Baron. ad a. Chr. 441. Et ita quoad VisiGothos per Valentem præcipitatos in hæresin Arianam, ut dictum supra p. 363. ac jam hoc pacto revocatos.

De Ost-Gothis v, qui vixerunt à West-Gothis h. e. diversi, prosperiora habemus dicere, nimirum aut omnes eos aut certe eorum plerosq; vixisse bonos Christianos, nam in suis provinciis aluerunt religiosos monachos ac Diaconos ceu præceptores ac Doctores, & ipsi porro sub eximiis Episcopis pie semper vixerunt. *Narraverunt mihi*, scribit Chrysost. Epist. 69. *Marsi & Gothi Monachi, apud quos Serapion Episcopus perpetuo delitescebat, Meduarium Diaconum venisse, illud afferentem eximium illum virum Uvilam, quem non ita pridem Episcopum creavi atq; in Gothiam misi, multis ac magnis rebus gestis diem suum extremum clausisse, ac Regis Gothorum literas attulisse, quibus ut ad eos Episcopus mittatur, petit*, &c. Unde concludit Baron. ad ann. Christi 405. *Vides plane (non ut pleriq; tradunt, adversus quos superius disseruimus) nequaquam Gothorum ecclesiam omnem Arianorum esse labe fœdatam. Constat sane* (Ost) *Gothos illos extitisse catholicos qui à Johanne Chrysostomo & peterent & acciperent sacratos Antistites*, &c. Et nobis spes magna nostros commercio cum hisce suis exteris Deo benedicente, hoc seculo fuisse auctos ac vera religione beatos, uti in capitis titulo paulo ante scriptum.

## CAP. IV.

*Adfert de Gothis exteris quædam particularia.*

GOthi Exteri habuerunt hoc seculo 5to Christianos tam *Reges quam Episcopos*. Eorum *Christianus Rex* fuit non modo is

do is, qui Episcopum orthodoxum petiit â Chrysostomo, de quo paulo ante, sed & probus fuit *Alaricus* qvi Romam expugnavit circa annum Christi 409. *Theodoricus* qvi Romanos vicit circa annum Ch. 439. &c. &c. *Episcopi vero Christiani* fuerunt apud ipsos *Serapion*, Chrysostomi *Uvilas* & ei substitutus ille *alius*, de qvibus paulo ante; *Sigesarius* qvi baptizavit Attalum (nisi forsan is fuit Semiarianus juxta Sozem. l. 9. c. 9.) *Deogratias Carthaginensis* Episcopus Vandalus aut Gothus, vide Vict. de persec. Vandalica l. 1. & qvi plures Episcopi extiterunt, passim recensiti in historia ecclesiastica. Hi Gothi exteri sub suis Christianis Regibus ac Episcopis fuerunt

*I. Religiosi*, ut qui sub Alarico Marcellam inventasq; Sanctas fœminas alias in expugnatione urbis Romanæ, sedi suæ restituerunt, vide Hieron. Epist. 8. 16 & 154. nam quanquam mala aliqua tunc sint patrata â Gothis, *longe tamen graviora Rom. Populus â suis ipsius civibus accepisse detrimenta quam modo Gothus intulerit*, docet Aug. de C. D. l. 1. c. 16. Et similiter fuerunt religiosi qui sub Theodorico devotione superarunt ipsos Romanos: *Rex hostium usq; ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit, ante bellum in oratione jacuit, ad bellum de oratione surrexit, priusquam manu capesseret, supplicatione pugnavit, & ideo fidens processit ad pugnam, quia jam in oratione meruerat victoriam*, ait Salvian. de provid. Dei l. 7. ubi contra elati ac Dei immemores Duce Litorio sederunt Romani, ac ideo sunt victi.

*II Justi fuerunt Gothi exteri tam Ariani quam Orthod hoc seculo 5to.* Indigna quæq; patiebâtur tunc Galliæ â præfectis Romanis, & incolæ earum ferebant aut excidium continuum, aut gravem proscriptionem, exilia, & torturas &c, fugerunt ergo ad hostes ut vim exactionis evaderent. Unde iterum Salvianus lib. 5. *Ubi & in quibus nisi in Romanis hæc mala? quorum injustitia tanta, nisi nostra? Franci hoc scelus nesciunt. Hunni ab his*

*sceleri-*

*sceleribus immunes sunt. Nihil horum est apud Vandalos. Nihil horum apud Gothos. Tam longe enim est ut hæc inter Gothos barbari tolerent, ut ne Romani quidem qui inter illos vivunt, ista patiantur. Itaque illic Romanorum omnium votum est, nè unquam eos necesse sit in jus transire Romanum.* Una *& consentiens illic Romanæ plebis oratio ut liceat eis vitam quam agunt, agere cum barbaris* &c, adde Baron. ad ann. Ch. 468.

*III. Fuerunt illi pii.* Tu vide in exemplum inter alios Victorium Ducem Regis Evarici, qui Arvernos restituit anno Christi 480. imo, sicut postea domi *Brigitta Vazstenensis fuit Sancta eminentissima*, uti habetur in nupera adprobatione cudendæ regulæ ejus: Sic sperandum & in exteris tunc quosdam pietatis devotione excelluisse.

*IV. Fuerunt illi ordinum observantes.* Theodoricus Rex totius Italiæ nihil detraxit auctoritati, juri aut jurisdictioni Pontificis Romani, uti gloriatur Baron. ad a. Christi 493. aut uti ille iterum ad annum Christi 500 scribit: *res plane digna memoria cum barbarus, Gothus, alienigena, hæreticus, Arianus princeps licet importunis Schismaticorum studiis & illiberalibus eorundem urgeretur assultibus, reveritus tamen culmen Apostolicæ sedis* (ex hypothesi sua pontificia) *ejus se potius protectorem quam persecutorem exhibuit &c.* Talis vero fuit ille ex genio Gothico &c: recte ergo cum intraret urbem magna pompa excepit eum Pop. Romanus, & quidem êxultans, uti scribit S. Fulgentius qui testatur se eam solennitatem oculis suis usurpasse.

Nolo Gothorum virtutes plures recitare aut recensitas pluribus exemplis illustrare: nam pernotum est ex historia Ecclesiastica, quomodo incaluerunt hujus seculi Reges Gothorum pleriq; tam Ariani quam orthodoxi in sua religione serenda ac propaganda; & ideo sæpius utrinq; magna animorum contentione certatum; factum tamen ut vincerent

rent per gratiam Dei semper orthodoxi etiam sub finem seculi contra vehementi zelo concitatos Arianos Ricimerum circa an. Ch. 472. & Evericem circa an. Ch. 475. Alias per vicissitudines legimus Reges Gothorum Exterorum suis placitis ecclesiasticis jam ferbuisse jam friguisse. Id saltem noto *quomodo Gothi his virtutibus dicam an moribus instructi, â Deo subornabantur ad exscindendam inter Romanos gentilitatem etiamnum superstitem*, dum capta eorũ urbe simulacra Deorum aut spoliarunt aut concremarunt. *Quid profuit Christianorũ Imperat. sanctionibus & sæpe promulgatis edictis, iteratisq; crebro rescriptis, claudi templa, aras disjici atq; simulacra confringi jussa fuisse, cum tamen omnibus his contemptis ac pro nihilo habitis, tantum abfuit ut â simulacrorũ cultu se abstinuerint, quod perfractis idolis alia pretiosiora suffecerint, atq; omni genere ornamentorum nobilitarint, insuper & ipsa Deorum simulacra haberent auro & argento conflata. Quorum obduratæ ad impietatem mentis, non est opus è longe petita exempla accersere. nam ante ferme quam editum, antiquatum imperatoris* (Theodosii) *idictum de* simulacris convellendis, destruendis aris &c. *quæ omnia favente gentilibus Euchério derisa atq; delusa* &c. *At non est humanarum virium Dei consilium irritum reddere* &c. coacti ergo Romani, *ut inviti licet Divinæ obtemperarent voluntati, qui jam imperatorũ edicta contempserant*, &c. *& â barbaris coarctati ipsi præstarent quod rogati vel jussi â Christianis principibus ac divinæ legis antistitibus facere contempsissent. Quam par fuit, ut qui Christianis imperatoribus parere renuissent, cogerentur â Regibus barbaris jussa capessere & implere.* Immissiq; Deo disponente barbari in urbem *ut altis fixam radicibus idololatriam funditus extirparent* &c. scribit Baron. ad annum Christi 409.

## Ex quibus omnibus seqvuntur hæ illationes:

I. Quibus moribus abundarunt Gothi exteri, iisdem imbuerunt illi suos domesticos ad sese veniẽtes, si nõ illi in patriam ad suos diver-

erunt ipsi & mores suos illuc intulerunt. modo autem utroq; *fuit orthodoxis* vita ac salus idem finis, juxta Jer. 12.

II. Si Gothi exteri fuerunt hoc seculo Dei ministri in dissolvendis diaboli operibus apud Romanos, circa idolorum cultum ac simulacra, sperabo cum non inscii taliter ministrarent, quod quoq; apud suos domesticos varia idola illi confregerunt ac aboleverunt &c.

III. Imo, sicut Deus hoc seculo convertit ad Christum Burgundiones, Saracenos, Judæos Cretenses, Scotos, Hunnos, &c, sic sperabo quam plurimos nostratium per Deum trahentem ac vocantem tunc fuisse conversos. Confer Baron. de Burgundionibus ad ann. Christi 413. de Saracenis ad ann. Christi 420. De Scotis ad annum Christi 429. de Judæis Cretens. ad annum Christi 432. de Hunnis ad annum Christi 444. Et hæc de thesi nostra (existentia religionis in antiquis Sveo-Gothis) ad præsens hocce seculum Christi 5tum suffecerit hac vice scripsisse.

# CAP. V.

*Docet modos, quibus vera ecclesia propagabatur de gente in gentem seculo Christi sexto.*

I. P*Er bella seculo Christi sexto propagabatur vera religio.* ita didicerunt religionem ac justitiam duo Massagetæ qui fuerunt in exercitu Belisarii, justitia Ducis ambo cœsi, quod interfecissent quendam è sociis sese ebrios irridentem, circa ann. Christi 533. Et ita religionem didicerunt quoq; Persæ sub Cosrhoe, victi â Romanis circa annum Christi 579. Et in multis bellis aliis similiter aucti ac conversi alij.

II. *Per peregrinantes Philosophos est religio hoc seculo propagata, partim per eorum zelum, partim per invidiam,* uti scribitur ad *Philip. 1*: Quamplurimi Philosophi ceu *Damascius Syrus, Simplicius è Cicilia, Eulamius Phryx, Prisanius Lydus, Hermias & Diogenes ex Phænicia, Isidorus Gazæus, aliiq;*, pertœsi Christianam religionem & eorum mores, qui illam colebant, relictis suis sedibus

bus diverterunt ad Persas, persvasi eorum instituta ac mores cœteris longe præstare: Sed ibi cum longe alia invenissent ac sperassent, itineris pœnitentes eorum pleriq; ad antiquos lares, cœteri vero abiverunt ad exteros, scribit Agath. lib. 2. Et per hosce singulos aliquomodo prædicatus Christus.

III. *Contigerunt hoc seculo miracula illustria ac varia.* Crucis vi fracta pocula cujusdam figuli artificis Anno Ch. 548. Puer Hebræus ab incendio servatus a. Ch. 552, aliusq; locutus variis lingvis peregrinis anno Christi 565. Simeon junior habuit donum pellendorum dæmonum circa annum Chr. 574. ut ante ipsum h. e. circa an. Chr. 564. varia miracula sunt edita per Eutychium &c. singula si vera fuerunt, percellentia spectantium ac audientium animos, ut facilius prædicatione Christi caperentur.

IV. *Sunt hoc seculo variæ Scholæ adapertæ*; Nam orthodoxis sic visum fuit illas nunc aperire, partim ne dogmatum suorum discussiones refugerent, partim ut sese contra hæreticos acuerent, scribit Nazianz. orat. in laud. Athanas. Et in singulis ventilata publice dogmata sacra, proficua auscultantibus cunctis.

V. *Imo, lecta hoc seculo variis lingvis S. Biblia:* nam cum Hebræi prohiberent sacræ legis libros alia lingva tradi, quam Hebraica, quo simplicioribus possent suos errores facilius propinare ac instillare, jam Justinianus imperator Novell. 146. non tantum prohibuit quamvis falsam interpretationem judaicam; sed & de hinc nè quo damno sui circumvenirentur, sed contra ut suis lingvis singuli sacrum codicem cognoscerent, circa an. Christi 552. prudenti sanctione sanciit. Et ita Gothica Ulphilæ versio ante recepta, nunc publico edicto q. firmata, certe frequentiori lectioni imperata.

VI. *Fuerunt hoc seculo persecutiones non paucæ.* Furebant in

Christianos Longobardi circa an. Christi 573. nec eis mitiores quandoq; inventi hoc seculo ipsi Gothi. Ut itaq; ex illata omni persecutione contingit, *ut ecclesia fœcundioribus palmitibus propagetur, virescat vulnere, surgat oppressione, crescat excisione, angustiis dilatetur, & ex tenebris illustretur &c.* conf. supra p. 334. & 349. sic putandū & hasce persecutiones ei fuisse proficuas, ac per consequens ecclesiam per eas singulas auctam ac propagatā: nam sicut persecutio Byzacēæ provinciæ h.t. ejecit comite Fulgentio, plures quā sexaginta Episcopos, qui postea præcones Evangelij vagabantur per orbem; sic putandum etiam per hasce persecutiones (Longobardicam ac Gothicam) multos in alias terras missos Evangelij ministros.

Ex quibus omnibus sequitur docilibus nostris fuisse pronam planamque institutionis sacræ viam.

## CAP. VI.

*Depingit hujus seculi Gothorum mores.*

Hoc seculo sexto fuerunt Gothi

I. A*Mantes ordinis ecclesiastici:* Sic docet constitutio Athalarici pro Clero Romano apud Cassiod. lib. 8. c. 24.

II. *Fuerunt illi humani in spectaculis*, & qui toti abhorruerunt á cruentis Romanorum ludis, quomodo in detestationem cruentorum spectaculorum scripsit ad Maximum Epistolam Theodoricus Gothus Rex Italiæ, vide Baron. ad annum Christi 521. & 523. conf. item Cassiod. Var. Lib. 5. Epist. 42.

III. *Fuerunt Gothi liberales erga studia*, quo nomine dedit Theodoricus Basilicæ Vaticanæ cerostrata argentea duo pensantia libras septuaginta, scribente Baron. ad ann. Ch. 523.

IV. *Fuerunt illi docti ac literarum amantes*, non tenuiores saltem homi-

homines, ſed & viri dignitatis regiæ. *Non quidem ipſe ad regium culmen ut adventitius & peregrinus perveni, quippe qvi ex avunculo rege ſim genus ſortitus & pro ejus hic nutritus dignitate, &c. Cum n. in audiendis literarum optimis diſciplinis exercitus & in eas ſtudium meum omne contulerim, contigit ſane ut â bellicis his perturbationibus quam longe ſemotus ad id demum venerim, ut haudquaquam decere me ducam pro terreſtris imperij & bonorum præſentium cupiditate vitam ut in diſcrimine agam &c.* ſcribit Theodahatus Gothus ad Juſtinianum circa annum Chriſti 536. Nec mirum doctos eos fuiſſe qui tunc Caſſiodoro utebantur Secretario, viro in omnibus diſciplinis exercitatiſſimo, uti oſtendunt ejus Bibliotheca nec non divinæ inſtitutiones: imo, quia ipſi docti fuerunt doctorumq; amantes, Caſſiodorum doctiſſimum voluerunt Secretarium & non alium, vide de hiſce Baron. ad an. Ch. 562.

V. *Qua religionem vero fuerunt eorum pleriq; Orthodoxi.* Hermenegildus Lavigildi Regis VeſiGothorum filius ab Arriana hæreſi ad fidem Catholicam ſponte eſt converſus circa ann. Chr. 584. & poſt biennium pro eadem quoq; mortuus: At v. ejus frater Reccaredus totam ViſiGothorum gentem ad veram fidem mox perduxit, dum nullum in ſuo regno militare permiſit, qui regno Dei hoſtis exiſtere per hæreticam pravitatem non timeret, ſcribit Gregor. Turon. hiſt. lib. 8. cap. ult. Huc pertinent acta Conc. Totel. 3. ubi agitur *de Gothorum innovatione in Domino, eorum Sancta converſione, nec non Arrianorum condemnatione*, vide Bar. ad a. Ch. 589. Qvamvis itaq; hoc ſeculo invenirentur paſſim Ariani, & quoq; in Scythia monachi Eutychiani; vicit tamen mox vis Evangelij Chriſti, & hæreſis ariana quæ ante exundans impleſſet Italiam, Africam, Hiſpanias atque Gallias, tanquam torrens in Auſtro exiccata decrevit. Tenetq; me ſpes certa factum (1) ut ſicut hoc

feculo convertebantur *Reges Persarum ac Lazorum* circa ann. Christi 522. *Hunnorum Rex* circa an. Christi 527. *Mauri* circa ann. Christi 534. *Pictones* circa ann. Christi 565. *Judæi multi* circa an. Chr. 579. *Bavari* circa an. Chr. 590. & *Roxani seu Russi*, uti sub finem Tomi VII. scribit Baronius forsan ad hoc idem seculum: Sic convertebantur Dei beneficio itidem aliqui SveoGothi hoc eodem seculo. Quosdam eorum sponte credo dedisse sese Christo, & cœteros non paucos ad hoc faciendum â conversis suis popularibus adactos: Leges Reccaredi quæ vetabant hæreticos militare svb suis signis, credo fregisse multos, nec pauciores advenientes per Chilpericum coactos ad veram fidem inclinare: nam si judæos coegit ille Christo sese subdere, credendum est tanto magis eum conversioni suorum popularium studuisse, conf. Baron. ad ann. Chr. 585. (2) Spero quod sicut Gothi exteri fulgebant recensitis modo præclaris virtutibus, sic iisdem eminebant nostri domestici, quod reformantium vestigia premamus plerique, & quod denique Gothi veteres pro censu virtutum sublimia legantur ubique solvisse.

# CAP. VII.

*Docet modos propagatæ religionis veræ seculo Christi septimo.*

I. *Contigerunt hoc seculo non pauca miracula, testantia Deum suorum agere curam, ac percellentia improbos ut admitterent facilius prædicatum Evangelium Christi*; quid enim ad conversionem faciant miracula diximus supra p. 92. seq. ubi de iisdem egimus aliquanto fusius, & ex quo loco volumus censeri omnia nostra quæ in hoc opere unquam scripsimus de miraculis. Sub initium hujus seculi nimirum anno Chr. 605. teste Sigeberto in Chronico, cum pauper quidam â nautis eleemo-

eleēmosynam peteret nec acciperet, dicente nauclero: desiste eleomosynam *petere a nobis qui nihil præter lapides habemus. Cum subjecisset pauper: omnia ergo vertantur in lapides. jam quicquid manducabile in navi erat, in lapides conversum est, colore & forma rerum eadem permanente*, prorsus juxta Eccles. 4. *Non exasperes pauperem in inopia sua* &c. Circa annum Christi 685. vixit S. Leodegarivs vir in vita ac morte miraculis illustris, si auctori vitæ ejus est credendum; Qui ut alia nunc taceamus, subjicit Leodegario precante percussorem ejus arreptum â dæmonibus & mente fuisse captum, Deo adversus servum suum furentem bestiam Ebroinum sic mulctante: & sic miraculum aspectantes vel audientes non obscuro indice remissos ad Leodegarii Deum.

II. *Intrarunt Angliam hoc seculo Evangelii præcones varii.* Anno Christi 601. est *Augustinus* quidam ab Arelatensi Episcopo ordinatus Anglorum Apostolus teste Beda lib. 1. cap. 27. & ab eo mox duo *Petrus* atq; *Laurentius* Romam remissi ad Papam Gregorium, petitum ut ab eo major numerus verbum Dei annunciantium illuc mitteretur, & sic missi *complures cooperatores* ac verbi ministri, in quibus primi ac præcipui erant, *Mellitus*, *Justus*, *Paulinus*, *Ruffinianus* &c. teste eodem Beda l. 1. cap. 29. Estq; per hos præcones effectum, *ut gens Anglorum operante Dei omnipotentis gratia, expulsis errorum tenebris sanctæ fidei luce sit perfusa*, uti Gregorius scribit l. 9. Epist. 58. ad eundem Augustinum, & Epist. 60. ad Aldibertum Anglorum Regem. Ubi porro post triennium inter hos eorumq; adjunctos celebratum concilium in Bancornabug, ac circa annum 633 ad Paulinum & Honorium Roma Pallium missum, &c. Ut jam multis præconibus ac solenniter missis Deus dignabatur Angliam, sic sperandum eum vel aliquibus fuisse dignatum nostram patriam, nam constat varios pios prædicandi evangelij

gelij causa in varias terras sponte contendisse, quomodo venit ab Oceano vir humilis Valentinus nomine, in Norici urbem Petavionem circa ann. Chr. 650: Et pariter â Romano Pontifice prædicationi Evangelicæ ad gentes mancipatos quosdam, quomodo â Martino gentium prædicationi circa eundem an. mancipatus fuit S. Amandus Episcopus Leodiensis, additis sociis Landoaldo Archipresbytero & Amantio diacono &c.

III. *Ut itaq; hoc seculo Deos juvit Noricum per Valentinum, & Flandros Gendenses ac Pabulenses, Sclavos item circa Danubium nec non Vascones circa Pyrenæos saltus, per Trajectensem Episcopum S. Amandum* conf. Baron. ad annum Christi 661. Sic sperandum nec omni auxilio præconum frustratos fuisse nostros Sveo-Gothos qui hoc seculo septimo vixerunt.

IV, *Sunc hoc seculo multi pij dispersi per varias persecutiones.* Post mortem Edilberthi Angli cum filius ejus Eadualdus regni gubernacula suscepisset, magno tëellis ibi adhuc ecclesiæ crementis ea mutatio detrimento fuit: siquidem non solū Christi fidē is filius accipere noluit, sed & turpissima fornicatione eādem polluit. Auxêre hanc procellā Regis Saberethi relicti tres filii, qui idololatriæ & ipsi studuerunt, & subditis suis fecerūt ejus copiam circa annum Christi 613. Et quæ plures persecutiones fuerunt. Per singulas autem motas in Europa, exagitati sunt qui verbi Evangelium etiam in nostris docere possent: & manet spes certa bonitate divina factum esse, ut etiam apud nostros hoc seculo aliqui Evangelium Christi nunciarent.

## CAP. VIII.

*Recenset sub hoc seculo 7mo quasdam Gothorum exterorum virtutes.*

I. A*Rserunt illi h. sec. studio propagādæ religionis veræ.* Ut itaq; in orien-

oriente & in Galliis Judæi hoc seculo circa annum Christi 614. jussi sunt baptizari; sic studio religionis eosdem etiam invitos fere eodem tempore ad accipiendum baptismum, coegit in Hispaniis religiosissimus Princeps Sisebutus Gothus.

II. *Fuerant Gothi exteri jam omnes catholici:* nam ut semper á primis inde Christi seculis Ost-Gothi viguerant orthodoxi, quod ante probatum: sic in Hispaniis post Reccaretum in religione excepto fermento aliquo Pontificio jam subrepente, sanos extitisset VisiGothos dicit Baron. ad a. Ch. 610.

III. *Clementia vero justitia ac pietas Gothorum illustrari potest exemplo Sisebuti Regis.* Qui pietate insignis, *adeo post victorias Clemens fuit, ut multos ab exercitu suo hostes captos in servitutem, pretio illorum dominis dato absolveret, adeo ut ejus thesaurus redemptio fuerit captivorum, &c.* Ipse insuper *vir moribus sanctus, scientiis eruditus, & in bello manu potens,* scribit in Chronico Lucas Tudensis, conf. Baron. ad a. Ch. 619.

IV. *Ast quam docti fuerunt in divinis humanisq; scientiis, collige ut ante, ex eorum doctissimo antistite S. Isidoro.* Qui anno primo Regis Chintilani *doctor & legum lator Hispaniarum, stans in ecclesia peracto sermone ad populum, & expandens manus, benedicens omnibus, Deo hactenus sibi traditum gregem commendans, felicissimo somno obdormivit in Domino. decoratus quippe extitit sanctitate, spiritu prophetiæ clarus, in eleemosynis largus, hospitalitate præcipuus, corde serenus, in sententia verax, in judicio justus, in prædicatione lætus, in lucrandis Deo animabus studiosus, in expositione scripturarum cautus, in consilio providus, in actu humilis, in mensa sobrius, in oratione devotus, honestate præclarus, semper pro ecclesia & veritatis defensione mori promptus, & in omni bonitate conspicuus. pater clericorum, doctor & sustentator monachorum ac monialium, consolator mærentium, tutamen viduarum ac pupillorum, attritor superborum, persecutor*

*& malleus hæreticorum*, &c. *sidus honestatis, lux morum, sol probitatis* &c. *ex stirpe Gothorum progenitus ille Isidorus, Hispalensium ArchiEpiscopus per 40 annos &c*, scribit de eodem Tudensis, conf. Bar. ad an. Ch. 636. Sub hoc tanto tamq; diuturno Antistite optimo an putas parum profecisse Gothos exteros moribus divinis & humanis? falleris sine dubio, si tenuia de ipsis conjeceris: mihi vero suboritur spes, pro docili eorum ingenio, magnaque præsulis solertia, factum ut inter primos Europæos illi tunc eminerent facile, nostrosq; ad sese venientes quoq; constituerent sibi vel æquales vel fere similes.

*Unde conclusiones ex hujus seculi ambobus capitibus*:

I. *Si Deus hoc seculo septimo convertit Longobardos* circa ann. Ch. 604. *Infinitos fere Anglos cum suo Rege*, circa a. Ch 627. 634. 655. & seq. *Sclavos* circa an. Ch. 632. *Scotos* circa an. Ch 639. sub Episcopis Thomiano, Columbano, Cromano, Dimano & Batano: atq; sub presbyteris Cromano, Hermanno, Laustrano, Stellano &c. *Germanos* circa ann. Chr. 654. per Follianum Forseum, Ultanum, Eloquium, Ettonem, Aldagisum &c. *Flandros & Frisones* jam per Anglos, jam per Gallos circa annum Ch. 665. 678. 690. & 700, *Virtzburgenses* in Germania circa annum Christi 686. per Gosbertum. *Germanos boreales*, ceu *Fresones*, *Ruginos*, *Danos*, *Hunos*, *antiquos Saxones*, *Boructuarios* &c. circa annum Ch. 690. per S. Ecgbertum Anglum, & ab ArchiEpiscopo Eboracensi *missos mox* 12 alios, ceu fuerunt: Villebrordus, Svibertus, Acca, Vigbertus, Villibaldus, Viribaldus, Lebuinus, duo Euvaldi, Verenfridus, Marcellinus &c. *Brabantos*, *Flandros ac quosdam Hollandos* circa an. Chr. 696, ac seq. *Thuringos ac Danos* circa annum Christi 697. &c. vide de singulis hisce Baron. Annalium tom. VIII. *Si* inquam, *Deus per Evangelii prædicationem tot populos, nobisque tam vicinos convertit hoc seculo septimo*, credibile omnino quod etiam ad

nostros

nostros majores radios suæ bonitatis in emittendo Evangelio propitius sparsit: & aut vicinos conversos huc tulisse Evangelij gustum, aut nostros ex eorum provinciis ecclesiisq; eundem in patriam derivasse.

II. *Si istis virtutibus excelluerunt Gothi exteri*, non dubitandum, quin earum aliquibus ornabantur nostri domestici. Nam ut earum pleræque putantur nostris nationales, sic cultum cœterarum certe qualemcunque, recte creduntur nostri invenisse missum â suis popularibus exteris: hunc quippe commerciorum inter eosdem fructum nos hic urgemus æq; ac in superioribus, nec falli nos putamus hic vel in antecedentibus usquam, *in hac illationis spe cara & probabili.*

# CAP. IX.

*Narrat modos propagatæ religionis veræ seculo Christi octavo, & annis aliquot post, pertinentibus ad seculi noni initium.*

I. D*ispersi sunt multi Boructuariorum Christianorum* circa initium hujus seculi propter Saxones, vicinos intolerabiles. Cum diu commisissent utrinque (Saxones & Boructuarii) *magna depopulationis excidium, Boructuarij & præcipue Christiani, qui â S. Suviberto verbum Dei receperunt, perpendentes quod Saxonum potentiæ resistere non possent, vale dicto S. Suviberto, & accepta ab eo benedictione, coacti migraverunt in exteras provincias, ut liberius ibidem Christo servirent*, &c. scribit Marcellinus in Suvibertum c. 22. Spes igitur affulget magna, horum quosdam ad nostros majores adpulisse, quod â sede ipsorum nostri non viverent multum remoti.

II. *Exivit S. Corbinianus anno Christi 716. præco Evangelij in gentes per orbem.* Coactus inquit Aribo ejus successor, *Sacerdotalem suscepit benedictionem, acepto etiam pallio cum benedi-*

*ctione, &c, ut ubique prædicationis officium exercere in toto orbe posset* &c, vide Sur. tom. 5. die 8. sept. Venit igitur forsan is in Sveo-Gothiam. Sed sit eum huc non venisse, potuit tamen fama Evangelij ejus ad nostros venire, quod cito ea volet 1. Thess. 1:8.

III. *Accivit S. Bonifacius ex Anglia in Germaniam varios viros, variasque fœminas*, in consortium præconij Christi. *Vir beatus prædicans & baptizans apud Thuringos & Cattos sive Hessos, vidit multam ibi extare messem, sed operarios paucos, & qui tantæ credentium multitudini non sufficerent. Misit igitur in patriam suam & accivit non modo viros religiosos & multivaria eruditione præstantes, sed etiam fœminas. In his præcipui fuere Burchardus, Lullus, Vilibeldus, Vilibaldus & ejus frater Vuitta & Gregorius. In fœminis autem religiosis matertera S. Lulli Cunigildis, & filia ejus Bergictis, item Cunitrudis, Tecla, Lioba, & Valburgi, &c.* quæ postea subsederunt inter Thuringos, Bojoarios, ad Moganum fluvium, nec non Ochnofurti & Biscopheimi &c. vide de his singulis Bar. ad an. Ch. 725. Ne nunc nominem cœteros qui venerunt circa an. Ch. 740; & quos alios ipse Bonifacius passim per Germaniam ordinavit Evangelij ministros. Horum jam singulorum voces an putabimus Speciæ fuisse præclusas? spem majorē pollicetur nobis gratia Christi, & eam acceptat in nobis propter rationes probabiles, caritas Christiāa.

IV. *Movit Constantinus Copronymus h. t. magnam persecutionem in Christianos, & præsertim Monachos, circa annum Christi 760.* Hæc persecutio dissipavit eorum plurimos; credere igitur possumus quosdam Deo benedicente, pervenisse in SveoGothiam: quomodo itidem speramus aliquos dispersos post per Constantinum qui deposita Irene regnavit solus circa an. Ch. 705, huc venisse Evangelij præcones: dira enim fuit illorum annorum persecutio, & vetiti monasteriorum præfecti recipere tectis eos, qui Dei causa patiebantur persecutionem, uti habet ad hunc eundem annum Baronius. V. *Et*

V. *Et quid præstitit Carolus Magnus cum adhuc tantum Francorum Rex esset circa seculi hujus finem?* Utebatur religionis causa Offa Rege Merciorum in Anglia, amicissime: & scripsit porro ad varios transmarinos amice, præterquam quod largitas ejus toto orbe Christiano pro pauperibus fuit effusa. *Circa pauperes sustentandos & gratuitam liberalitatem (quam Græci eleemosynam vocant) devotissimus, ut qui non in patria sua solum, & in suo regno facere curavit, verum trans maria in Syriam, & Ægyptum atque Africam, Jerusolymam, Alexandriam atque Carthaginem ubi Christianos vivere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat. Ob hoc maxime transmarinorum regum amicitiam expetens, ut Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac revelatio proveniret* &c. habet in vita ipsius Eginhardus. Et sic Caroli nomen etiam hoc seculo per literas, certe per eleemosynas, nostris commendatum: Et desides profecto fuerunt nostri si ad eum videndum, quærendum, &c. plures catervatim non exiverint.

## CAP. X.

*Narrat aliqua partic. de Gothis exteris, qui hoc seculo 8vo vixerunt.*

I. H*Oc seculo octavo sub initium habuerunt quidē Gothi in Hispania* Witizam regem libidine ac tyrannide fœdum: corrupti itaq; sunt nonnihil sub ipso, sed mox ab aliis Regibus piis revocati, uti habet Baron. ad an. Christi 701. ac præsertim revocati sunt per quendam Pelagium ante Theodorici Spathariū sed mox Regem, qui ad Offam Archiepm Vitizæ filium, in suam à Saracenis subornatum perniciem, dixit: *Tu & Fratres tui cunctos subvertistis & Christi ecclesiam dejecistis, & propter scelera patris vestri, qui peccare coegit gloriosam gentem Gothorum reliquit Dominus ecclesiam suam* &c. uti habet Tudensis. Ipse vero sperans in Dominum, potitur ingenti victoria de Saracenis.

 II. *Pepere-*

II. *Pepererunt antiqui Reges Gothorum in Hispania suis successoribus, ut* cognomento dicerentur Catholici; Nam sicut Reccaredus Gothus primus fuit, qui in Concilio Episcoporum Catholicus est adclamatus, quod catholicam fidem in Gothos suos gentiles propagasset: sic post eum extiterunt ibidem re catholici plures, singuli etiam hoc seculo octavo propensi in juvandis suis popularibus ad se exeuntibus.

III. *Ordines autem varios inter Gothos jam tum institutos fuisse habuimus in antecedentibus*, & similiter notũ, quomodo Alphonsus Castus plures adjecit, pluraque sancta templa pius condidit circa an. Christi 790. Credibile igitur in similes ordines propendisse olim nostros, & sua illos habuisse templa, qualia ferrent eorum tempora molesta.

IV. *Alias fuerunt hoc seculo in Gothis exteris viri eruditissimi & religiosissimi.* Consulantur concilia Toletana varia, & adparebit plurium tam pietas quam religio. Nos hoc loco ut singulorum exempla subjicere non possumus, sic pariter temperamus â recensendis multis, brevitati studentes: non possumus tamen non in rei fidem producere Archiepiscopum Toletanum Elipandum cum suis συνεργιstis, ac ἀνταγωnistis, de quibus in concilio Frankofurtensi generali. Elipandus asseruit in quodam scripto, *Christum Dei filium quod ad humanitatem spectat, dicendum esse adoptivum & non proprium ac naturalem:* unde consequentiam nectebant alij *duas in Christo esse personas, & duos filios, alterum naturalem, alterum adoptivum &c. quod Nestorianum & contra concilium Ephesinum:* Sic tamen damnata ista aliorum consequentia seu manifeste impia, ille propositionem suam defendit per summum eruditionis acumen, ut negocium facesseret non modo Episcopo Etherio & Presbytero Beato, qui in ditione sua ei sese opposuissent, sed & patribus cunctis in concilio

Franko

Frankofurtensi congregatis. Ejus vero adversarij ac præsertim duo modo nominati, Etherius ac Beatus, quanti viri fuerunt, quave eruditionis dexteritate ornati? *Luxerunt ambo in his tenebris & c faces divinitus accensæ*, scribit de ipsis Bar. ad annum Ch. 783 Fidem ergo hi una cum adversario Elipando facile faciunt, extitisse hoc seculo octavo viros eruditos inter Gothos, sicut nos modo scripsimus. Quod autem hi *deinde* singuli Gothi fuerũt, arguit primum locus Toletũ sedes etiamnum Archiepiscoporum Gothorum in Hispania: Sed multo magis id ipsum arguunt utrinq; paratæ Gothico Charactere lucubrationes aureæ, quas in archivo Eccesiæ Toletanæ servatas se legisse testatur Ambrosius Morales ejus regionis quondam historic⁹ regius, conf. Bar. loco modo alleg. Credendũ itaq; doctos Gothos exteros docte informasse advenientes h. t. nostros: & nostros porro hanc de filio Dei velificationem versasse animis tanto fidelius, quanto eadem qua linguam ac characteres eis fuit tunc pronior ac mox familiarior.

## *Unde rursus Conclusiones ex duobus proximis capitibus deductæ.*

I. *Si Deus hoc tempore & seculo convertit Brunsvicenses* circa ann. Ch. 705 & 711. *Boructuarios* circa ann. Ch. 705. *Frisios* circa an. Ch. 722 & 755. seq. *Thuringos* circa a. Ch. 719 & 724. *Saxones* utpote 15. vicibus rebellantes uti scribitur in historia Lotharingiæ, tot si non pluribus vocationis vicib. repetitis circa varios annos hoc eodem seculo. *Bulgaros* circa annum Ch. 777. *multos judæos* circa annum Christi 787. & *Hunnos seu Avares* circa annum Christi 795. jam sperandum Deum per suam bonitatem, etjam nostros Evangelij prædicatione beasse, quod omnibus is sit propitius Esa. 5: 4. seq. & cunctis pulsantibus aperiat Apoc. 3: 20.

II. *Quibus moribus h. seculo vixerunt exteri Gothi, ijsdẽ sperandum præditos fuisse nostros domesticos:* idq; non saltem propter commercium

mercium inter utrosq;, sed quod quidam ex illis moribus sint nostris q. naturales ut modo dictum; & cœteros quod credamus nostris fuisse instillatos per exterorum singularem zelum, quo etiamnum illorum posteri flagrant, & quem nos hodieq; sentiremus, nisi nobis novæ illuminationi confidentibus, & illis inveteratis quibusdam placitis adquiescentibus, religio inter utrosq; tantum obicem interponeret.

# CAP. XI.

*Diluit quasdam objectiones quæ adversus nostra superiora possunt urgeri.*

I. *Negat Augustinus sub initium seculi quinti adhuc in toto terrarum orbe prædicatum fuisse Evangelium Christi. Sunt apud nos* ait, *h. e. in Africa, barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum prædicatum esse Evangelium, ex ijs qui ducuntur captivi, & Romanorum servitiis jam miscentur, quotidie nobis ediscere in promptu est*, &c. Epist. 80 ad Hesychium. *Quorum similia dicent alij de antiquis Fennis ac Laponibus, imo etiam de SveoGothis primorum Christi seculorum. Consequens igitur juxta eorum adprehensionem, minus recte â nobis factum, quod supra passim speravimus imo, probavimus hic fuisse aliquam ecclesiam.* ℞. (1) Opinio Augustini ut & aliorum ejus in hoc argumento similium, est prorsus contra scripturam, vide supra pag. 394 non igitur est audienda, nedum ut vera admittenda (2) Nam temere judicant illi de tota gente ex aliquot gentis individuis: excutienda essent ante gentis singula individua quam de tota gente ferretur judicium. (3) Sit quoq; in aliqua gente hoc aut illo tempore non inveniri Evangelij prædicationem publicam imo, nec uspiam *si possibile* privatam, an propterea temporibus ante, ac maxime sub initium Novi fœderis quando repetebatur per indebitum Dei favorem, Evangelij prædicatio universalis, non fuit illi genti prædica-

tum?

tum? annon amitti potest Evangelij prædicatio? Quemmodum modo ex scriptura audivimus olim *prædicatum fuisse Evangelium omni Creaturæ* redemptæ ac judicandæ Marc. 16: per *orbis terrarum fines atq; extremitates*, Rom. 10: &c. sic Euangelium *neglectum, spretum, rejectum &c.* rursus posse amitti, itidem ex scriptura nobis constat ut certissimum, consulatur sup. p. 63. seq. Nulla igitur consequentia: *Evangelium non auditur hic hoc seculo, E. non fuit superiori hic prædicatum*; quia id quod superiori seculo hic fuit prædicatum jam potest esse per peccata populi amissum. (4) Est etiam scriptor Historicus qui Augustinum in hac sua opinione refellit: Sane temporibus Genserici Vandalorum Regis in Africa, in interiori Mauritaniæ parte, in regno Capsur passim cœptum fuisse Evangelium prædicari, rectius nova gratia rursus repiti, occasione confessorum illuc relegatorum affirmat Victor de persecut. Vandal. lib. 1. & de nostris majoribus affirmarent idem Victores alij, si eos rerum suarum illi invenissent scriptores. (5) Ut igitur teste Victore, Confessores relegati per Africam sparserunt Evangelium in loca remotissima sub persecutione Vandalica; sic sparserunt confessores relegati per Europam idem Evangelium in remotas omnes oras nostras, prorsus sicut nos (ut nunc cœteros modos propagati Evangelij taceamus) supra passim recte scripsimus.

II. *Obj. Nemo veterum scripsit: Antiquos Sveo-Gothos seculis Christi primis fuisse Christianos.* ℞ (1) Veteres exteri historici civiles parum sciverunt de nostris domesticis cuncta memorare, & nostrates ipsi aut de sese hæc siluerũt, aliis negociis impediti; aut infeliciter amiserunt quos laudum suarum præcones ante domi invenissent, uti passim supra per querelas indicatum. (2) Nequaquam licet argumentari *à negatione scriptionis ad negationem rei*; nam infinita sunt omni tempore quæ

ſcriptionem merentur; nec tamen unquam in literas referuntur. (3) Nos autem hoc tempore hæc ſcimus quoad ſeculum primum ex indubitatis ſcripturæ teſtimoniis, jam per lucem Dei rectius intellectis, vide ſup. p.394; & quoad ſecula ſequentia ex facie œconomiæ divinæ, ut modo dicetur.

III. *Obj. Unde igitur poſſumus noviſſe hæc de Sveo-Gothis? & referenti talia de antiquis noſtris ex ſuo, an credendum?* ℞ (1) Ex defectu hiſtorici non eſt res memorabilis neganda, ut modo dictum. (2) Hæc vero noſtra de antiquis noſtris gentilibus, ut ut non arceſſantur ex hiſtorico aliquo antiquo; derivata tamen ſunt eadem ac petita ex facie œconomiæ divinæ in antiqui temporis eccleſia plantanda, ſerenda ac regenda. Quæ ratio probationis etſi neceſſariæ concluſionis non ſit propter *Dei libertatem, mirabile judicium, ac quandoq; extraordinariam gratiam*, &c, talis tamen illa eſt, quæ ſæpe multos hiſtoricos per ſui temporis ſpectatores probe refellit; imo, quæ etiam in futuris ac multis poſteris valet communi ſua notione probata, niſi eo certiores indices producantur, qui docere poſſunt illam hic aut illic Deo diſponente variaſſe. Atq; cum tales nulli certi & à præjudiciis vacui hic de noſtris reperiantur: Nos igitur ex communi œconomiæ divinæ notione excerpta ex populis aliis, recte in illis priſcis temporibus ſtatum majorum noſtrorum metimur, conf. ſupra pag. 394. Hypomn. 2.

IV. *Obj. Qui antiquis temporibus in Sveo-Gothia fuerunt Reges, illi fuerunt idololatræ, uti notum ex antiquis noſtris monumentis.* ℞ (1) Id nondum eſt probatum de ſingulis, & fortaſſis præjudicium eſt, quod ſic loquitur de univerſis. (2) Sit deniq; omnes antiquos noſtros Reges fuiſſe idololatras, an propterea more modoq; illorum cuncti ſubditi idololatræ? annon uſq; ad tempora Conſtantini Magni in Imperio Romano ferme

me omnes Imperatores idololatræ? & tn. sub eis infinita multitudo Christianorū? potuerunt similiter in nostris sub Regib. idololatris, multi Christiani extitisse. *Inst* (1) *vehemens fuit olim paganismus in nostris priscis, & talis qui etiā homines decoxit*, vide sup. p. 250. (2) *fuit is insuper diuturnus: nam ante seculū Christi gnū non sunt Upsalienses Dii extirpati.* ℞ Nunquā fuit ille tam vehemens, quin posset Deo dirigente, & quin deberet Deo jubente, leniri. Ut itaq; idolorum delubrorūq; sentina Roma olim sub suo fervore aluit multos Christianos; sic potuit fervens Upsalia olim tulisse in sese aliquos sanctos: imo sicut in Galliis quāquā homines itidem ibi diu mactabantur, fuerunt infiniti Christiani, *hostias humanas cæderunt Franci non tantum cum adhuc essent idololatræ, sed nec post ut facti sunt Christiani, ab iisdem omnino statim recesserunt*, scribit Proc. de bello Gothico l. 2. sic potuerunt in Sveo-Gothia multi Christiani extitisse, tametsi Upsaliæ ex veteri instituto pagani alij cruento libamine Diis offerrētur. Et vis exēpla plura? in Rhodo fuit idolum Veneris usq; ad seculum Ch. 5.tum. Gazæ adhuc diutius extiterunt templa, Solis, Veneris Apollinis, Hecates, Hierionis, Tychionis, Marnionis, teste Baron. ad annum Christi 401. In monte Cassino circa ann. Christi 529. fuit etiamnum vetustissimum Apollinis fanum, cum lucis dæmoniorum circumquaque, teste Greg. Dial. l. 2 cap. 8. Cosrões Persa coluit ignem anno Christi 579. & quidam Longobardi eodem tempore caput Capræ. Svevi coluerunt suum Vadonum, forsan Vodanum ·/. Mercurium interprete Baron. ad ann. Christi 612. Frisij habuerunt delubra jovis & Fostæ circa an. Chr. 695. Anno vero 696. Marti etiamnum sacrificarunt Hollandi: Sicut præterea Saxonibus anno Christi 780 superstes fuit etiamnum eorum Krodo, teste Kranzio lib. 2. cap. 7. &c. Sic inquam tenuit diu multos populos eorum idololatria: Sed annon tamen inter

eosdem sub illâ aliqui sancti? & an cuncti in qualibet gente idolelatræ, donec dejicerentur eorum delubra? non convenit ita opinari, cum meminerimus bonitatis divinæ, & docent porro aliter hanc rem omnium temporum historiæ. Quemadmodum itaque hi nominati populi aluerunt inter sese multos fideles, cum maxime in cœcitate sua insanirent; sic non negandum superstite adhuc in nostris publico idolorum cultu, fuisse hic Christianos: imo, sicut testantur historiæ aliquot seculis extitisse in illis fana, postquam gentes singulæ majorem sui partem essent ad Deum conversæ; sic non urgendum est tamdiu nostos singulos vixisse idololatras, quamdiu hic residua habebantur delubrorum fana: Extitisse autem antiquis illis temporibus in nostris aliquos pios non ipse modo ut Christianus per caritatem spero, sed & ex œconomia divina eorundem temporum persvadere aliis quæro. præstat namq; sub tempore gratiæ in nostris obscuris antiquis gratiam Dei commendare, quam negare, & gratiam prædicationis ampliare, quã coarctare, &c. nam etsi comeruerunt majores nostri ut gentes aliæ, in æternũ Evangelio privari, eorũq; delicta sic recte luerunt aliquot seculis post eorum posteri: est tamen *Dei misericordia magna, & placatio revertentibus ad eum Syrach 18: 1.* imo sicut *miserationes Domini non finiuntur, sed sunt novæ singulis matutinis, Thren. 3: 23.* sic credendum novitatem earum etiam nostrorum quosdam primis & sequentibus seculis fuisse expertos.

V. *Obj. Non siluissent veteres Pontificij qui effusi sunt in patrum vitiis adornandis, si intellexissent aliquem ante S. Ansgarium huc venisse Evangelij præconem; sed sicut eum in literas retulerunt sic etiam retulissent eum anteriorem, si quem ipso priorem habuissent.* ℞ Primos Evangelicos præcones aut ignorarunt Pontificij illi aut non ignorarunt. Si istos ignorarunt, de ipsis nihil scribere

bere potuerunt; & credibile multa olim præclare fuisse facta in ecclesia Dei, quæ non sunt literis mandata, præterea etiam non pauca scripta, post temporis injuriâ deleta, &c. Sin autem sciverunt illi de nostrorum primis præconibus Evangelicis, & tamen contra morem suum â scribendo abstinuerunt, sciendum est illos non aliam ab causam illos silentio involvisse, quam quod per pontificem Romanum non videbant esse emissos, juxta dogma quod improbat, imo, negat efficacem quamvis Evangelij prædicationem, quæ non est aperta per clavigerum ut ajunt, Petrum: Indignantur nimirum si audiant ullam gentem esse conversam per alium, quam per emissarium Papæ, quia vident reptu ejusdem gentis claves sui Domini esse vanas, &c. Unde Baron. ad annum Christi 650, *neminem adgredi ad gentes prædicationem consuevisse, nisi â Romano Pontifice missus esset, præter exempla plurima, etiam vetus docet monumentum in actis S. Valentini tabula plumbea expressum*, quod sic habet: *Venit ab oceano vir humilis, Valentinus nomine, in Norici urbem Patavionem, idque animo apud illos prædicandi &c. ita intra se cogitabat: non debet concionandi munus quisque sibi usurpare, nisi Apostolicæ auctoritatis jussione &c. hæc dicens adiit Pontificem Romanum, qui eum honorifice & reverenter excepit, libenterq́; eum audivit, & Apostolica auctoritate ejus studium prædicandi confirmavit* &c. imo, sic tuentur Romanenses hoc suum dogma, (de prædicatoribus solum emittendis â Papa) ut obstrepant etiam Hispanis, variis antiquis auctoribus ac insuper Pontifice Callisto urgentibus Apostolum Jacobum in suas terras venisse Evangelij præconem, antequam quisquam alius Româ â Paulo aut Petro *ut illi ajunt*, illuc mitteretur Apostolus

Dedignabantur itaq; veteres pontificij literis primos quosq; nostros prædicatores, de quibus eis constabat, non in rei negationem, sed ne ullam prædicationem illegitimam (ut opinabantur) unquam aliquo scripto vulgarent.

VI. *Obj.*

VI. *Obj. Annon S. Ansgarius qui vixit sub initium seculi Christi noni fuit Svecorum Apostolus? & sic illi gentiles, usq; ad ejus adventum?* ℟ Ut Palladius qui vixit sub initium seculi 5ti dicitur Scotorum Apostolus, etsi Scoti longe ante ejus adventum essent ad Christum conversi, *Romanis inaccessa loca patuisse Christo* testatur Tertullianus, lib. adversus Judæos cap. 7. conf. Baron, ad annum Christi 429, Sic putandum longe ante adventum S. Ansgarii, nostrorum multos fuisse itidem ad Christum conversos, etsi ille vulgo Svecorum Apostolus salutetur. Nimirum sic dicitur ille nostrorum Apostolus, non propter prædicationis rationem, ut modo dictum, sed propter missionis amplitudinem: imo, sicut in Scotia oblicerata fuit memoria eorum, qui solenniter erant missi â Papa Victore, longe ante tempora Palladii, utpote qui demum illuc venit diebus Cœlestini Papæ: sic silentio involuti sunt in nostris, quotquot tempora Ansgarij antecessissent, sive publica authoritate illi accessissent missi, sive venissent sponte, & zelo privato concitati. Sicut igitur ante Ansgarium Ebbo Rhemorum ArchiEpiscopus, consilio Imperatoris & auctoritate Pontificis destinatus Danorum Apostolus, uti scribit Aimon lib. 4. cap. 3. privatus fuit Apostolatus titulo, quod in Apostulatu suo non perseveravit & quod molitionibus adversus Imperatorem Ludovicum postea fuit infamatus, docente Baronio ad annum Christi 826. sic putandum Apostolatus titulo privatos itidem alios, quos majores Pontificii ab aliquas causas eodem in nostris dedignabantur; imo, sicut Ansgarius vulgo dicitur ac scribitur Svedorum, Danorum ac generatim omnium Aquilonariũ Apostolus, apud eundem Baron. ad annum Christi 822. & 826. & tamen ante ejus adventum constat infinitos Danos esse conversos, non tantum per Ebbonem Rhemensem, sed & seculis aliquot ante, confer supra pag. 422. sic tenendum multos pariter

Sve-

Svedorum fuisse ad Christum cõversos longe ante Ansgarij adventum, quamquã is postea ob certas rationes politicas aut ecclesiasticas vulgo dicatur ac scribatur Svedorum Apostolus: Recte igitur septentrionales nostros Svedos ac Danos prædicationis Evangelicæ gratia tentatos ab Ebbone & longe ante â Villebrordo, testatur expressis verbis Adamus lib. 1. cap. 51. Non primus igitur præco Evangelij apud nostros fuit Ansgarius, quamquam *qua missionis auctoritatem, & operis prosperitatem &c. uti dictum* ille nostrorum Apostolus vulgo celebretur. imo pium fuisse Regem Beronem ante adventum Ansgarij dicit Ordin. nostra Ecclesiast: in suâ præfat. quemadmodum etiam absque notitia prædicationis is non potuit prædicatorem certum vocare, conf. cap. seq.

VII. *Obj. Quales hac periodo essent Sveo-Gothi, docent eorum coloni Longobardi more majorum patriâ egressi: at illi ab aquilone venientes fuerunt truces ac terribiles, docente Gregorio Dialog. lib. 3; cap. 38 addito Baron. ad annum Christi 567. & 573.* ℞. (1) Continua militia quosdam efferari, non videbitur cuiquam mirum; excusabile igitur quod Longobardi seculo altero â suo exitu, proclamentur â suis hostibus *truces, crudeles*, &c. (2) Fuerunt Longobardi seculo Christi sexto Christiani, uti docet Procop. de bello Gothico lib 2. haud dubitandum igitur eorum feritatem per ipsum Christianismum qualitercunque statim delinitam: (3) Etsi denique eorum quidam ex eo videantur extitisse aut gentiles, aut Ariani, juxta opinionem Gregorii in Evang. hom. 1. & dialog. lib. 3. cap. 26. seq. tamen putandum etiam hosce affectus mitigatos per eorum vel religionis notitiam, vel insitam bonorum morum rationem, conf. Baron ad ann. Christi 573. (4) Et sine dubio, boni fuerunt Longobardi, qn. sacra ædificia erexerunt, quando pontificem Romanum juverunt &c. Et annon anno Christi 744 bonus

nus fuit Luitbrandus Longob. Rex, *vir multa sapientia, consilio sagax, pius admodum & pacis amator, bello potens, delinquentibus clemens, castus, pudicus, orator, pervigil, eleemosynis largus, literarum quidem ignarus, sed philosophis æquandus, nutritor gentis, legum augmentator &c.* docente Paulo Diacono. Sc. habuit is sua vicia ut homo, sed tamen enituit multis virtutibus ut Christianus & Gothus. ex Sardinia quippe transtulit ille corpus D. Augustini. construxit inde multas basilicas ac monasteria seu Divo Petro unum Ticini, & Olonnæ aliud Anastasio Martyri: Intra vero suum palatium non modo oraculum Salvatoris ædificavit; sed & sacerdotes & Clericos instituit, qui ei quotidie divina officia decantarent, conf. Baron. ad annum Christi 744. nec non Paulum Diacon. de gestis Longobar. lib. 3. c: 2. ubi amplissimis verbis eorum virtutes narrat.

Manet igitur firmum longe ante tempora Ansgarij, h. e. longe ante initium seculi noni, qn. Ansgario auctore Evangelij prædicatio vulgo scitur in patra nostra audita, hic fuisse Evangelium Christi, & multos per idem ante collectos ac salvatos, prout hactenus per varias theses refutatis contrariis opinionibus, fuse satis probavimus. Nec mirum ad boreales nostros primis illis seculis aut ante volasse Evangelij sonum: *nam si* (1) *Salomonis sacram supellectilem* tulit Deus de gente in gentem transferri: *quondam Romam translata capiebatur per Alaricum seniorem Visigothum, sed perdebatur postea per Alaricum juniorem, & veniebat in manus Francorum,* scribit Procop. de bello Gothico l. 1. (2) *si vasa templi Jerusolymitani* tulit Deus per omnes tres terrarum orbis partes circumferri: Titus transtulit illa Romam, Gensericus postea abstulit ac in Africam detulit, sed postea auspicio Justiniani eadem recuperavit Bellisarius, ac Constantinopolin deportavit, teste Procopio de bello Vandalico lib. 2. Si inquam, *supellectilem Salomonis & vasa templi*

*ſa templi Jeruſolymitani* Deus ſic olim circumtulit de gente in gentem, magis in ſui nominis aliquod præconium, quam gentis judaicæ opprobrium: quanto magis fecit Deus verbum ſuum circumferri de gente in gentẽ, de una orbis terrarum parte in aliã &c, poſtquam ſublato pariete intergerino non modo ſanciit, ut id ſtatim vulgaretur Marc. 16. Coloſſ. 1. Rom. 10. ſed & propitius ordinavit ut inter divulgandum curreret celeriter, quo latius poſſet brevi tempore ſpargi Pſal. 147. Ezech. 37. 1. Theſ. 1: 8. Nobis igitur ſpes eſt certiſſima, ante tempora S. Ansgarii infinitos populares domi in Domino pie obdormiviſſe.

Et cur non ſic ſperarem? Deus convertit Chinenſes non tantum ſeculo primo per Apoſtolum Thomam, ſed & prædicatores alios illuc miſit poſt ſeculis diverſis. Poſt Thomam primus Evangelij propagator in China fuit Olo Puen ex judæa circa annum Chriſti *626.* evanuit vero brevi ejus prædicatio per oppreſſores ac perſecutores: ſed tamen reſtaurata eſt anno Chriſti *719.* per Epiſcopum Johannem & alium magnæ virtutis virum, dictum Kielie. Tertia autem quod conſtat, legatio virorum Apoſtolicorum illuc venit ope ſtellarum id eſt, itinere maritimo circa annum Chriſti 757. Sic ſcribit Kirkerus in ſua China part. 1. p. 40. aut quemadmodum eadem deducit parte ſecũda p.m. 51. dum dicit: Chriſtiani ſub Diocletiani & Maximiani perſecutionibus properarunt in Chinam, quemadmodum anno Chriſti 600. propter furorem Mahumedis illuc fugerunt ſacerdotes Syri & Babylonii plures. Pariter ab Ægypto & Æthiopia iverunt tunc multi in Indiam, quorum non pauci poſt inde transmiſerunt in Chinam, ob frequens inter illas provincias negociorum commercium &c; Unde infero: (1) Si Deus populos tam procul diſſitos juvit olim Evangelij prædicatione, jam

juvit utique noſtros â terra ſuorum Apoſtolorum minus remotos. (2) Si eadem Deus beavit orbem hactenus diu ignotum, jam tanto magis iſta glorificavit noſtrum cognitum, & in quo non ſolum ipſe voluit naſci, ſed & in quo ſuos pleroſq; Apoſtolos ac diſcipulos poſt exantlatos varios labores cumprimis fecit denaſci. (3) imo, ſicut cum Tartaris multi Chriſtiani ſunt ſæpius introducti in Chinam, authore eodem Kirkero p. 37. ſic non dubitandum quin cum peregrinantibus noſtris Sveo-Gothis militibus, ſponſis aut ſtudioſis &c. multi Chriſtiani ſint itidem olim in Sveo Gothiam invecti. Adde poſtea noſtra ſuperiora: Nec falleris, ſi ſimiliter credideris ante tempora S. Ansgarii hic in Svecia fuiſſe prædicatum Evangelium Chriſti.

# CAP. XII.

*Docet modum prædicationis publicæ apud noſtros reſtitutæ per S. Ansgarium ſub ſeculi noni initium.*

MOleſtiſſimum eſt hoc caput explicatu, & ego in eodem exponendo fere conſilii inops, cum alia atque alia tradant auctores, *circa tempus, perſonas ac rem ipſam*, multum diverſi. Me igitur adhuc fluctuante, audiantur de eodem interea alij: Ordinantia noſtra Eccleſiaſtica in præfat. ſcribit ad exemplum Regum aliorum &c cœpiſſe Reges quoq; Svecicos plantare religionem ſacram, ſåſom nåmbliga K. Biörn / hwilken genom infallade Predikare S. Ansgarium och andra här i Rijket låt Predika Christen tro / och åter en godh tijd ther effter / låt Konung Stenkil kalla här in i Rijket Predicare / synnerliga dhe twå Adelward och Staphan / och efter honom beſtålte K. Olof här in af England den fromma Biſcopen S. Sigfred medh hans föllieslagar / &c. Explicatius hæc eadem tradit Reverendiſſ: q. Regni Archi-Epiſc. M. Laurentius Nericienſis, qui in hunc fere modum de hoc argumento loquitur:

Heroth

Heroth habuit unicam filiam Thoram, quam duxit Regnerus Danus ex qua suscepit multos filios. Herotho successit quidam *Carolus*, sed quia is non fuit regiæ stirpis, hinc oppugnavit illum Regnerus spe potiundi regni propter suos filios, & eum quoque in acie trucidavit. Carolo igitur successit Regneri filius *Bero*, susceptus ex Thora Herothi filia: Sub hoc Berone pacifico dicitur Ansgarius venisse in Sveciam: nec tempore ejus fuit aliquod bellum, sed tantum motus ob religionem. Dubitatur vero hic an nominatus Bero fuit Regneri filius? Saxo dicit Beronem Regneri ejectum ex Svecia properasse in Norvegiam, ac mox sociis fratribus, inde Svecis bellum movisse. A Berone tamen dicitur Cæsar Ludovicus sollicitatus, ut prædicantes mitteret, & sic constat missum Ansgarium. Is autem concionabatur in Dania primum anno 820, sed mox substituto ibi in suum locum Gildemaro, properavit maritimo itinere in Sveciam comite Witmaro. Venit Biörköö/ ac bene exceptus itidem ibi concionatus est per sesquiannum: tum rediit ad Ludovicum. Inde factus Archiepiscopus Hamburgensis misit nobis Simonem, virum probum ac eruditum, sed hic mox est occisus cum sororis suæ filio Nithardo; & Hamburgum â Nordmannis expugnatum. Post septemium ex eo misit Ansgarius in Sveciam Arigarium, qui vixit apud baptisatum & constantem in fide Erigerum. Venit tamen postea ipse Ansgarius Archiepis. Bremensis, in Sveciã: Unde rursꝰ motus per regnũ magni & ad illos sedandos convocata comitia, in quibus post longam disputationem de religione placuit sortiri, & ita sortilegio vicisse religionem Christi: inde prædicatum passim Evangelium Christi & templa ædificata; Lincopensi templo præfectũ Herbertum occisi Nithardi fratrem: curaq; ecclesiæ regi commendata ipsum Ansgarium Breman abivisse, ubi decessit vir 64. annorum. Post hunc Beronem dicitur regnũ venisse in manus gentilium, & sic oppressam religionem Christianam usque ad Regem Stenkeliũ. Beroni enim successit *Ingeldus*, concrematꝰ incendio vel fortuito vel destinato ob metum Ivari filii Regneri, qui ex Anglia veniens cũ manu potenti ei imminebat Ingello illi successit filiꝰ *Olaus Trætellia*, qui oppugnatus â filiis Regneri, Agnero Anglo, Ivaro Dano & Berone ex Svecia ejecto, sed jam Norvego, se fortiter defendit; & sic in pace consenuit. *Ingellus* indealiꝰ fuit Olai filiꝰ, non tantũ natu-

ra pacificus sed & conjugio filiæ Regneri quietus. Post Ingellum regnavit ejus *filius Ericus* wäderhalt, qui ventum accepit ad suos nutus intentum. Successit illi filius *Ericus Erici* dictus Segersäll / quod varios hostes, Livonos, Estl. Curlandos &c. redegit sub suam potestatem perpetuam. Vicit etiam is Svenonem Danum efter sit långa omstytande. Hic Rex *Ericus* Stenkel fuit patri studio dissimilis, sed gloria major. nam misit Bremam ad Episcop. ut mitterentur quemadmodum olim venit Ansgarius, sacerdotes in regnum, & accepit quoq; Adelvardum ac Stephanum. Qui venientes mox prædicarunt in Sigtuna cum magno fructu, estq; Rex conversus & baptisatus, ac ob flumen baptismi dictus Stenkel/ sicut Amundus Olai Skotkonungij filius post baptismum dicebatur Jacobus. Hi præcones postea ascenderunt Upsaliam, sed Rege dissvadente ac seditionem metuente ob crassum illius loci paganismum. Ascenderunt tamen illi, sed qui postea mox sunt occisi, imo Rex â suis trucidatus etiam propter illos. Dicitur Stephanus venisse in Helsingiam, ac post multas conciones occisus in sylva Ödmarck quæ est inter Gestriciam ac Helsingiam: relatus tamen narratur in Helsingiam, ac in Norala parœcia sepultus. Adelvardus dicitur ad Upsaliam occisus ac in metropoli Biörckö humatus. *successit inde Rex Olaus* Skottkonung Stenkelij filius vel frater: qui misit in Angliam ad Milradum petitum præcones, & accepit S. Sigfredum, qui ad fontem in W-Gothia baptisavit ipsum Regem: Et sic in Svecia solenniter xe eo erectum Evangelij præconium publicum ac perenne: hacten⁹ (satis confuse) ex Præsule Upſ. M. Laur. Nericiensi. Cui quoad postrema consentit Comicus noster in Comœdia de Olao Skotkonung/ qui in Angliam ad Regem Milradum misit Brunte Brunßon/ rogatum præcones Evangelij Christi, videatur ibidem Act. I. sc. I. Act. IV. sc. I. 2. & 5. nec non Act. V. sc. 5. & Act. VI. sc. 5.

Adamus autem Bremensis l. I. c. 16. seq. tradit Ansgarium biennio primum perseverasse in conversione Danorum, & inde ad Svedorum conversionem cum nova missione esse profectum. Sunt hæc verba ejus: *itaque biennium Ansgarius cum Autberto in regno Daniæ commorati, multas ex gentibus ad fidem conver-*

*convertunt Christianam. Inde reversi cum denuo ab Imperatore postulati ultimos Svedorum populos Evangelij gratia tentare, intrepidus athleta Christi adsumptis secum fratribus Gislemaro & Vithmaro doctoribus, gaudens pervenit in Daniam, ubi relinquens Gislemarum Haraldo, ipse in Svediam transfretavit cum Vithmaro. Ibi vero à Rege* (Biörn) *suscepti, verbum Dei publice prædicare permissi sunt. Multos itaque per annum integrum lucrati sunt Domino nostro Christo Jesu, in quibus Herigarius Bircæ oppidi præfectus credidit, quem tradunt etiam miraculis & virtutibus insignem. Hac legationis suæ prosperitate gavisi Corbejam novi Apostoli cum triumpho duarum gentium regressi sunt. Et ô mira omnipotentis Dei providentia, de vocatione gentium, quam disponit artifex ut vult, & quando vult, & per quem. Ecce quod longo prius tempore Villibrordum, itemq; alios & Ebbonem voluisse legimus, nec potuisse, nunc Ansgarium nostrum & voluisse & perfecisse miramur, dicentes cum Apostolo Rom. 9. non est volentis* &c.

Crantzius in Metrop. lib. cap. 19. sic scribit: *Haraldus cum uxore ac suis proceribus baptisatus redire in patriam auxilio fretus Cæsareo cum disponeret, efflagitabat ut prædicatoribus una missis populus quoq; ad Christi religionem imbueretur. Circumspexit imperator quem parem tanto operi mitteret, lucrandis Christo animabus. Jam cum multis compertum erat b. patris Ansgarij Corbejæ Monachi & inter alios viri doctissimi fervens pro Christo desiderium, sed interpellare eum nemo desuper præsumpsit: terrificum enim videbatur tantæ barbariei sese committere, & gentem de crudelitate famosam nova prædicatione adoriri. Ita cunctis mussitantibus Ansgarius cum sese Domino precibus commendassit obviam se ferebat quærentibus prædicatorem: Ecce inquit, ego, mitte me. Addebat autem se pariter socium Gaudbertus peregrinari pro Christo & ipse percupiens. Profecti cum Haraldo rege &c. penetrarunt ad intima regni &c. Inde post aliquos menses reversi Apostolici nuncij, narravere fratribus*

*ad cuncta gaudentibus, quantam in nationibus Dominus gratiam ostendisset. Nec longum tempus in medio, in idem opus pietatis sancti Evangelistæ iterum præparantur. Cum jam plures adcurrerent, qui se similis pietatis studio devincierant, penetrarunt usq; in Svediam & in oppido Birca præfectum ipsum Christo conciliabant, multamq; sub eo plebem & in fide erudiebant & sacro fonte perfundebant. Haraldus interim expertam semel prælio fortunam, &c nec tamen ea res terruit divini verbi prædicatores, quo minus in populo fructificarent: perviceru nt enim orando & prædicando ut multus ubiq; populus Christo subderetur. Post biennium novi Apostoli Corbejam repetunt duorum regnorum aucti fide,* &c. hactenus Crantzius.

Sed quomodo de hoc argumento Dani? nam juvat etiam eos audire. Regnerus subjugavit Angliam, vicit Carolum Magnū in Saxonia, occupavit Sveciam cœsis duobus serpentibus, & Biarmiam tentavit, scribit Saxo Gram̄atius sparsim l.9. ac iterum eodem libro ad annum Christi 826, pag. m. 203. Haraldus tertia vice ejectus â Regnero, confugit ad Ludovicum, ubi Moguntiæ est baptisatus &c. Libro autem 10, p. m. 220. scribit idem: venit Bernhardus ex Anglia & prædicavit in Norvegia magno fructu: transmisit item in Sveciam, ubi baptisavit Regem Olaum, &c. subjicit vero se nescire an hoc sit factum sub Bernhardo, an sub Unnone Episcopo Bremensi; sic recentes Christianos fingit Saxo nos Svecos. Hunc sequitur Hans Hansson in sua Cosmographia edita Hafniæ anno Ch. 1634, nam ibi demum circa annum Christi 950. scribit Sveciam ad Christum esse conversam &c, & alii aliter aut similiter. Sic vero variant auctores *de tempore, modo ac auctore conversionis majorum nostrorum*, cum alius loquatur de reformatione consummata, alius de eadem inchoata. hic de reformationis (conversionis) auctore solenniter misso, ille de alio non ita solenniter misso, & cum pleriq; aut ignorent annum ingres-

sus

ſus S. Ansgarij in Sveciam, aut pro ingreſſu primo ſubſtituant alterum ex duobus ſequentibus uti capite ſeq. dicetur.

# CAP. XIII.

*Expendit quasdam quæſtiones hic notandas*

Quæſtiones hic expendendæ ſunt fere hæ ſequentes.

I. *CUr qua terminum â quo converſionis majorum noſtroru moqvuntur auctores tam diverſimode?* ℞ Utuntur ſua libertate notitia item, & ſinguli reſpiciunt ad religionis noſtræ aut incrementa aut ſtatum ſub certis Regibus.

II. *An Ansgarius converſionis primæ miniſter apud noſtros*, ſeu quod idem eſt: *An Ansgarius primus Evangelij præco in noſtris?* ℞ (1) Abſolute primus is nequaquam fuit uti capite undecimo evictum: primus tamen is dicitur, *propter ſolennem ſuam vocationem ac miſſionem, felicem item expeditionem &c*, nam â Rege is fuit ſingulariter deſideratus & venit â Cæſare miſſus, ut & â Pontifice confirmatus, &c. (2) Præponunt inſuper multi Ansgario Heribertum, qua Evangelij prædicationem in noſtris: quem dicunt veniſſe in Sveciam miſſum â Carolo Magno, ac mox conſtitutum præſulem Lincopenſem circa ann. Chriſti 813. confer Meſſenii Chronic. Epiſcoporum: & ita ferme noſtri plures alij, Viri ac Hiſtorici Clariſſimi, quibus ego itidem credo, ſed adhuc ſuſpenſo animo, quod non dum contigit mihi verſare auctorem unde hanc narrationem promunt: & cum videam in hiſtoria Ansgarij Herbertum (forſan alium) Anſgario poſtponi. conf. quæſt. ſeq.

III. *Quodnam tempus adventus Ansgarii in Sveciam?* ℞ Hic mirum diſcrepant auctores qua ſeculi annum. Noſtrorum quidam putant eum huc veniſſe anno Chriſti 835 aut 826, alii anno Chriſti 818. & quidam etiam anno Chr. 808, quod quoq; me credere ante aliquot annos monuit vir dignitatis ſummæ;

& au

& audio recentiores nostros in hanc ultimam sententiam frequentes inclinare: ita discrepant historici nostri de die ac anno ingressus Ansgarii in patriam nostram: Nec de eadem minus variant scriptores exteri, uti videre est etiam ex allegatis paulo ante auctoribus claris. Credo vero errorem aut rectius varietatis causam (1) inde esse, quod non singuli attendant ad eundem Ansgarii adventum. Constat eum ter relicta Germania excurrisse ad boreales, uti etiam videntur docere Adamus ac Crantzius collati: Facile ergo variant anni, cum unus auctor loquatur de primo adventu, secundus de altero, & tertius de tertio; omnes forsan convenientes, si singuli eadem notitia ornati idem ejus intelligerent iter. (2) Est etiam inde causa erroris, q; per aliqvot secula latuerat vita S. Ansgarii, scripta olim â S. Remberto ejus discipulo & in ecclesia successore: Tantum n. quædam fragmēta historica de ipso aliquā diu habuerant exteri historici, eaque collecta ex vita Remberti ac Saxonum historia, sicubi ejus mentio ibi injiciatur. *Res gestas S. Ansgarij scriptis mandatas esse â Remberto &c. testatur auctor apud Surium, qui res ipsius S. Remberti conscripsit: sed quod sciamus non extant*, &c, scribit Baron. ad an. Christi 826. Unde sicut ratio historiæ Saxonicæ variat apud auctores sic minime mirum ex eadem collectam, circa annum ingressus in Sveciam, variare apud auctores historiam Ansgarii. (3) Nunc tamen est aliquot seculorum vetus versio historiæ ejus nuper inter reliquias cœnobii Gratiævallensis, hic Aboæ inventa, atque hinc Upsaliam transmissa, ut dehinc notiora de Ansgario nostro ac uberiora speremus nos rescire. Sed ex hac versione Gothica nescio an quis colligat *Heribertum præponi debere Ansgario*; item ne quid dissimulem, *an Ansgarius prima vice credatur intrasse Sveciam circa annum Christi 808?* Ego hactenus ista non legi. Et fuit Ansgarius Heriberti avunculus;

cre-

credibile igitur quod Heribertꝰ illum non antevertit, ſed ſaltem fuit comitatus, imo, forſan venit poſt eum una cũ fratre ſuo Nithardo, ab ipſo miſſus. Deinde conſtat Ansgariũ Monachum fuiſſe Corbejenſem in Germania: at id monaſteriũ demum conditum eſt anno Ch. 822. teſte Bar. non potuit igitur inde aliquot annis ante exire monachus, quam cœnobiũ ipſum auctore Adelhardo & ſumptibꝰ Ludovici, eſſet erectũ. ut nunc taceam quod Ansgarius a. Ch. 832. ſit Archiepiſcopus creatus, & cujus prædicatio ita vix poteſt retrahi in an. 808, cum inter ipſam & ejus dignitatem Epiſcopalem non omnino multi anni credantur interceſſiſſe. Sed hæc ad peritiores, & in hoc ſtudij genere impigre laborantes alios.

*Inſt. An iſta nuper inventa SveoGothica verſio vera?* h. e. *verbotenus deſumpta ex opere S. Remberti? conſtat S. Nicolaum* (Annam Birgittam ſolenniter hiſtoriavit; Ansgarij vitam ſollenni ſtilo decoravit, *habetur teſte Meſſenio etiamnum Lincopiæ ſub organis in Ejus Epitaphio*) *Epiſcopum Lincopenſem multis annis poſt ſcripſiſſe vitã Ansgarij; poteſt igitur hæc verſio potiꝰ credi ejus operis translatio eſſe, quam Remberti.* ℞ Hanc SveoGothicam verſionem eſſe factam ex laboribus Remberti, arguunt meo judicio, locutiones quæ in ea occurrunt plures. Cap. 1. habetur: **the oppenbarelſer han oß teedde**/ c. 2. **ſom** S. Ansgarius **medh ſin egen mund oß ſielfwer berättade**/ &c. Sic autem verius ſcribere potuit ejus diſcipulus Rembertus, quam iſte Nicolaus Gothus, qui ab Ansgario annis aliquot: imo, ſeculis vixit remotus. Nos ſub titulo *S. Ansgarius &c.* mox ſubjicimus ſub calcem operis hujus, vitam S. Ansgarij ante aliquot quidem ſecula uti dictum, ſcriptam, ſed nunc â nobis in translatione abbreviatam ac caſtigatam. Tu benevole lector conſule eandem, ac inde excerpe tam de his quam aliis, quæ putaveris in tuos uſus fore, &c.

# CAP. XIV.

*Claudit discursum de tempore & auctore prædicati olim Evangelij Christi in nostris antiquis.*

UT igitur aliquando desinamus de nostratium primo præcone, præconiique ejus quisquis fuerit ac in specie S. Ansgarij tempore, plura differere: Velim ais, scire: *An ergo omnes veteres SveoGothi Christiani?* ℞ Hoc neq; scribimus, neq; sentimus. Nam constat illorum innumeros (1) *fuisse diu idololatras*: coluerunt quippe Thorerum, Odenum & Friggam, uti dictum supra: & forsan duobus plures fuerunt, qui etjam bestias ob aliquam causam venerabantur, ceu ille qui vaccam coluit pro dea, uti habetur in descript. Norveg. Petri Claudii p. m. 67 Præterea cuilibet Deorum suorum assignarunt illi idololatræ suum domicilium Herraudz Saga pag. m. 27. & singulos coluerunt sacris jam anniversariis, iam frequentioribus, vide supra. Biberunt item Deorum memorias aut juxta ipsorum dignitatem, aut ut ferebant indictæ cujuslibet Dei feriæ, Verelius in notis ad Herraudz Sag. pag. m. 103. Sacrificarunt porro pro annona, longævitate & victoria aut bruta aut homines, Snorro p. m. 133. 140. 214 Petrus Claudij pag m. 160. Coluerunt insuper suos mortuos certis ritibus, ceu Frei per triennium, auro argento & cupro, Snorro, pag. 10. quemadmodum quoq; clarorum mortuorum memoriam sæpius biberunt, Snorro 27. imo, ipsi mortui fermè omnes concremabantur ad præceptum ac exemplum Odini, Snorro p. 7. & 8. quando ex ascendente fumo notarunt Deorum complacentiam, & ex factis sumptibus concremati apud Deos precium aut honorem, uti Snorro docet in Niord & Domaro: & ita eorum plerique. Nonnulli tamen mortui tumulabantur, & equites quidem cum suis equis ac armis Snorro pag. 88. divi-

tes vero

tes vero cum sua pecunia, Snorro 253. omnia ut Odeno post mortem rectius placerent; quem existimabant suos milites facilem recipere, sed nec aspernari cœteros quos commendarunt magnæ opes; olim igitur beneficij loco æstimatum cum divitibus decedere, quo promoveretur quis bonis alienis, qui non posset suis, Verel. in Gothric. Sag. p. 27. Plebeji plures concremabantur, ac quoq; multi nobiles: sed tamen volebant hi singulis temporibus sui arbitrii esse, concremari aut tumulari, ut frustra conjicias singulos concrematos fuisse tempore Brunaold, & rursus omnes tumulatos tempore Haugold, uti contra præfationem Snorronis recte differit Verelius noster in notis ad hist. Gothr. p. m 82. Multi insuper anticiparunt vitæ finem, ceu illi qui sese præcipitarunt de monte in lacum, i. e. de ätteſtupan aut ättſtapuln uti habetur in historia Gothrici p. 8. seq. NB. hæc indicia sunt gentilitatis certa ac manifesta: ac per consequens non fuit in hisce tunc creditum Evangelium Christi. (2) *Constat eorum non paucos fuisse magos ac dæmoni alicui mancipatos*: ceu Vanlandus ille qui magicis artibus correptus voluit pergere in Finlandiam, **och döör aff maran på wägen**/ Snorro p. 12. Rex quidam Danus fuit hariolus, Snorro p. 14. conf. p. 385. & 412. Ragnil fuit fatidica, Snorro 36. Fennus Magus, Snorro 37. & 57. ut & quidam Norvegus, Snorro 154. ne nunc nominem Odenum ipsum qui præstigiis ac incantationibus sibi divinitatis opinionem conciliavit. Ergo neq; in hisce fuit vis Evangelij Christi, ac per consequens neq; illi vera membra ecclesiæ Christi.

Hos *inquam*, perplurimos ut constat fuisse idololatras aut denique incantatores & Magos; sic nequaquam dicendum aut sentiendum illos extitisse Christianos: Sed tamen eorum temporibus atq; inter illos in nostris terris Christianos vixisse, nonsinunt nos dubitare rationes superioribus capitibus pro-

ductæ. Scilicet antiquis illis temporibus jam rejiciebatur religio Sacra propter damnum, Snorro pag. 76. seq. jam accipiebatur propter quæstum, Snorro pag. 90. imo uno fere tempore jam accipiebatur, jam rejiciebatur, Snorro pag. 124. 127. & 149. Et qui ex antiquis eam receperunt, illi principes quandoq; reformarunt svadendo Snorro p. 74. qvandoq; cogendo Sn. p. 156. & 414. Fuit igitur sæpe olim in nostris terris vera religio, etsi nesciret illam historicus, & tametsi non existeret publica ac solennis temporibus operum ejus. Sicut itaque religio Christiana fuit olim apud Norvegos nostrorum vicinos, in Rege Haquino, Sn. p. 63. 74. seq. filiis Erici Blodyxes Snorro pag 90. Haquino Jerl Snorro pag. 108. Haraldo, Snorro pag. 113. & tamen Olaus Tryggeson dicitur primus Rex Christianus in Norvegia Snorro pag. 170. seq. Sic credendum multos principes extitisse olim Christianos in nostris, suumque Christianismum more Norvegorum illos didicisse in exteris cum peregrinarentur in *Irlandiam* Gothrici hist. cap. 32. in *Angliam*, Snorro pag. 63. Gothr: hist. cap. 34. in *Russiam* Snorro pag. 111. & 291. in *Galliam & Hispaniam*, Snorro p. 403. in *Græciam* lapides Runici, leges Visigoth. conf. Verel. not. in Gothr. p. 41. *Africam*, Sn. p. 336. & 404. *Romam*, Sn. p. 322. 389. 398. & *Jerusolymam*, Sn. p. 323 336. 579 609 633. &c. tametsi Bero ejus nominis vel tertius, vel quartus, vulgo scribatur primus in nostris terris Rex Christianus, quod fuit hoc capite inculcādū.

## CAP. XV. & Ultimum.

*Inquirit in causas tam diuturni gentilism: publici apud nostros majores per Sveo-Gothiam.*

Amplist. Bazius hist SveoGoth. lib. 1. c. 3. allegat sequentes: *I. Fuit religio Upsaliensis antiqua, & nostris ut verus Deorum cultus à majoribus imperata: putarunt igitur (miseri) pietatis esse in Deos ac suos majores, eam servare incorruptam &c.* *II. Vi-*

*II. Viderunt nostri in suam religionem aut verius superstitionem, celeberrimos viros longa serie consentire:*

*III. Vicinas gentes non dum conversas esse: suæ igitur gravitati ac constantiæ non judicabant convenire, ab avita religione desilire.*

*IV. Quia Upsaliæ non adparuit quisquam Apostolus, aut vir Apostolicus* (quod nunc constat) *qui delubra eorum auderet destruere, novamque suam doctrinam posset miraculis confirmare*: confer omnino Bezium loco allegato, ac vide quomodo pulchre ostendat harum causarum quamlibet in hoc articulo fallere.

*V.ta causa illis prioribus adjici potest hæc, derivata â religionum libertate, quam veteribus persvasit olim diabolus, ut crederent tam suam religionem quam Christianam esse sibi proficuam:* Sc. talem libertatis opinionẽ ut eis instillaret, coactus est diabolus identidem sacra sua mutare, renovare, augere &c. omnia ut sub ratione generica &c animũ ejus versabant imitanda sacra Christiana. *Deus Ter Opt. Max. essentia unus colitur in tribus personis: & pariter se mortalium unicum numen, sed nomine & personis trinum dixit Odinus vide Verel. in hist. Gothrici p. 43. Sacrificarunt olim Dei religiosi, & similiter Odeni superstitiosi. Ferias annuas, menstruas ac hebdomadarias habuerunt olim tam superstitiosi, quam religiosi &c. Jussit Deus olim hircum emitti. lev. 16. & similiter Odinus suum taurum, Snorro p. 20. comas intonsas aluerunt quidam sancti olim, & quoq. comas habuit Haraldus, Snorro pag. 41. Servavit Deus olim pueros innocentes â flammâ; & similiter portando ferrum candens innocentiam justitiamquè suam olim probarunt nostri, Snorro p. 123. 517. Produxit Deus olim quorundam dies in aliquot secula: & similiter Sterkotero videri voluit Odinus dedisse longævitatem Verel in Gothr. p. 34. Instituit Christus ex eo baptismum: & pariter cæperunt nostri filios suos aspergere aqua, Snorro p. 61. seq 75. 99 & 142. Elegit Christus 12. Apostolos, & totidem in suo Judicio Assessores habuit Odenus, Gothrici Saga pag. 34. Baptisatos suos donarunt olim veteres pio aliquo memoriali: & pariter*

*ordinarunt superstitiosi nostri ut suis daretur tensir i. e. donum cum dentes sentirentur*, Herraudz Saga pag. 108. & quas convenientias cum sacris divinis plures Diabolus olim finxit, confer, supra p. 232. seq Per quas singulas ille voluit nostris persvadere religionum syncretismum i e, suam itidem religionem esse sanam, cum parum tantum discreparet â Christi nova, quam illi ajebant subinde miraculis ac prodigiis probari. His *inquam* partibus circumvenit diabolus olim nostros, ut contempta religione Christi nova, veteri suæ ceu sanæ ac commodæ adquiescerent tenacius.

*VI.ta vero causa, quam quoq; tangit Bazius argumento 4to, est quæ cæteris debet hic præponi, nimirum Dei mirabilis œconomia in repetendo Evangelio Christi, postquam destinatis vicibus universalibus id gratiose aliquoties fuerat ante promulgatum, conf. sup. p. 64. seq. ac 307. seqq.* Hanc vero causam admiremur, non scrutemur; & agamus bonitati Dei immortales gratias, qui nos nostrosq; majores post decursum aliquot seculorum rursus voluit vocatione ut sancta ita ampla vocare. Sit nomen ejus benedictum in æternum!

# HYPOMNEMATA
## Ad Libr. Octavum.

I. DE *Catechumenis ac peregrinis.* (1) Olim expurgabantur Catechumeni ante sale, quam admittebantur ad sacramenta. *Signabar signo crucis & condiebar sale*, scribit alicubi de sese Augustinus. nam fuit primis seculis consvetudo *ut peregrini advenientes seq; Christianos esse profitentes, ad communes tantum ecclesiæ preces, vel Symbola externa admitterentur: tunc vero & sacramenta illis impertirentur, cum se esse catholicos fide certa docuissent*, scribit Baron. ad annum Christi 400. (2) Invaluit quoq; post hæc consvetudo, ut nemo *fidelium adultorum*

*absq;*

*absque pœnitentia per sacerdotem impertienda ex hac vita migrare si-neretur, neq; infantes coalescere absq; baptismo permitterentur*, uti ex Greg. lib. 1. Epist. 15. ad annum Christi 590. scribit Baron. Nos hoc tempore in admittendis peregrinis sumus faciliores. & qui forsan sæpius nostra facilitate peccamus: Profecto si antiquo modo procederemus cum ipsis gradatim, toties ut ut nunc fit, non circumveniremur ab eorum plerisque: Sed agit in talibus negociis quisque pro sua prudentia. Adultos deinde absque pœnitentia decedere, nec nos h. t. volumus: quin eam sub istis momentis ceu pernecessariam ob multas graves causas urgemus: tantæ tamen necessitatis non facimus illam in adultis, quantæ est baptismus in inferendis Christo infantibus. Peccamus ergo nos h. t. in defectu quoad membrum pri⁹ de recipiendis peregr. ut olim peccarūt majores nostri in excessu quoad membrū posteri⁹ de demittendis adultis.

II. *Salutare sternutantes mos est antiquus*, uti docet Plin. hist. natural. lib. 28. At morem hunc gentilitium quia Christiani cumprimis receperunt ac usurparunt circa annum Christi 590 cum sæva peste urerentur ac inter sternutandum prosternerentur; factum igitur ut fere non in anteriora tempora, quam ad hanc pestem talis comprecationis aut salutationis usum referamus, postquam vulgo cœpimus substituere originem pro rei innovatione ac frequentatione.

III. *Simoniam semper olim exosi sunt S. Patres.* Concilium Ephesinum sub Arcadio celebratum circa annum Christi 400 coegit non tantum hæredes Antonini jam mortui, qui ordinaverat accepto auro, metallum reddere: sed & per aurum ordinatos deposuit substitutis aliis, ne irreperet consvetudo judaica vel Ægyptiaca vendendi & emendi sacerdotium, scribunt Socrates lib. 6. cap. 10. & Sozom. lib. 8. cap. 6. Et quid adversus Simoniacos Athalaricus Gothus circa ann. Chr. 53-

non

non tantum edictum adversus illos promulgavit, sed & in eorum ignominiam marmoreæ tabulæ idem inscripsit, quam deinde statuit ante atrium S. Petri Romæ cunctis perspicuum, scribit ex Cassiod. lib. 9. Epist. 16. Baron. ad annum 533. Anno Ch. 601. grassabatur Simonia tam in occidente, qvam oriente; Gregorius igitur lib. 9. Epist. 49. seq. ad Episcopos Gallos Virgilium Arelatensem & Ætherium Lugdunensem, totus est ut eam extingvat. Apud illum ingemiscit, *qvod avaritia qvæ est idolorum servitus & cultus, & quæ curata convertit in aurum, &c. sit in ecclesiam introducta &c.* apud hunc vero agit, *ut cogatur Synodus, qvæ scelus tollat, &c.* Anno Christi 743. arguit qvidam Bonifacius Zachariam Pontificem labis Simoniacæ, qvod pro palleis conferendis pecuniam accepisset, sicut paulo post h. e. anno Ch. 787. Hadrianum Pontificem labis ejusdem insimulavit Tarasius. Sic olim S. Patres adversus Simoniam strenui.

IV. *In occidente est usus campanarum satis antiqvus*, ut qvi freqvens fuit sub initium seculi septimi: at eodem tempore perseveravit adhuc consvetudo in oriente pulsandi ligna ad populum convocandum, docente Baronio ad an. Chr. 615. Sed non habebant occidentales Christiani tunc in omnibus locis magnas campanas pro conventu ecclesiæ adunando: utebantur igitur tenui suæ basilicæ signo, id est, qvalicunq; tinnientis æris sonitu, & de tali qvodam una cum sacris aliis deriso â Saracenis in Hispania scribit Baron. ad an. Ch. 716.

V. *De horum seculorum Gothis exteris.* (1) Non dubitandum est Ost-Gothos & Visi Gothos veteres fuisse ejudem sangvinis: *ingenium, lingva, mores, commercia, mutuæ gratulationes in devictis hostibus* (ita factum cœso Attila) *subsidia sæpius invicem missa &c.* arguunt id ipsum abunde, & testatur idem Glycerius Imperator, qvi circa an. Ch. 473. muneri-

bus

bus datis vertit Ost-Gothos in Gallias ad Visi-Gothos, ut ait, eorum cognatos, confer Jordanem de rebus Gothicis, qui communitatem sangvinis eorum passim in suo opere docet. (2) Hi Gothi dicebantur antiquitus domi Gautar, foris Gethæ teste Hieronymo in libr. Quæst. Hebraic. conf. supra pag. 64. imo, suos adpellavit Rex Vitiges Gethicum populum adhuc circa an. Ch. 537. nè nunc dicam quomodo in oratione ligata fere semper dicantur â veteribus Getæ, conf. Baron. tom. 2. pag. m. 459. 487. Romani vero pro au in Gaute, cœperunt o longum usurpare, ac scribere Gothe &c. notante Verelio in Gothrici histor. p. 9. seq. (3) Hi Getæ vel Gothi occuparunt olim varias terras, ceu Pannoniam, Italiam, Asiam, Græciam, Hispanias, Gallias, &c, in quibus consederũt quamdiu illis libuit aut licuit, sed ꝙ mihi constat, non earũ ullam aliam illi suo nomine sic ornarunt, quemadmodũ Galliam Narbonensem, quæ dicebatur Gothia item Septimania adhuc circa a. Ch. 793. cũ â Saracēis infestaretur, uti habent veteres annales Francici. (4) Maternam & propriam suam lingvam usurparunt illi nostri in cunctis suis provinciis, non quod devictorum populorum lingvas ignorarent, sed quod gravitatis censebant â veteribus non recedere, ac pariter pietatis, majorum ora perenni consvetudine venerari. Factum igitur ut tamdiu uterentur sua lingva, suis characteribus &c. quamdiu regnum potuerunt servare incolume: Nam non tantum sub Reccaredo scriptum Gothico idiomate concilium Narbonense circa an. Ch. 589. de quo Baronius ad an. Ch. 598. sed & charactere Gothico scripta ac exarata quæ agebantur de persona Christi inter Elipandum Archiepiscopum Toletanum & ejus adversarios, Beatum Presbyterum & Etherium Episc. Gothos &c. de quibus in concilio Frankofurt. an. Christi 780. seq. conf. sup. pag. 426. seq.

(5) Ubicūq; v. Gothi extiterunt, variis indiciis sese prodiderūt cujus essent sangvinis, originis ac soli. Characterem singularē hic memorabo: *Sicut Gothi exteri ante exitum suum è Svecia coluissent Thorerum; sic in eundem etiā foris fuerunt propensi: Etn. ut* Majores nostri feria 5ta septimanæ quæ latinis estdies jovis, vacarunt olim ab operibus, non propter Jovem quem ignorarūt, sed propter Thorerum, qui illi feriæ in ipsis fecit nomen; pernotum est quomodo om Thorsdagen etiamnum quædā plebeculæ, Rustici item non pauci, â meridie ejus diei ac præsertim sub vesperam, non volunt strepentes labores exercere. Sic pariter propter memoriam ejusdem Thoreri domi sanctam, olim foris ab operibus vacarunt sub hujus diei vespe ram Gothi exteri. Ac proinde sicut nos admonitionibus hodie contra illum gentilitium morem pie pugnamus; sic visum fuit apud exteros Concilio Narbonensi illi mori pravo sequentem Canonem opponere, qui in ordine 45. translatus in illius temporis lingvam latinam sic sonat: *Ad nos pervenit quosdam de populis Catholicæ fidei execrabili ritu diem quintam feriam (qui & jovis dicitur) excolere, & operationem non facere. Quam rem pro Dei timore execrantes & blasphemantes, quicunq; ab ab hoc die præter festivitates in eo die venientes, ausus vel ausa fuerit vacare, si ingenuus est aut ingenua, de ecclesia repellendus & sub pœnitentia mittendus anno uno, & eleemosyna & metu satisfaciat, ut ei dominus ignoscat. Si servus aut ancilla fuerit, contenta flagella correcti Domino consignentur, & ultra talia eos observare non permittant, &c.* (6) Circa ann. Ch. 463. sub Rege Evarico cœperunt Gothi exteri legum instituta scriptis habere, nam *ante tantum moribus & consvetudine tenebantur*, ait Isiodorus in Chrō. (7) Pontificibus Romanis fuerunt quidem Gothi exteri obsequentes, attamen nunquam se illorum libidinibus mancipārunt, ut sæpe fecerunt populi alii. Gothorum Reges in Hispa-

ſpania vendicarunt ſibi creandorum Epiſcoporum nominationem, quam poſtea retulerunt ad concilium, ut voto negativo inquireretur de perſona, *qualis eſſet, & dignanè ſede Epiſcopali*, &c. uti habetur in concilio Tolet. 12. circa an. Ch. 681. Hancq; uſurpatam â Gothorum regibus rationem confirmandorum Epiſcoporum, illis exactis ſervaſſe poſt orientales ſcribit ad an. Ch. 684. Baronius. (8) Ante ſparſim eſt actum de Gothorum virtutibus variis: huic tamen narrationi cumprimis inſervit concilium Narbonenſe, ſubſcriptum â 7 Epiſcopis Gothis, re ante communicata cum ſuarum diœceſiũ presbyteris, diaconis &c. ſingulis, in quo veſtiũ uſus ſed conveniens, relictus Clero, purpura autem quã olim induiſſent regij ſangvinis Epiſcopi rejecta. Presbyteris vetitum in plateis reſidere, imo, ſtare, &c. Sanctificatio Sabbathi reſtituta, & Thoreri memoria på Torsdagen latine die Jovis, exploſa, tunc ut alias ſemper injunctis contra antiqvum morem omnis generis laboribus, conſulantur hujus concilij acta apud Baron. ad ann. Ch. 598. nam digna ſunt quæ identidem relegantur, non tantum propter memoriam populariũ hic originem ſuã prodentium, ſed & propter alia ſtatuta pia, Chriſtianiſmi nos recte admonentia. (9) Eſt celebratum in Hiſpania ſub Rege Vamba concilium Tolet. XI. anno Ch. 675, & in illo diviſis parochiis inter provinciarum Archiepiſc. & Epiſcopos alios, juſſi Clerici vivere ſecũdum regulam Iſidori, h. e. pie, ſancte & prudenter. (10) Cœteras autem virtutes Gothorum nihil nunc attinet dicere: nam pleræq; earum ſunt ante tactæ; notentur tamen ſeqventia hæcce de Epiſcoporum dignitate natalium, nec non officiorum gravitate. S. Fructuoſus ex regio Gothorum ſangvine ortus, fuit primum eccleſiæ Dumienſis Epiſcopus in Hiſpania, ſed mox poſt varia depoſita pietatis docũenta in regendis eccleſiis ædificandisq;

monasteriis, præfectus Episcopatui Bracarensi circa annum Christi 656. Offa vero Archiepiscopus Toletanus circa an. Ch. 718. fuit Vitizæ Regis VisiGothorum filius. & tantum breviter de natalium dignitate in quibusdam. At gravitas aliorum intelligatur ex sequenti exemplo: Bonifacius Moguntinus Episcopus deposuit quendam Grevelionem, quod cœde hominis esset pollutus, nec non quod conspexisset illum cum *avibus & canibus* ludentem, quod Episcopo fas non esset, scribit Baron. ad an. Ch. 745.

*VI. Circa annum Christi 446. fuit ingens terræ motus*, qui per sex menses non ex intervallo, sed motu continuo omnia per totum fere orbem concussit, teste Niceph. lib. 14. cap 46. An vero idem etiam nostras provincias adflixit, magis credere, quam auctorum testimoniis adfirmare habemus, conf. Baron. ad eundem annum.

*VII. Deus est qui principes jam deponit, jam statuit*; cujus suæ dominationis documenta ille singulis fere seculis exhibet. Anno Ch. 451. est Attila Hunnorum Rex cum formidabili suo exercitu cœsus ab Ostro-Gothis, tradente Cassiod. Var. lib. 3. cap. 1. Seculo quinto victi Ostro-Gothi â Justiniano, & seculo octavo superati Longobardi â Carolo Magno, sicut & VisiGothi partim suorum perfidia, partim multitudine hostium tandem eodem seculo expugnati: & paulo ante per hosce postremos expugnatum imperium Svevicum, &c. Deus igitur est qui imperia statuit aut transfert, Dan. 2: 21.

*VIII. De Longobardis.* (1) Longobardos de nostris olim exivisse probant alii; nos diximus supra p. 393. (2) Ut Gothi exteri diu caruerunt lege scripta; sic & Longobardi demum circa an. Chr. 638. sub Rege Rothari cœperunt suas leges scribere. *Hic Rotharis Longobardorum leges, quas sola memoria & usu retinebat, scriptorum serie composuit, codicemq; ipsum Edictum adpellari præcepit*, scribit Paulus Diaconus l. 4. c. 44. (3) Etsi in ordine ad potentiam Dei cuncta cedant ejus voluntati, qua ratione valida sæpe prosternuntur per tenuia; ut ferrũ consumit rubigo, & leo aliquan. pabulũ fit animalium vilium &c: tamen sæpius agit Deus mediate, dum patitur gentem quamq; suis virib⁹ concessis sic perfrui, ut fere non subigatur unquam

ab ulla

ab ulla alia nisi se valentiore. Victores diu volitârant Gothi exteri per varias terras. Ac cum jam adpropinquaret eorum periodus, ut Dei consilio delerentur h. e. ut expugnatores expugnarentur, potuit quidem Deus eos per invalidos debellare si voluisset potentiæ suæ indulgere: at nunc ita facere noluit: recepti igitur ac usurpati fortissimi Longobardi in eorum excidium, & illi â Deo excisi, at non per infirmos, verum per istos suos populares, viros tanto fortiores, quanto fonti propinquiores, Scilicet pari robore opus fuit in illis repellendis; recte igitur adversus ipsos quæsita auxilia ex illa terra, quæ ipsos genuisset: & ita illi superati, cum exhaustis ante Spiritibus in variis terris, quas essent emensi victores, jam non sufficerent vegetæ virtuti quam effundebant ex fonte prosilientes Longobardi; atq; sic Ostro-Gothi in Italia victi per Longobardos, vocatos in auxilium â Narzete Justiniani præfecto.

*IX. Episcopos Romanenses sæpius fuisse loricatos testantur omnium nationum historiæ:* sed talia monstra, ut Episcopi loricati militarent, primum peperit annus Ch. 570, qn. *Salonius & Sagittarius fratres & Episcopi non cruce cælesti, sed galea atque lorica seculari armati, multos manibus propriis* quod pejus est, *referuntur interfecisse,* prout ex Gregor. Turon. hist. lib. 4. cap. 37. scribit Baronius.

*X. In antiquitate non mirabitur quisquam dignitatum nomina aut officia legi permutata.* Certe seculo Ch. sexto sæpe legitur patriarcha, qui tantum fuit Archiepiscopus: tenuitq; hic mos præcipue apud Gothos & Arianos alios teste Cassiod. Var. lib. 9. Epist. 15. conf. Baron. ad ann. Ch. 533. & 570. Similiter etsi Episcopi ordinarie præsint monachis, factum tamen seculo sexto ut in Anglia Boreali omnis provincia, & etiam ipsi Episcopi ordine inusitato subjicerentur Abbati Dearnachensi propter Columbanum, qui illius regionis primus doctor, extitit non Episcopus, sed Presbyter & Monachus, uti ex Bedæ lib. 3. c. 4. scribit Baron. ad ann. Ch. 565.

*XI. Non possumus non hic damnare vanitatem dicam an temeritatem Pontificiorum, dum gloriantur multa regna terrena olim suo Pontifici aut data aut oppignorata.* Regnum *Moscoviticum* scribit Baronius illi datum seculo sexto in adpendice pag. m. 724. Regnum *Gothicum* illi oppignoratum ann. Ch. 701. Regnum *Galliæ & Ger-*

maniæ ei oblatum an. Ch. 782. & regnum *Anglorum* ipsi vectigale factum non modo circa ann. Ch. 740, sed & postea per quendam Regem alium, dictum Offa circa an. Ch. 775. Hæc (1) non conveniunt cum Christi vicario quoad statum ejus exinanitionis, nisi forsan carere regno Joh. 19. & possidere regna 4vor; Ministrare civiliter Mat. 20. & imperare tot diversis populis &c, sint unum & idem. (2) sunto tamen hæc paulisper vera; jam ostendunt Papales Romam suam esse Babylonem illam septicollem, idq; non modo Physice propter montium juga quæ occupat; sed & politice propter hæc 4vor regna & tria alia, ob quæ papa etiamnum pingitur triplici corona elatus, &c. Nolo plura addere, ne elenchum pro ratione historica videar substituisse: saltem vero Papam rogo velit suum repetere, nec regna suis antecessoribus data aut collata diutius pati abalienata. Cupere sic credat, atq; svadere istorum regnorum Monachas, ac cumprimis nisi me omnia fallunt, id optare Moschum & Anglum. &c

XII. In hoc Hypomnemate repono sequentia additamenta.

*(1) Sunt cuiq; genti sua crimina; sed in Afros confluxerunt omnia simul improbitatum atq; impuritatum genera. Ceteri enim homines etsi nonnullis flagitiorum vitiis obligati sunt, quibusdam tamen non implicantur, & si violentia non carent, malevolentia carent. & si libidine æstuant, rapacitati non serviunt, multos deniq; etsi accusat incontinentia corporum, simplicitas commendat animorum. In Afris pene omnibus nihil horum est quod ad utrumq; pertineat. i.e. bonum æq; ac malum, quia totum admodum malum: adeo exclusa naturæ originali sinceritate aliam quodammodo in his naturam vicia fecerunt. Exceptis paucissimis Dei servis, quid fuit totum Africæ territorium, quam domus una viciorum? &c. Sicut in sentinam profundæ navis colluviones omnium sordium, sic in mores eorum q. ex omni mundo vicia fluxerunt. Nullam enim improbitatem scio, quæ illic non redundaverit, cum utiq; etiam paganæ & ferinæ gentes etsi habeant specialia mala propria, non sunt tamen in his omnia execratione digna. Gothorum gens perfida, sed pudica. Alanorum impudica, sed minus perfida. Franci mendaces sed hospitales. Saxones crudelitate efferati, sed castitate venerandi. omnes quippe gentes habent sicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona. In Afris pe-*

*nè*

*ne omnibus nescio quid non malum. Si accusanda est inhumanitas, inhumani sunt. Si ebrietas, ebriosi sunt, si falsitas, fallacissimi sunt. Si dolus, fraudulentissimi. Si cupiditas, cupidissimi, si perfidia, perfidissimi. Impuritas eorum atq; blasphemia his admiscenda non sunt: quia illis aliarum gentium vicia, his a. etiam sua ipsorum vicerunt. Ac primum ut de impuritate dicamus, quis nescit Africam totam obscænis libidinum tædis semper arsisse? non ut terram ac sedem hominum, sed ut Æthnam putes impudicarum esse flammarum. nam sicut Ætna intestinis quibusdam naturæ ferventis ardoribus, sic illa abominandis jugiter fornicationum ignibus eructavit. tam infrequens est enim hoc & inusitatũ impudicum non esse Afrum, quam novum & inauditum Afrum non esse Afrum. Ita enim generale in eis malum impuritatis est, ut quicunq; ex eis impudicus esse desierit, Afer non esse videatur &c. verba sunt Salviani de vero Jud. lib. 7.* Tales vero dicet unus eos evasisse per climata cœli, alius per maledictionem Chami ac forsan Caini &c. Atq; ita Africa æterni flagitii stabulum, uti scripsimus sup. lib. 1. cap. 8.

(2) Cum adesset annus Ch. 399 religioni Christianæ fatalis, ut vulgabant gentiles, jam tantum abest ut religio Christi exscinderetur, ut contra idolorum templa passim locorum, maximeq; in Africa confringerentur, donec Honorio Imperatori visum fuit exscribere, â diruendis publicis ædificiis abstinerent, ne urbes deformarent, &c. & sic multi gentiles spe sua delusi, ad Christum sunt conversi, teste Aug. de C. D. lib. 18 c. ult. Hæc reduci debent ad pag. nostram 399. ac subjungi iis quæ habentur hypomnemate octavo.

(3) Referuntur hæc ad pag. 407. Anno Christi 530. creatus fuit pontifex Bonifacius Patria Romanus, Patre Sigisvulto: *ex quo nomine conjicere possumus, eum etsi natus sit Romæ; genere tamen fuisse Gothum, ac forsan Consulis filium*, &c. verba sunt Baronij. Unde patet in Imperio Romano veteres Gothos fuisse non modo *Consules ac Imperatores* uti ante indicatum, sed & *pontifices*, quod nunc fuit subjiciendum: ac per consequens domi in suo regno, forisq; h. e. in Imperio Romano eosdem extitisse clarissimos.

(4) *Non omnes illi decesserunt gentiles, qui gentilitio more sunt humati: uti nec omnes animo gentiles extiterunt, qui ex-*

*ternis*

*ternis gestibus gentilismum quandoq; simularunt, sicut id ipsum in Haquino Norvego coacto â rusticis relabi ad sacra pagana, ostendit Snorro pag m. 76. seqq.* Hæc referuntur ad pag. 383.

*XIII. Gloriosam gentem Gothorum exterorum coercuit Deus magis seculo Christi octavo, quam extinxit.* Forsan quod sicut illi non semper justa fuisset causa invadendarum provinciarum alienarum; sic nunc debuit ipsa pati, periodo expleta ut provinciæ â sese ante occupatæ aliis possessoribus redderentur. Justus enim est Deus & justa judicia ejus, Ps. 145. 17. ac quamquam diu genti alicui conniveat, maxime cum eadem utatur ceu flagello in puniendis aliis, Ezech. 30: 3 ad ultimum tamen arborem exscindit Dan. 4. conf. Esa. 33: 1. Quod olim contigit nostris exteris, ac qui ideo neq; in Italia adversus Justinianum, neq; in Hispaniis adversus Saracenos potuerunt imperium restaurare, quamquam summis viribus adniterentur id præstare: sed sua aut credulitate capti, aut discordia labefactati eodem utrobiq sunt exuti. Celebres tamen adhuc in aliis dignitatibus manserunt illi foris per totum Ch. seculum octavum, uti id ibidem pag. m. 390. docet Baronius. Et ecce in quo miraberis ac veneraberis Dei regimen in hisce terris. Non ante Deus illos foris penitus attrivit, quam essent domi qui excellens ac inclytum nomen Gothicum mundo rursus illustrarent. Scilicet quo tempore foris exteri ceciderunt, eodem domi inclaruerunt alii, in suppetias adversus Danum Regnerum à Carolo Magno vocati. Perenne igitur nomen Gothicum, & tantum locus splendoris ejus mutatus, non quod domesticus ante non luxisset, sed quod lucentem illum fulgor exterior in notitia hominum ac scriptorum claritate nonnihil obfuscasset. Deum ego veneror imis suspiriis velit etiam in posterum nomen nostrum Gothicum servare sanctum ac incolume, nec unquam pati evanescere gentem mirabili sua dispositione satam ad justitiam deprædicandam, nec non aliorum populorum resp. terendas terrendasq; cum ei ita videatur

*XIV. Notetur bonum omen (de peccatorum remissione gratuita) nobis per S. Ansgarium factum.* In ἐκςάσει didicit ille sua peccata sibi per Christum gratis remitti, vide vitam ejus c. 3. Et hanc doctrinam ursit post in suis concionibus plerisq; Similia docuerunt Pontificii alii sequentibus seculis apud nostros, si non semper; ægrotantibus tamen talia insusurarunt, vide modum huru Klyrken skall spörja den siuka i soto sång ex libro Nandalensi fere sub finem: ubi habentur seqventes locutiones sacræ: Tror thu at Jesus Christus do for thina skuld. Troor thu at thu kan ængaledes frälsat oc heel varda/ vthan med Jesu Christi pijno oc dödh Til ensammen J. Ch dödh. haf alt thit hop. Min H. J. Ch. död sätie iac millan mic oc Gudz dom. etc. Et per has consolationes infinitæ animæ Deo lucratæ, etiam antequam exoriretur hæc præsens Evangelii lux publica. Sed hic *thesi nostra perducta ad tempora Christiana publica*, esto per gratiam Dei, libri octavi, imo,

## *PARTIS GENERALIS FINIS.*

S. Ansgarius

# S. ANSGARIUS

*seu*

*Vita S. ANSGARII olim undetriginta capitibus scripta à S. Remberto ejus discipulo & in Ecclesia Bremensi successore; at hic ex versione quadam Svecica contracta, & sobriè recensita*

I. S. ANsgarius Svecorum Danorumq; Apostolus, natus in Gallia ex honestis parentibus, exorsus est suam vitam favore Numinis, auspiciis rectioribus, destinatus quippe moliendis pervariis divinis, non ipse modo in probitate vitæ literis divinis humanisq; impigre incubuit, sed & sic eminuit Spiritu, ut adpareret ipsum tantum indies gratia adcrescere, quãtum adolesceret ætate. Scriptor Pontificius refert ipsum singulis momentis, divinis gratuitis donis fuisse auctum, ac nonnunquam, etiam primis annis, revelationibus divinis compellatum, singulis vel monentibus, ut cum probitate vitæ studium literarum urgeret fideliter; vel edocentibus, quæ esset suæ religionis vera facies. Magna vero est gloria revelationibus frui, neq; minus donum iisdem non sollicitari ad superbiam, vana hominum deprædicatione, sicut id ipsum expresse suo exemplo docet Paulus 2. Cor: 12: 7. Ansgarius igitur ut erat singulari modestia, ne judicia vulgi pateretur sua fata anticipare; singulas suas revelationes studiose reticuit: sed quæ tamen postmodum plenis rumoribus manarunt, in auctoris ornamentum, ac rerum ab ipso gestarum quoddam stabilimentum. Scil. reticuit ille easdem tantum sociis levioribus, natis ad quævis circumferenda: ast commilitonibus probatæ fidei narravit de omnibus, quæ sibi unquam adparuissent, sanctam silentii fidem ante præstolatus: attamen & illi præ-

postero zelo moti, post fata ejus non modo vera quæq; legerunt, sed quoq; falsa quam plurima illis adjecerunt. Hinc fabulæ variæ, ac in celebrioribus sequentes: *Prima*, quæ Ansgario quinque annorum puero, ludisq; supra modum intento narrat *b. Mariam longa fæminarum caterva stipatam, adparuisse, svasisseq; ut mundo ejusq; ludicris cunctis renunciaret alacriter, ubi vellet ad matrem demortuam, quam in isto comitatu videbat precellentem, seq; cæteras, felix contendere; non ferentes quemquam vanum aut pigrum sibi adjungi.* Hacq; admonitione eum sic immutatum, ut stupore & mutatæ vitæ & profectus, brevi percelleret suos commilitones cunctos.

II. *Altera* deinde ejusdem fidei fabula memorat non tantum, *quomodo Ansgarius adultior factus, institutisq; monachalibus imbutus,* cœpit *studium pietatis paulo ante per infirmitatem remissum excolere, ad nuncium dolendæ mortis Caroli 4ti' ostenatus vel sua sponte, ob conditionem ecclesiæ, privatæ tunc benigno nutricio; vel maxime cum inciperet versare animo informationem, primis annis sibi â Diva virgine factam:* Sed & ducta similitudine â statu Apostolico, *adjicit eum mundo q. mortuum die pentecostesq; sopitum, advocatos expostulasse Apostolos Div. Petrum & Div. Johannem. Hos mox adparuisse, ac agnitos vulgari sua descriptione (faciente alterum crinibus rectis senem, crassum ac subtristem, alterum vero juvenem staturæ longioris at macilentum) duxisse illum in locum tenebricosum, plagarum ac vexationum plenum. Ibi eum intolerabilia brevi tempore passum; non quod summos adhuc cruciatus sentiret, sed quod ad adspectum florentis ecclesiæ in cœlo, prorsus sic contabesceret? Ab omnibus tamen hisce malis eorundem advocatorum beneficio ipsum liberatum, &c.* Describit hanc fabellam pontificius tanto fusius, quanto eam ad firmandum purgatorium quoad varias circumstantias, excogitavit solertius.

III. *Tertia* fabula dictitat *illum pædagogum in Schola S. Petri,*

*horaria S. Johannis pro more quotidiano visitata, incidisse aliquando in somnum, ac vidisse Christum per omnia sic ornatum, sicut in Apocalypsi Johannis passim depingitur. confusum ad Ejus Majestatem hunc nostrum, sed mox refectum audita voce gratuitæ peccatorum remissionis.*

*Quarta* narrat de puero Tulberto qui ipso rectore à condiscipulo suo fuit interfectus, docetq; *hujus inopinato casu hunc nostrum valde fuisse turbatum; refocillatum tamen illico, quod videret interfectum, ob suam patientiam sub plaga, fidelemq; proximi amorem usq; ad vitæ finem, cœlestibus statim adscriptum.* Has talesq; alias fabellas quarum quoque aliquot nos infra recitabimus, comminiscitur Pontificius in vita hujus nostri Ansgarii, visionibus cœlestibusq; colloquiis præsumens sui nominis doctorem nobilitare, & quoq; doctrinam confirmare: Hæc igitur pro certioribus omnino, quam fabulosis ille venditat suis, singula persvadens credulæ multitudini, vel ingeniosa partium compositiõe, vel subornatis qvi eisdem ceu testes oculati subscribere audebant. Scribit non nemo nostræ religionis Theologus (Osiander Cent. 9. l. 4. c. 8.) horum quædam, etiam Dæmonis impositioni adscribi debere, & hæc Ansgarium vel insidiose commentum fuisse, vel revera ad decipiendum fecisse, juxta dictum Apostoli 2. Thes. 2: 9. seq. Nos utrumq; principium etsi perfrequens in papatu sciamus: tamen prius exurgenti caliditati humanæ Judicamus hic convenientius; tantumq; abest, ut sub tantæ reformationis initium credamus Sathanam ministro reformationis semper illusisse, ut quoque confidamus Christum ei nonnunquam adparuisse in somno, maxime cum gratuita peccatorum remissio, & festinata in cœlum promotio, &c. essent contra arbitrium sectæ, animo ejus instillandæ, sicut ferebant narratiunculæ tertia & quarta, & sicut infra hujus generis mox memorãtur quædam alia. Ornatus

hic noster cura humana divinaq; etiam temporis clementioris vir fuit, natus nimirum circiter annum Ch. 760, sub Carolo Magno, heroe forti ac in ecclesiam Christi perbenigno sive devotione operum, juxta religionis retributivæ sectam, sive ut acceptam dignitatem regiam memoria beneficiorum apud ecclesiasticos gratus coleret.

IV. Vicit ut constat, Carolus Magnus Saxoniam a. Ch. 772, sed illa desiderio idolorum suorũ Herman seul vel Irmanseul, necnon Hermionis, duce Widikindo rebellavit sæpius, Rege maxime per Hispaniam â Saracēis occupato: tandem post decennium imperium accipere coacta, & ipsum principem Carolum est venerata, & amplexa Deum, cujus causa ille ex publico Wormatiensi decreto sese subjugavit. In eam igitur mox illata ratio monastica, & sic monasterium Corbejense conditũ â populo, qui effusus in pietatem, idem moliri fuit ausus, sicut post idem fuit restauratum â Ludovico per opus satisfactionis, quod vexasset Adelhardum, uti habet Baronius. Sic concilio hunc nostrum cum Baronio. In hoc primo apud Saxones templo Corbejensi, noster Ansgarius primus & literas docuit & conciones sacras habuit.

V. Moritur illo tempore Carolus Magnus omine malo in ecclesiam, orbatam summo patrono, sed mox ei succedit filius Ludovicus, princeps probus ac pacis amans. Accidit autem imperii ejus primis annis, ut Haraldus Rex Danorum, odio invidiaq; regulorum aliorum regno pulsus, confugeret ad Ludovicum, auxilia recuperandi regni ab ipso rogaturus. Hunc supplicem non destitit Ludovicus per se ac per alios sollicitare, ut nomen daret Christo, cumq; affirmasset hoc modo & se fore illi conjunctiorem, & suos subditos promptiores ad opem ferendam, facile effecit ut se auctore ac teste ille cum conjuge ac liberis Moguntiæ susciperet sacrum baptismum.

smum: qua ratione cum ille tantum peteret mundana, etiam divina accepit, prorsus sicut Thelericus Rex Bulgarorum paulo ante apud Patrem, exagitatus â suis, cum mundanis obtinuit cœlestia: ambo tanta gratia carituri, nisi in angustias â suis fuissent redacti. Ac baptismum postquam Haraldus accepit, jam nulla mora rei gerendæ injecta, sed ille protinus domum est remissus. Noluit vero Ludovicus eum solum h. e. absq; sacrorum antistite demittere, ne vel ipse ceu νεόφυτος deficeret, orbatus pio monitore; ac ut cum illo plures alij colligerentur Christo. Igitur â primoribus suis quæsivit, quem huic negocio putarent commodum? singulisque hæsitantibus in convocato super hoc Senatu, ostendit Abbas Walo: *sibi esse monachum, flagrantem religionis pietate, & optantem quoq; propter nomen Christi, indies exponi: videri ergo illum huic negocio aptum: sed velitnè idem ire annon, se nescire.* Accitur mox Ansgarius, edoctusque â Walone de spe fructus sui, tam Abbati ait, *se iturum quocunque mitterent ob gloriam Christi*; quam Cæsari quærenti, *an vellet Regi Haraldo comes ire in Daniam?* respondet *se promptum esse comitem.* Mirantur hanc alacritatem multi, quod auderet talem peregrinationem suscipere, derelictis parentibus ac fratribus, quibus multos annos adsvevit dulcissima animorum conjunctione: plures eum desiderio anteactæ vitæ, increpant ob studium tam intempestivum; sicut quoq; non pauci eum â proposito deterrere conantur: sed ille constanti ac fixo animo perseveravit in proposito, non tantum ne levitatis damnaretur, sed cumprimis ut Christo populum lucraretur ex septentrione. Ex hoc igitur die cœteris properantibus ad aulam, ille in vineam vicinam divertit, ubi incubuit calidis precibus, divina benignitate promoturis meditatum iter. Videt vero Auchbertus monachus eum sæ-

pius ibi proſtratum, admiratusque ſolitudinem ac effuſam devotionem, percunctatur miſericordia magis quam cura vanitatis, an pœniteret ipſum concepti voti? ille turbatur interrogatione audita, aſt mox intelligens etiam ei ſuum votum probari, reſpondet *ſe anxie occaſionem itineris eſſe amplexum, nec unquam ab hoc pio ſtudio ullis argumentis disjici.* Negat tum alter ipſum ſolum iturum; & cunctantibus aliis, ſi ab Abbate impetraret veniam, oſtendit ſe paratum eſſe illum ſequi: Reverſum igitur ex aula Abbatem, ſtupentemque inveniri non tantum viatorem, ſed & offerri itineris comitem, compellat de miſſione Ansgarius, obtinetq; mox deſideratum Auchbertum. Proteſtatur vero hic Abbas *neq; nunc neq; ante quemquam cogi ad hoc periculoſum iter audendum*: quod non adjiciebat ex invidia aut immiſericordia; ſed quod iſtis temporibus ei in deliciis ac honoribus ſecure viventi crudele videbatur, poſt tantum itineris objici gentibus feris, ac ſua idola publice ſollicitis.

VI. Ducuntur exinde hi duo comites, animis animorumq; curis jam nunc copulati ad Cæſarem, gaudentem eorum piis ſtudiis; donatiq; ciſtula, ſacco ac momentis itinerariis alijs, mox mittuntur in Daniam cum Haraldo, moniti in id invigilare, ut abactis diaboli larvis ac mundi illecebris, Chriſtianiſmi memorem eum ſervarent, ac juxta ut doctrina & moribus plures Chriſto negociarentur. Jam diſcedunt â Cæſare hi duo bellatores ſacri, officio magni ſed adhuc omni miniſterio civili deſtituti, quod nec Abbas quemquam miniſtrum illis adjungeret, omnibus ſub talem expeditionem detrectantibus munus; nec poſſet adhuc Haraldus quemquam ſuorum illis dare, ſingulis etiam ibi ceu novitiis in re Chriſtiana, vel aſpernantibus vel non intelligentibus religioſum famulatum. Pergunt ergo ſoli Coloniam, ubi Epiſcopum

pum inveniunt Adelbordum, qui tradit eis navem instructam duobus spaciis distinctam; quorum altero illa mox accipit Regem, altero præsules sacros. Hac occasione inter Regem & ipsos magna amicitia mox coaluit, & sic regiorum satellitum obsequio levata inopia famulatus proprii. Navigant inde secundo Rheno per Dorstrat (Dordrectum ego interpretor) visaq; Frisia, adpellunt ad litora Daniæ: ubi exponitur Haraldus, properaturus ad terras sibi â Ludovico datas, omnes vicinas Germaniæ, ut haberet refugium, si in posterum contingeret eum similiter vexari â suis: Hi vero servi Dei seqvuntur, & mox incipiunt in gentibus prædicare Evangelium Christi magno zelo. Nec concionibus tantum & piis moribus proficiunt, sed quoq; Scholam 12 puerorum erigunt, discipulis ibi aut emptis numerato precio, aut sibi ab Haraldo missis. breviq; tempore efficiunt, ut undiquaq; per oras balthicas memorabiles celebrentur. Sic agunt socia opera per biennium; eo vero exacto incidit in morbum Auchbertus, qui relicto socio, domum novam Corbejam relatus paulo post pie decessit.

VII. Sveci interea ferebantur magno religionis Christianæ amore, sed commodis præconibus publicis miseri destituebantur: mittunt igitur ad Carolum Magnum rogatum, ut aliquot Evangelizantes acciperent: Hoc tempore veniunt pariter legati ex Svecia ad Filium Ludovicum, qui narrant inter cœtera sibi commissa, *domi quam plurimos agere, qui desiderarunt Christo adjungi, ac cumprimis ad religionem Christianam inclinare Regem, nunc rogantem ut Cæsar prædicantes ad sese mitteret, introducturos sacra, quorum rationem piam ante ex aliis audissent, sed quorum gustum ipsi hactenus plene non percepissent, vel bellis impediti vel constantia veteris religionis victi.* His auditis exhilaratur Cæsar magnopere, gaudens offerri ansam dispellendarum

rum prorſus ex Borea tenebrarum; ſollicitus ergo de novo Apoſtolo, adhibitis miniſtris conſulit rurſus Abbatem Corbejenſem, *quem mitteret in Sveciam, ad explorandum, an & ea gens tota vellet religionem Christi amplecti, & inveniret nè is quemquam alium ſui ordinis monachum illi itineri idoneum, an uterentur Ansgario, qui fuit Haraldo Regi â ſacris?* Placuit revocari Ansgarium. Hic autem ut primum ad aulam venit, cauſam vocationis illico intellexit, perfuſusq; zelo doctrinæ Chriſti, tantum abfuit ut recuſaret iter, ut quoq; ſummo gaudio id ambiret, quo Chriſto fidelis negociator, multas animas lucrari poſſet. Accendit autem illi hanc pietatis flammam, cum ſimplex ejus devotio ſacro officio data, tum præcipue illam fecit ardor Apoſtolatus inter gentes obeundi, elicitus non per levitatis auram, nè ſui ſimilem haberet ſeptentrio, ſed conſcientiæ zelo ſuſceptus ac fortaſſis indiciis divinis promotus. Solet animus noſter juſta temperantia exhilaratus, qvandoq; ſomniando intelligere futura, Deo illa vel nova gratia manifeſtante, vel per rudera imaginis ſuæ concreatæ, promovente: fuerit igitur fas ſuſpicari, hunc â Deo excitatum majoris moliminis virum, per aliquod ſomnium intellexiſſe ſuæ vocationis fata, vel ceu temperantem vi donorum naturalium; vel ceu magnum Dei præconem, per aliquam revelationem novam, ut hic mihi religio ſit, prorſus refellere traditionem pontificiam, quæ refert: *vidiſſe ipſum ſe cum Dominicanis emiſſum ad prædicandum, ſed longe ſupra omnes alios ſe exaltatum, dignatumque ſermone Chriſti de gratuita peccatorum remiſſione, ingenti tandem gloria perfuſum.*

VIII. Ergo ut primum hic noſter adparuit coram Cæſare, interrogatus *an vellet in Sveciam ire præco Verbi Dei?* reſpondet ſe paratum pergere, quocunq; juberet ire. Sed ne ſolus iret, datus ei comes Withmarus, ac in Daniam ad Haraldum deſtina-

tus

tus Gislemarus, ambo monachi Corbejenses, religione vitaque probati. Ansgarius itaque comite Withmaro, ingreditur acceptum in Sveciam iter. Ast quæ in itinere mala pertulit, Dæmone cursum Evangelii impediente, horret animus cogitare, & longum quoq; foret singula recensere. Inciderunt ambo in piratas, quorum primum impetum sociis mercatoribus repulerunt animose, sed â quibus repetentibus expugnationem, mox ipsi sunt victi, ac exuti bonis plerisque: Cæsarea dona ac ornamenta amiserunt omnia, & tantum tenuia quædam retinuerunt, quæ navi ad litus adpulsa, occuparunt, desilientes in terram.

IX. Hic fracti multorum sociorum animi, & de reditu consultatio facta: Ansgario autem & socio Withmaro semper stetit sententia experiendi fata Christi per boream. Pedibus ergo post acceptam cladem dilabentibus aliis hi soli incedunt, donec objicerentur freta ac maria: Inde rursus conscendentes (anno Domini 806. ut volunt recentiores, Tu Baronii calculum vide supra pag. 445) transmittunt in Sveciam, ac portum Mälarensem ad metropolin Biörkö/ felices intrant. Excipiuntur mox benigne â Rege Berone, edocto ante de eorum adventu, ac nunc admonito quoque de eorum præsentia, per legatos, quos ante eorum causa misisset ad Cæsarem. Metuit vero bonus Rex turbas novæ religionis motu; quocirca refert ad concilium, *quid senatoribus, ministris ac subditis videretur de hoc novo negocio, singulisque* adprobantibus ut hisce præconibus audiretur evangelium Christi, exhilarantur cuncti lætitia magna; præprimis tamen lætantur præcones ipsi; quos ad hancusque horam inter spem ac metum suspensos, sola tantum humanitas Regis recreasset. Incipiunt ergo mox prædicare, ac primis concionibus sicut reficiuntur Christiani per Sveciam vincti, (*en Evangelij præco-*

N n n *nes*

*nes Ansgario priores*) videntes suæ fidei viros publice sacris defungi; sic Christo colliguntur mox infiniti alij. Fuit in horum numero Prætor civitatis Biörköensis, Heriger dictus (nunc hoc nomen est Eriker vulgo Erker) regis primarius consiliarius. Hic & inter primos suscepit flumen baptismi, & baptisatus constantissimus mansit in fide: promovitquoq; idem postea religionem Christi, in prædio suo ædificata æde sacra, quam Christo dicatam primam fuisse in Svecia inter omnes publicas, accipimus documentis non obscuris.

X. Hoc pacto annum & semestre egerunt hi duo Apostoli in Svecia: placuit vero postea illis testimonio vitæ ac muneris impetrato â Rege, ad Cæsarem Ludovicum reverti: Cui sese humaniter excipienti exponunt suam expeditionem sacram, memorantes quomodo *Deus aperuisset viam publicæ prædicationi, promovissetq; ut non modo, sicut ante fama, currenti nuncio, aut per vinctos celebretur in solitudinibus Christus: sed feratur quoq; nunc ille publico præconio libere passim per varias gentes, ac cumprimis colatur in templo ab Herigero erecto.* Hac relatione exhilaratur Cæsar; mox igitur non tantum Deo gratias agit, quod evangelium dedisset sonare per Daniam & Sveciam; sed & sub boreales sui imperii fines constituit episcopatum, unde in nominata regna esset in posterum ecclesiastica inspectio, & frequens evangelij prædicatio. Non equidem sic ordinavit Carolus 4tus subacta Saxonia, ut vulgaris episcopatus ibi constitueretur, sed voluit Hamburgi Archiepiscopatum ordinare, lucem borealium ecclesiarum cunctarum, in quem finem quoque ex Gallia vocavit Episcopum Adelgarium, quem jussit ibi templum consecrare, nulli alii obnoxium: ipsum vero præbiturum facem diffusis per septentrionem populis cunctis. Hoc consilium fuit Caroli, subactis 4ta vice ac domitis Saxonibus: nimirum ut sicut ante

te Mersburgi, Zeugnitij, Basileæ ac Wormatiæ erexisset episcopatus, nec non templa spendida constituisset Regensburgi ac Augsburgi; sic finito bello religionis Saxonico, versus septentrionem Hamburgum magna face spectare jussit. Filius vero Ludovicus, qui patri successit in imperium, idem consilium sicut ante dictum, nonnihil mutavit, quod de consilij paterni ratione, non statim esset probe informatus. Atque sic quam provinciam pater noluit ulli committere, re immatura spe ampliorisque tractus versus boream nondum expleta, illam filius ornavit certo præsule, Episcopo nimirum paris potestatis cum illo, quem pater jussit regere subactam versus meridiem, Saxoniæ partem alteram. Sed non diu hæc facies rerum: Mox filius Ludovicus exequitur consilium paternum, audito quantopere cresceret ecclesia Christi per Sveciam ac Daniam. Hamburgi igitur erigit Archiepiscopatum Jurisdictionis ex præscripto civili eminentis ac valentis super boream totum; cui præficit suum probatæ fidei ac devotionis Ansgarium, consecratum paulo ante â Pontifice magna solennitate, præsentibus Archiepiscopis; *Ebone Trevirensi, Orgario Magonciensi, nec non Episcopis Drogone Methensi, Heligando, Willerico & alijs quam plurimis ex clero ac laicis.* Quia vero gentes Hamburgo vicinæ habitarunt, â quibus Archiepiscopo potuit præsens periculum intentari; igitur ut esset illi & tutior sedes, si quæ ingruisset tempestas sæva; ac ut compensaretur spes salarij, quam primis annis Archiepiscopus non potuit â gentibus sperare, auxit Cæsar illum æterna possessione prædii Thurholtensis in Gallia.

XI. Sed agebatur res ecclesiastica, ergo sicut convenit fieri accepto jugo Pontificiæ vanitatis aut simulationis: sic super totum negocium voluit Cæsar Papam consulere. Ad obtinendam igitur confirmationem a-

ctorum, mittitur postea Ansgarius Romam, ad Pontificem Gregorium secundum, vel uti alij volunt quartum sive Gregorium sive Leonem. Comites legationis fuere Episcopi Bertoldus ac Radulphus, nec non illustri prosapia oriundus quidam Comes. Confirmantur Romæ mox singula, & Ansgarius solenniter renunciatur Papæ legatus omnium circumcirca hic Jacentium populorum, *per Sveciam, Daniam, Farriam, Grönlandiam, Schridefindiam sicut & aliorum omnium versus septentrionem ac orientem habitantium.* Præsagit statim animo Ansgarius muneris molestiam; ergo ad vota solvenda, ac simul ut juvaretur sub tanto imminente onere, juxta tenorem suæ doctrinæ, capite ac pectore incumbit sacris Divi Petri, & sic demum ingreditur publicam sui muneris annunciationem. Postea ne eorum, quæ Ludovicum inter & Ansgarium fuere acta, quicquam annihilaretur, jam anathematis fulmine horrendo â Papa percutitur in præsenti ac futuro, quisquis illa tentaverit eludere aut frustrari: Sic Sacrosanctam voluit illius temporis papa reformationem borealium, ac simul ne quisquam eam turbaret ullo prætextu ullave audacia, his limitibus voluit ille ejus auspicium munire. Reversus vero Ansgarius in suam provinciam, pro amore quo flagrabat, propagandi regni Christi, nihil omisit sui muneris intactum. Prædicavit, baptisavit tam domi in sede Archiepiscopali, quam alibi excurrendo ad vicinas gentes: sæpius quippe divertit ad illam civitatem in finibus Daniæ sitam, quam accepit â Cæsare datam in diversorium, quoties mearet Hamburgum inter & Daniam; ut inde tanquam ex specula, res Daniæ inspiceret, urgeretque rectius.

XII. Et facilis fuit illi hoc pacto inspectio super ecclesias Daniæ: Svecicarum v. inspectioni vidit se ob tantum locorum intervallum, haudquaqum sufficere; in sui igitur vicem ac lo-

cum

cum constituit Gaubertum, quem insignivit nomine Simonis Apostoli, ut famam officij aleret memoria nominis. Cæsar etiam huic, uti ante Ansgario, dedit in Velano nuper conditam urbem, qua frui debebat, ad quosvis inopinatos casus, itidem possessione perpetua. Tanta tunc temporis fuit Cæsarum liberalitas in Clerum, vel prudenti consilio adhibita ad donis permulcendum eos, quorum beneficio ipsi paulo ante surrexissent; vel elicita simplici devotione, fructum pietatis vendente externo opere. Post hæc hi ambo Gaubertus & Ansgarius, digrediuntur ab invicem, alter ad nos Svecos, & alter ad suos Hamburgenses. Et summo quidem studio ecclesiam suam ampliavit Ansgarius Hamburgi ac per Daniam, ubi multos doctrina vicit, nec pauciores exemplo. Pueros quoq; vel emit expositos venales, vel ex carceribus redemit, quos partim domi suæ informavit, partim informandos in Galliam misit ad prædium suum Thurholtense; singulis ut postea uteretur in promovenda per episcopatum suum ecclesia Christi. Accidit vero inopinatus casus, cum hæc talia versaret animo: Piratæ absente Berichero Prætore Hamburgensi invaserunt Hamburgum, direptisque mobilibus cunctis, tam sacris quam profanis, sangvine ac favillis cetera omnia repleverunt: Quo excidio sensit fuga elapsus Ansgarius magnam cladem, quoad suam superlectilem ac ædes sacras. Ac tametsi percelleretur primum non mediocriter his tantis malis; mox tamen animo recollecto, exclamavit cum Jobo: *Dominus dedit, & Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum!*

XIII. In Sveciam interea venit Simon Episcopus, ubi benigne excipitur tam â Berone Rege quam subditis plerisq;. Incipit ergo idem mox publice prædicare Evangelium Christi, applaudentibus cunctis, ac gaudentibus numerum Christianorum de die in diem augeri; sed non fuit id gaudium diu-

 tur-

turnum. Sicut astu juvit Sathan piratas ad vastandum ecclesiam Hamburgicam ac Danicam; sic Svecos replevit idem odio in Simonem suum Episcopum, ne imbuerentur plena cognitione Christi, quos eadem imbutos, devotione ac constantia novit fore sibi infensissimos: hinc mox minæ ac vincula in episcopum & socios cœteros, sed quæ tamen singulæ sunt repressæ publicata eorum ex regno proscriptione: Sic inscio rege tanta tunc facta est violentia per multitudinem, quæ hoc modo grassabatur licentius, non levitate tumultus, sed ut pro more suo constantia tueretur avitæ religionis cultum. Non tulit autem Dei justitia id flagitium diu impunitum: periêre variis cladibus quotquot illi interfuêre. Foret nobis longum singulorum funera persequi, nec fortassis vera omnia quæ jactantur. Loco omnium recitant Pontificii sequens exemplum ceu singulare ac multis familiare. Cujusdam magni viri filius fatigabatur variis cladibus ac funeribus domesticis: tandem cùm malorum nullus finis esset, *consuluit Magum quem Deorum offendisset? intellexitq́ non quemquam Deorum suorum sibi infensum, sed Christum recens prædicatum; cujus sacram supellectilem* (librum) *habuit domum inter spolia translatam; quamque sivit situ ac pulvere obduci, destinatam sacro usui. didicitq́ amplius non ante cessare sua tristia, quam eundem librum Christiano alicui reddidisset.* Quod etiam arte factum, nemine audente illum accipere palam. Fuit olim arca Domini Philistæis exitiosa, nec minus curiosis Judæis damnosa in Betssemes, singulari consilio ac arte illuc devecta, 1. Sam. 6: sic pariter huic Domino exitium ac cladem dicunt attulisse librum sacrum: unde memorant religioni fuisse tam raptori, eum tenere; quam infirmis Christianis eum acceptare, nè instar quorundam Betssemitarum aliquo malo, ob curiositatem plecterentur. Expositus itaq; incidit in manus simplicis cujus-

jusdam Christiani, qui ejus beneficio usuario, statim sic augebatur, sicut arca Domini locupletabatur Abinadab, 1. Sam. 7:1.

XIV. Inde per 7 años nullus fuit in Svecia verbi Dei publicus præco: Angebatur hoc ejus fato magnopere Ansgarius, qui dolebat vicem cum totius gentis, tum præcipue sui Herigeri senatoris ibi primarij. Ergo tam ad eum servandum, quam ad alios vocandos; denuo mittebat illuc Eremitam Argarium qui inveniebat dictum Herigerum Metropoleos prætorem, constantem quidem in fide, sed indigna passum â sui sangvinis gentilibus aliis: attamen refocillatum eundem non mediocriter signis, quæ Deus ad vota ac preces ejus, edidit varia. Dicitur certasse cum adversarijs ac *cœlo nubilo precibus â Christo obtinuisse, ut ipse cum puero, solus evitaret imminentem pluviam: contra vero irrigatos adversarios omnes, qui pariter per suos Deos deprecabantur imbrem*; Dicitur porro *precibus â Deo obtinuisse celerem sanitatem*; *ac utroq; prodigio, facto ad imitationem vel Gideonis vel Eliæ, confudisse idololatras, sibi defectum sociorum in religione exprobantes, & falsitatem ac vanitatem cultus objectantes.*

XV. Neq; fuit is solus prorsus, quem Deus in Svecia inter Baalitas cultus sui constantia munivit, absente episcopo; Sed sicut in Isræl prolapso vero cultu, Deus babuit non pauca millia sibi reservata 1. Reg 19: 18. sic fuerunt h. t. in Svecia, quos nulli motus, nullæ mutationes prosternere potuerunt. Fuit ibi quædam fœmina *Fridebergus* dicta, quæ eâdem cum Herigero perseverantiæ gratia celebratur, quamq; neq; preces neq; consilia flectere potuerunt, ut rupto fœdere inito sub baptismum, relaberetur ad idola, quæ ante culta felix abjurasset. Fabellam de ejus filia, *jussu matris portante suam pecuniam Doorstratum, ut inveniret quibus bona nomine Christi divideret, tantumq; in marsupio aucta sub vesperam, quantum interdiu profudisset sacris*; fabellam inquam, plenam, non attinet memo-

rare: tantum notamus quod Deus pro immensa sua bonitate juvit tam Frideborgim, quam Herigerum, constitutos in agone mortis, immisso Eremita Argario, qui habentes augeret, juxta dictum Christi, Matt. 13: quiq; ipsos decedentes perfunderet consolatione svavi. Fuit equidem tunc temporis vera doctrina multum in variis articulis vitiata, cumprimis opinione satisfactionis per propria opera, spe intercessionis aliorum &c. attamen in angustiis conflagrarunt sæpe illæ stipulæ apud simplices, & illi refecti auro, quod mentio gratiæ Dei & vulnerum Christi, eis objecit potandum. nam licet tunc floruit papismus: non tamen defuerunt, qui ei verbo spiritus Dei imperterriti resisterent, ceu Haimo Halberstadiensis, Rabanus Moguntinus, & plures alii, singuli tales, qui exceptis paucis nævis, quos etiam in aliquot patribus toleramus, salutaria suis auditoribus nunquam non propinarunt ac instillarunt.

XVI. Sed mortuo Herigero prætore Metropolitano in Svecia, cepit Eremitam Argarium prioris vitæ desideriũ; Is igitur haud cunctanter nostras terras relinquit, & rursus se in eremum recipit: Unde ecclesiis *Svecanis* denuo magnum periculũ privatis pastore: sed quo haud min⁹ aliud videbatur *Germanicis* obversari; cum morte Ludovici (*non loquor hic ejus depositionem, factam à filijs, quia per amicos ac Senatores est ille postea restitutus*) esset dividendum imperium inter filios, *Lotharium*, cui pater dedit Italiam; *Pipinum*, cui pater dedit Aquitaniam; & *Ludovicum* juniorem, cui in divisione paterna cessit Bavaria. Utriusque inquam, *tam Sveciæ*, *quam Germaniæ* tristi aspectu turbatur quidem Ansgarius, sed non perturbatur, ut ab officio suo vel quicquam remittat. Quin Deum adgreditur precibus, qui regum corda premit sua manu, sentitq; mox ecclesiæ suæ eum misereri, suffecto in optimi patris locum, filio ejusdem & nominis & pietatis.

XVII. Hic

XVII. Hic junior Ludovicus studuit statim in Ansgarium derivare curam ecclesiæ Bremensis tunc desolatæ multum ac episcopo orbatæ; sed mun9 id recusavit Ansgarius ipse, metuens si acciperet, ut apud alios notaretur labe avaritiæ. Ludovicus ergo convocatis sui imperii episcopis plurimis, senatoribusq; non paucis cum audisset non vanum videri suum studium de augenda provincia Ansgarij, *quod Brema vicina esset Hamburgo, quod Ansgarius dotibus excellens duobus sufficeret episcopatibus, & quod deniq; ille indigeret hoc posteriori additamento, ceu solatio quodam, ob res terra mariq; â prædonibus direptas*; facile ei persvasit ut acciperet conditionem oblatam.

XVIII. Ex eo Ansgarius mox petitum confirmatorias super hoc munus Ludovici, pergit ad Guntherium Archiepiscopum Coloniensem, sub cujus directione erat episcopatus Bremensis: sed ille ceu vir doctus ac animosus, renuit voto totus, q; nollet suam cathedrã ex præscripto humano ante auctam se antistite iri diminutum: Res igitur delata ad duos reges Ludovicum Bavarum ac Lotharium Italum, fratres, nec non ad eorum Episcpopos. Singulisque factum adprobantibus, tandem recepit Coloniensis se confirmaturum Ansgarium, si in eandem rem consentiret Papa Nicolaus. Qua ratione Guntheri9 Coloniensis respectu jurisdictionis civilis circa bõa ecclesiastica, Nicolaum Papã recte est veneratus: sicut contra circa sacra eum errãtẽ rurs9 recte est aversat9 (*sunt verba Osiandri Cent. 9. l. 3.*) ceu lupũ ac anti Christum. Mittuntur ergo Romam nomine Ludovici Salomon Episcopus Constantiensis, & vice Ansgarij Nortfridus, ejus per Christum adquisitus filius, vir pius ac prudens. Hi inveniunt statim Nicolaum in vota sua propensum, nec non adjicientem *æqvum esse vi confirmationis Gregorianæ, ut potissimum Ansgario doctore Christo colligatur boreas.* Confirmat ergo ille mox suo diplomate petitum Ludovici, jubens ut in posterum Brema

 junga-

jungaturHamburgo,sede inseparabili: ac ne unquam ordinatio hæc deponeretur, simul anathemate illam confirmavit, metuit quippe ut nunc aut aliqn. post Coloniensis eam sollicitaret aut turbaret. Sicut igitur Gregorius paulo ante præsumptione vicariatus Christi super totam ecclesiam, constituit nostrum Ansgarium Septentrionis præconem: sic pari potestate, pariq; auctoritate eum ejusq; successores omnes munivit hic Nicolaus, *super septentrionem i. e. Sveciam, Daniam, Farriam, Norvegiam, Gronlandiam, Islandiam, Schridfindiam, Schlaviam ac septentrionales populos cæteros*, volens ac jubens quantum in ipso fuit consecratam ecclesiam Hamburgensem his omnibus dispersis præferre facem, ac in ecclesiasticis dominari.

XIX. Suscepta nunc cura ecclesiæ Bremensis, cœpit Ansgarius spiritu ferveri, quomodo per Daniam propagaret gloriam Jesu Christi. Divertit igitur ad Ericum, Daniæ h.t. regem, petitum copiam prædicandi Evangelij Christi per regnum ejus. Ac sicut illi fuit bene notus tam probitate vitæ, quam officiis, quæ præstiterat in concilianda pace inter regna Saxoniæ & Daniæ (crediderim sub tumultibus vel Widekindi, vel filiorum Ludovici primi) sic obtinuit non modo potestatem prædicationis, quam petiit aperte, sed & ipsum regem accepit affirmantem *sanos esse suos omnes conatus, ac se præconio ejus accensum sacro Christi baptismati inhiare*. Huic igitur ille facili negocio persvasit, ut pateretur templum ædificari, cui ferret perpetuo assidere sacerdotem, qui consolaretur ac baptisaret rei Christianæ cupidos. Schlesviga huic honori tunc visa apta, quod maritima esset, ad quam multi possent adpellere, & quod sinuoso portu felix daret adpellentibus securam mansionem: Ædificatum ergo ibi ac consecratum Christo templum, antistitiq; datum â rege prædium unde viveret, ac quod pariter reditibus liberalitatem Regis iuxta morem illius seculi, declararet,

ret erga clerum. Confluxeruntq; illuc Rége permittente, quotquot ibi terrarum Deo vero servire voluerunt, etiam Dorstratensium ac Hamburgensium non pauci, qui omnes non tantum statim eminuerunt supra cœteros, sed & potentia ac divitiis florentes, urbi conciliarunt celebritatem magnam.

XX. His in Dania gestis, animum ad Svecos pari modo juvãdos adjicit Ansgarius, promotionemq; rei petit ab Erico Dano, facili ad omnes suos nutus, utpote studiis ac officiis abunde ante devincto & jam bono Christiano. Ac tametsi haberet omnino quos sua vice in Sveciam mittere posset; ipse nihilo minus huic itineri se accinxit, quod sub axe arctoo præconem agere, sciebat sui muneris esse, ex revelationibus divinis pariter ac ex statutis humanis. Nos statuta humana hic dicim⁹ ejus missiones civiles, earumq; confirmationes â diversis Pontificibus factas; sed quas tamen ille, ceu ex principio Divino ortas, venerabundus fuit amplexus: quocirca quanto Sanctiore vocatione externa se vocari credebat; tanto ipse alacriore animo contendebat ire. Revelationes autem divinas ipsi factas tametsi sint ut antedictum, qui vel condemnent, vel in dubio ponant; nos tamen singulas refellere haudquaquam sustinemus; non tantum quod probabile sit Deum tunc ut olim, suam doctrinam notasse ac confirmasse certis prodigiis: sed & quod inveniamus ipsum hoc eodem seculo eadem fecisse in multis aliis, ac porro legam⁹ auctorib. non contemnendis, imo hic inf. c. 27. per hunc nostrum contigisse similia. Ut igitur revelationes expectare haudquaquam Tibi sum⁹ auctores; sic factas ac commodis auctoribus notatas, nulliq; scripturæ loco aut veræ fidei articulo oppositas, inficiari, nunc ac semper nobis esto religio. *Per Abbatem quendam tunc sibi visus est noster Ansgarius mitti ad insulares:* ac quia pariter ac Dania, insulis non paucis constat Svecia; inde ipse statuit interpretatione haud

 obscura

obscura, se disponente ac jubente Deo itidē ad Svecos ablegari.

XXI. Secunda igitur vice pergit in Sveciam, & comitibus legatis Danicis post 20 dies, ex quo solvit, portum Biörköensē intravit. Tunc qui deduxissent illū multa mētione fidei ac probitatis ejus magnā gratiam ipsi statim pararūt apud Regē Olaū puto Trätelljā aut Sköt-Konungium. Humaniter ergo ab ipso accipitur Ansgari⁹ sed mox animadvertit conatib⁹ suis piis in regno obicē poni. Invenit quippe Sveciæ Regem perturbatū, ac gentem ferè totam non parum corruptā: nam surrexerat illo tempore quidam de plebe, instinctu diaboli affirmans *se fuisse, ubi convenissent Svecorum Dii omnes, jubentes se legato audire nos hactenus fuisse diu amatos ac longa pace ornatos, tam sua misericordia quam nostris meritis, quod sacra recte fecissemus:* nunc *vero nos ipsis videri in sacris frigescere ignavia ac sacrorum vel fastidio vel inopia. Se igitur numero suo veteri velle adjicere Ericum nostrum olim regem*, (dicant hic alii, quis fuit ille Deificandus Ericus? ) *ne qui desiderio plurium angerentur: Prorsus vero illos nolle ut novo Christo adsumpto se veteres aspernaremur, paratos hanc tantam injuriam ire vindicatum, nisi eam brevi emendatione amoliremur.* Rex & sua sponte permotus, & his plus quam speciosis sollicitatus, respondit se omnia in concilium relaturum, quod de his & talibus gravioribus aliis agere, non minus ad multitudinem pertineret, quam ad se Regem.

XXII. Quo responso uti Ansgarius adquievit; sic ex eo in preces ac vota se totum effudit, ut opus quod humano auxilio videbatur damnari, divino suffulciretur. Et adjuvit quoq; ipsum bonitas divina. nam ut primum Rex convocavit suos nobiles ac officiarios, indicataq; causa adventus Ansgarii decrevit consentibus ita singulis, ut sortirent de hac re apud suos Deos; tulit sors jacta, ut Christianismus admitteretur ac per Sveciam propagaretur, non vanis Diis illum cupientibus, sed Deo qui cœlum & terram moderatur, eum sua

pro-

providenti dispensatione procurante. Rescivit vero Ansgarius statim hoc sortilegium per suos amicos jubentes se spe esse bona. Quin & id accidit, cum Rex indixisset publica comitia misso baculo nunciatorio (bodkafla) juxta antiqvum modernumque morem in celeribus negociis; ut magna discordia concitata, quidam surgens ex multitudine, diceret: *Audite me Rex & populares omnes! Constat invocantes hunc recens prædicatum Deum omnes iri adjutum; quod ille solum potens sit ad opitulandum. Atque hoc cum etiam nos simus experti sub nostris periculis variis; Cur igitur nunc cunctamur recipere probatum, aut cur aspernamur faventem? solvere solemus longo itinere Dorstratum, ad accipiendum baptismum,* (*en nostros isto tempore domi habuisse Evang. præconiū; & saltem baptismi causa excurrisse ad exteros, ac tunc quidem in Belgium, forsan propter successores Willebrordi, &c*) *& domi nunc baptizantes ministros negligimus?* qua voce omnes comoti, uno ore unoq; Spiritu concluserunt permanere debere hos Dei ministros, ac suis sacris invigilare: q. Ansgario itidem extemplo innotuit. Mox ergo illi facta potestas per regnū ædificandi plura templa publica; & operib. præfectus Heribertus ejus ex sorore nepos, *ac quod ex hoc loco notari debet, Ansgario omnino posterior, secus quam nostratiū multi salva hac historia sibi ante falso persvasissēt.* Huic Heriberto ut commode defungeretur sacris, statim â Rege datum prædium in Biörkö/ & adjectum aliud emptum ab Ansgario tunc Dei gloriam & consangvinei salutem sollicito. Atq; sic hisce pie justeq; dispositis, postquam Rex se verum Christianum professus esset, recepissetq; ejus religionis se fore patronum æternum, noster Ansgarius ex Svecia iterum solvit, ac ad sedem suam ArchiEpiscopalem se recepit.

XXIII. Videbatur nunc initium Christianismi in Svecia haudquaquam tenue: sed quod tamen totum facili negocio potuit extingvi, vel langvore infirmitatis vel insidiis Sathanæ

næ. Itaque pro bonitate sua sicut DEus olim doctrinam sanam miraculis confirmavit; sic voluit nunc facere unde recens hæc doctrina apud vulgus Svecorum fulciretur; imo, publice adprobaretur. Curlandia paruit olim Svecis: nunc vero renuit illa eidem amplius vectigalis esse: animo libertatem spirans, sed ad eam parandam vix viribus sufficiens. Hæc cum audissent Dani spe potiundæ provinciæ ac bonorum ibi diripiendorum, classe in eam feruntur magna; sed mox multis amissis repelluntur à 5 ejus civitatibus congregatis ad eos terra sua abarcendos. Movit & Svecos parata ibi præda: Ergo tam ad redigendum Curlandos in obedientiam, quam quia gloriosum fuit vincere quos non sustinuissent Dani, Svecorum Rex Olaus justo exercitu ad eam transmittit, improvisaq; excursione facta, urbem Seburgum expugnat ac bonis direptis accendit. Hinc alacrior factus relictis navibus Apuliam usq; contendit. Sed Apulenses non magnopere sibi ab adventu ejus timuerunt: indè per octiduum quotidiana pugna, multisq; desideratis vicem tam cæsorum cœperunt Sveci angi, quam suam, quod procul à navibus digressi, nec sufficerent urbis expugnationi, nec tutum ad classem haberent regressum. De summa itaq; rei suspensi sorte experiuntur apud suos Deos, *vincerent nè an deducerentur salvi ad classem?* Nulloq; Deorum annuente vel auxiliari volente, jam non luctus modo & metus redintegratus, sed quoq; liberius missæ quærelæ. Omnibus itaq; anxiis nonnulli mercatores: *Recordamur*, inquiunt, *Christianorum Deum sollicitatum libenter suis venire subsidio: Ac quia novimus ipsum esse potentem: experiamur ajunt, annon ille accipiat* h. v. *nostra vota nobisq; succurrat?* Decernũt ergo mox sorte quid esset faciendũ, ac quia illa ostendit Christum Deum potentem, inde animis conceperunt victoriam ac ad urbis expugnationem feroces contenderunt. Tum oppidani alloquentes Olaum ejusq; milites: *Placet* ajunt, *magis pax vobiscum, quam bellum, quare acceptis armis ac bonis, quæ paulo ante vel à Danis cepimus vel à Vobis, pacem nobis date. Pondo argenti constabit Vobis unicujusq; nostri anima quotannis, & obsides non futuræ unquam in posterum rebellionis, ipsi deposcite.* His conditionibus pax facta; & Olaus acceptis 30 obsidibus, onustus auro, argento ac omnis generis suppellectile in Sveciam gloriosus revertit: ubi ipse cum sociis ducibus

ac

ac militibus deprædicat bonitatem ac potentiam Christi, qui vocatus in subsidium sese ex angustiis eripuisset ac juvisset. Ortaq; hinc non modo reverentia religionis paulo ante susceptæ; sed & accensus in plurimorum animis ingens ejus ardor, sufflante admonitionib. singulorum corda Heriberto, post discessum Ansgarii Sacrorum per Sveciam ut modo dictum, fideli antistite.

XXIV. His per Sveciam gestis jam â piratis Nordmannis occiditur Ericus Rex Daniæ, ac cum eo multi principes & nobiles, quorum pleriq; fuerunt Ansgarii nostri boni amici & fautores. Ex desiderio igitur eorum suboritur nostro magnus luctus. Succedit inde in Daniæ regnum alius Ericus: cui ceu juveni persvasit comes quidam Slesvicensis, ut destrueret templum Slesvigæ extructum, id quod etiam factum tanto terrore, ut nec sacerdos quisquam ibi amplius subsistere auderet. Confugit sub hanc tantam procellam Ansgarius ad preces, & Deus mox Regem convertit, ad mentemq; prioris Erici reduxit; qui igitur ex eo non modo templum suæ sedi restituit, revocato ad sacra priore præsule, sed & perpetuo odio damnavit Comitem qui fuisset auctor prioris demoliendi. quin & campanam dedit hic Rex Ericus restituto templo, & mox aliud templum in civitate Ripensi jussit poni.

XXV. Sic ordinata Dania Heribertum suum evocavit Ansgarius ex Svecia, & illi substituit Aufridum Danum. Sed is tantum tres annos hic fuit, antequam fatis decessit. Mittitur ergo in ejus locum Raginbertus vir probus ac devotionis raræ, sed qui in Sveciam non venit, fatis præripientibus ejus usum. Accessit vero alius nomine Rimbertus, qui & populo fuit acceptus, & apud nos postea consenuit sacrorum curis.

XXVI. *Atq; tantum de Ansgarii cura in ecclesiam Christi: nunc aliquid adjiciendum de ejus vita probitate ac exitu.* Ansgari⁹ noster puer studuit impigre pietati ac integritati. qua utrâq; virtute sic excelluit, ut non tantum commilitonibus esset admirationi, sed & senibus exemplo. Cumprimis respexit ad vitam S. Martini & ad ejus exemplum veste setacea incessit vestitus. Cellam quoq; habuit quam ceu requiei delicium conscendit rarius cum familiaribus: at quam intravit identidem precib incubiturus. Parsimonia domuit suum corpus, ultraq; dimensum nec panis nec aquæ ei unquam objecit quicquã. Sollicitabatur sæpius insidiis diaboli superbia ac opiniõe justitiæ,

sed

ſed tamen precibus mox victor evaſit. Senex cum Jejunii prioris moleſtiam non ferret, aqua uſus eſt cerevisia temperata. Libenter habuit ſacras conciones ad populum, quem dolore, lacrymis, indicibusq; pænitentiæ aliis concitavit in pietatis ardorem. Scripturam legit frequenter, & quodlibet caput lectum auxit devota mediatione, quam dixit ſaccaricum panem. Inter vacandum delectabatur nectendis retibus memoria Apoſtolorum, qui piſcatores fuiſſent. Scripturam ſemper ſic legit, ut exacte ſciret quibus capitibus uteretur veſperi, quibus mane, quibusq; noctu. Singulorum vicem infirmam doluit vehementer: & præ omnibus aliis ſe fatebatur magnum peccatorem. Juvit ſuis opibus pauperes non tantum diœceſianos, ſed & procul habitantes. Bremæ Noſocomium erexit, in cujus ſuſtentationem ordinavit ſuarum parochiarum reditus. Decimas ſuas deſtribuit inter orphanos & viduas, quemadmodum etiam Eremitis ut vacarent religioni fideliter, ubiq; ſuccurrit: Atq; hæc omnia fecit propter nomen & gloriam Jeſu Chriſti. Inclaruit quoq; aliquot miraculis divinis: Oſtergenſes in Friſia contra concionem ejus violarunt Sabbathum fœni verſione intempeſtiva: at mox Deus illos ulciſcebatur ſic ſuccenſo fœno, ut intelligerent in ſui pænam cœlitus demiſſam flammam

XXVII. Eſt & aliud miraculum, *forſan itidem tenue vel nullum dum cauſæ principi relinquitur ſuū opus*, cujᵒ nomine hic noſter celebratur clarᵒ Nordalbingenſes ejus diœceſani ſuos fratres Chriſt: qui effugiſſēt clauſtra gentiliū, aut incarcerarunt, aut vendiderunt &c. hos pariter movit Deus Ansg. præſente, ut illos depoſita ſævitia manumitterent &c.

XXVIII. Quot vero hic noſter precibus juvit, qui ſanitati reſtituebantur, longum eſt dicere. Suſcepit Epiſcopatum vir 34. annorum, & eum geſſit ad annum vitæ ſuæ 64. Semperq; damnatis ſuis meritis, *ad ſuperabundantem gratiam Jeſu Chriſti Juſtificandus anhelavit*, id quod etiam amico ſe conſolaturo ex meritis palam reſpondit; omnia ut Chriſtus Jeſus in variis adparitionibus ante obſcurius, at nunc palam eum docuiſſet, conf. ſup. pag. 460. 463.

XXIX. Tandem omnibus defunctus ac malis non paucis defatigatus, poſtquam etiam nonnullas ſuæ religionis vanas ceremonias in uſu candelarum &c uſurpaſſet, commendata ſua anima in manus Domini, quiete ex hac lacrymarum valle deceſſit.

*FINIS.*

# PARTIS GENERALIS
## IN HOC OPERE HISTORICO
# INDEX
## Summam cujusque Libri indicans.

### LIBER I.mus *de seculis antediluvianis.*

Cap. 1. Probat in SveoGothica terra fuiſſe colonos tempore antediluviano. C.2. Inquirit in tempus adventus ipſorum. C.3. Inquirit in Colonorum iſtorum ducem. C. 4. Notat novorum Civium religionem. C. 5. Declarat novorum civium devotionem circa religionis cultum. C.6. Diſputat de eorum Epiſcopis, ac cumprimis diſquirit: *an Adam primus homo hic unquam fuit?* C. 7. Oſtendit etiam per exteros Epiſcopos *Sethum & Enochum*, noſtros tunc temporis in religione fuiſſe auctos. C.8. Differit de cauſis diluvii ſpecialioribus, tam quoad noſtros, quam quoad alios, C. 9. Exprobat antediluvianis eorum improbam vitam, & juſtitiam Dei ſub diluvii undis commendat. C. 10. Probat antediluvianis ſub mediam aquarum effuſionem etiamnum patuiſſe gratiæ locum apud Deum. C. 11. Diluit objectiones, quæ vulgo contra moventur. *quod circumciſi ſæpe temporaliter jungantur eâdem ſorte* cum non circumciſis Jer. 9: 25. *& quod ſæpe bibant calicem qui non more aliorum eundem promeruêre,* Jer. 49:12. C. 12. Sperat noſtratium multos, qui tunc una cum cœteris temporaliter perierunt, fuiſſe æternum ſalvatos.

### LIBER II.dus *ubi periodus ann. 243. numeratorum ab initio ſeculi ſecundi poſt diluvium.*

C. 1. Habet locum demiſſæ arcæ. C. 2. Noachi migrationem. C. 3. Nepotum ſeparationem, atq; propter turris Babelonicæ ſtructuram, lingvarum confuſionem. C. 4. declarat fata Japhethæorum per Europam: ubi quæſt. (1) de Gog & Magog. an ille Gothus? (2) de itinere Japhethæorum in Sveciam. (3) Qui primi coloni per Scythiam. C. 5. narrat primorum poſtdiluvianorum Theologiam. C. 6. Recitat primos per patriam iſto t. præſules. *C.7.* Docet religionis iſto t. poſtdiluviano primo, devotionem. C. 8. Refellit quasdam objectiones hic ſolennes. C. 9. Concedit religionem ſub hujus periodi finem non parum declinaſſe.

## LIBER IIItius, *ubi periodus annorum 480.*

C. 1. Docet deficientis religionis restitutionem sub Erico primo C. 2. diluit rationes illi themati contradicentes. C. 3. dolet cum Politia civili 400 annos ecclesiam domi contabuisse. C. 4. Sperat nihilo secius meliora de nostris, propter eorum vocationem uti dicimus, indirectam. C. 5. Ostendit vocationis talis indirectæ adplicationem ac fructum. C. 6. Docet sperandum esse etiam vocatione directa istos nostros tunc fuisse beatos. C. 7. Refutat contradicentes.

## LIBER IV. *ubi periodus ann. 1035.*

C. 1. Narrat varios modos qvibus vera religio ad nostros potuit transmitti, per hujus periodi sesqviseculum primum aut periodi articulum primum. *C.* 2. Docet seqventis articuli modos propagatæ ecclesiæ Christi. *C.* 3. Habet superioris capitis elenchum *C.* 4. Deducit inde pulchra consectaria: *de tempore Humeli, ejus commercio cum Asiaticis, ac fine Ubsaliæ positi templi. C.* 5. Docet modos qvibus religio vera potuit propagari tertio hujus periodi articulo. *C.* 6. Docet ejus propagationem sub periodi hujus articulo 4to & *C.* 7. eandem sub articulo 5to. *C.* 8. Adfert qvædam generalia ducenda ad hujus periodi articulos omnes. *C.* 9. Diluit duas objectiones nobis oppositas. *C.* 10. Notat hujus periodi Theologiam apud nostros priscos. *C.* 11. Inqvirit in hujus periodi pontifices per patriam nostram. *C.* 12. Producit potiora argumenta, qvibus probatur per totam periodum domi fuisse aliqvos vere religiosos.

## LIBER V:tus *ubi periodus ann. 207.*

Cap. 1. Narrat propagandæ ecclesiæ modos seculo hujus periodi primo. C. 2. Docet sequentis seculi modos similes. C. 3. Probat actualem ecclesiæ existentiam in nostris duobus hisce seculis. C. 4. Explicat existentis tunc ecclesiæ qualitatem ac conditionem.

## LIBER VI.tus *ubi periodus ann. 328.*

Cap. 1. Perstringit paucis hujus periodi historiam civilem. C. 2. Concedit ecclesiam sub hujus periodi centenario primo domi fuisse corruptam. C. 3. Solvit objectiones circa rationem temporis nobis hic oppositas. C. 4. Inquirit in speciales falsorum Numinum hic ac alibi olim cultorum. C. 5. Inquirit in falsorum talium Deorum nomina, & ostendit eorum qvosdam ceu ignotos qua sexum aut cultus ratio-

rationem non posse nominibus exprimi. sicut rursus alios silentio sacros non voluisse olim nominibus salutari. C. 6. Habet Catalogũ quondam falsorum Numinum per Fenniam nostrã. C. 7. Insinuat occasione nominum eorum qvasdam notatu dignas observationes. C. 8. Subjicit tres qvæstiones generales de falsa qvondam religione Upsaliensi, ceu, (1) *an nostris paganis non plures Dii, qvam tres? Thore, Oden & Frigga.* (2) *Cur in ternarium numerum nostri consenserũt?* (3) *An paganismus ille brevi tempore nostros inundavit?* C. 9. Habet qvæstiones de Thorero. C. 10. qvæstiones de Odino. C. 11. Qvæstiones de Frigga. C. 12. De Numinum Upsaliensium sede ac ornatu externo. C. 13. De eorum cultu in genere. C. 14. De eorum feriis ac festis tam generalibus, qvam specialib. C. 15. Illustrat exemplis qvædam eorum festa. C. 16. De convivio post sacra generalia celebrato, ubi indicatur memoria Deorum, & defunctorum tam virorum fortium sui nominis qvorumcunq;, qvam amicorum, seu Svetice Bragebágaren och Minde. C. 17. De Sveo-Gothorum Diis minoribus. C. 18. De Biarmorum Jumala. C. 19. Declarat jumala qvoad varias circumstantias. C. 20. Docet providentiam Dei circa hanc omnem Diaboli χακοζηλίαν. C. 21. Docet non omnes externa specie idololatras, animo tales fuisse & quoad scientiam C. 22. Adplicat qvædam superiora de nostris. C. 23. Subjicit multas rationes, qvibus sperare possumus inter tot tantosq; idololatras, aliqvos Dei veri religiosos domi tunc adparuisse.

## LIBER VII. *ubi periodus ann. 400. numeratorum per Christi secula qvatvor prima.*

C. 1. Recitat paucis periodi hujus historiam Civilem. C. 2. Parat aditum ad historiam Ecclesiasticam. C. 3. ostendit modos propagatæ ecclesiæ Christi seculo ejus primo. C. 4. habet quæstiones. (1) *Quis Evangelij primus præco in nostris?* (2) *quodnam tempus hic prædicati Evangelij?* (3) *Quis prædicationis illius fructus?* C. 5. Tradit seculi primi articulos fidei. C. 6. Narrat seculi primi quædam Ecclesiastica, C. 7. Docet certis auctoribus propagatũ fuisse Evangeliũ seculo Ch. 2do, apud nostros Sveo-Gothos. C. 8. ostendit Ecclesiæ h. t. crescentem amplitudinem. C. 9. Probat novis testimoniis seculo Chr. tertio in nostris vixisse pios. C. 10. Profert certos modos auctæ ac propagatæ tunc passim terrarum ecclesiæ Christi. C. 11. Confirmat certis documentis caput antecedens. C. 12. Probat generaliter seculo Christi

 qvarto

quarto hic fuisse Deo aliqvam Ecclesiam. C. 13. Liberat præcedentis capitis thesin à qvibusdam objectionibus. C.14. Docet qvosdam modos,qvibus Ecclesia Ch. tunc propagabatur de gente in gentem. C.15. Probat certis auctoribus Gothos sec. Ch. 4to fuisse conversos. C.16. Tollit hic natas objectiones C. iterum 16. Adfert de Gothis exteris qvædam particularia. C. 17. Inqvirit in fidei qvalitatem apud Gothos exteros, docetq Arrianizantibus W:Gothis, O:Gothos semper mansisse catholicos. C.18. Inqvirit in Gothor. Ext. studia Philosophica. C.19 Probat ex lapidibus Runicis nostrorum Sveo-Gothorum quosdam domi isto tempore vixisse ac obdormivisse sanctos: C.20. Tollit exceptiones quæ moveri possunt adversus Christianismum adparentem in lapidibus Runicis. C.21. Inquirit in illius temporis Sveo-Gothorum Christianismum tam apud Clericos quam Laicos.

LIBER VIII. *ubi periodus ann. 400. i. e. per sequentia secula Christi quatvor, donec huc mitteretur S. Ansgarius.*

Cap. 1. Narrat hujus periodi historiam Civilem, c. 2. habet modos propagatæ ecclesiæ Chr. seculo ejus 5to. c. 3. Ostendit quomodo per exteros Gothos domestici tunc potuerunt juvari. c. 4. adfert de Gothis exteris hoc seculo 5to quædam particularia. c. 5. Docet modos propagatæ Ecclesiæ seculo Chr. sexto c. 6. Describit Gothorum mores hoc seculo sexto, c. 7. Docet modos propagatæ Ecclesiæ Ch. seculo ejus septimo. c. 8. Narrat Gothorum exterorum quasdam virtutes. c. 9. Docet modos propagatæ & ampliatæ Ecclesiæ Chr. seculo ejus octavo. c. 10. Narrat de Gothis exteris quædam particularia: & semper singulis capitibus ex Gothis Exteris ob certas rationes depingit nostros Sveo Gothos patrios. c. 11. Removet objectiones thesi nostræ (de Sveo-Gothorum conversione) contrarias. c. 12. Narrat certis auctoribus modum conversionis publicæ apud nostros sub initium seculi noni, c. 13. Expendit paucis qvasdam qvæstiones hic notandas. c. 14. Largitur crassum pagnismum per patriam diu tenuisse, sed nihilominus certis exemplis inter illos idololatras probat juxta thesin nostram vixisse multos Christianos. c. 15. Memorat certas causas tam diuturni paganismi apud nostros majores.

---

*NB. Singulis libris sunt addita quædam* Hypomnemata; *quædam inquam, & non semper sua. In quibus aut occasione priorum quoad materiam, statum. &c. adjiciuntur nova jam ecclesiastica jam Civilia; aut quacunq; ratione explicantur leniuntur aut corriguntur ante adposita. Ultimo accessit S. Ansgarij vita: & sic partis Generalis finis*

*Soli Deo laus, honor & gloria.*